(97) D1/40 f-10 616013



Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b28038563

SCRIPTORES

DE

ANEURYSMATIBUS.

SCRIPTORUM
LATINORUM
DE
ANEURYSMATIBUS
COLLECTIO.

LANCISIUS
GUATTANI
MATANI
VERBRUGGE
WELTINUS
MURRAY
TREW
ASMAN

EDIDIT ATQUE PRÆFATUS EST
THOMAS LAUTH
MED. DR. ET PROF. P.

CUM XV ICONIBUS.

ARGENTORATI,
SUMTIBUS AMANDI KOENIG BIBLIOPOLÆ.

1 7 8 5.

COLLEGE OF

ROYAL COLLEGE OF PHYSICIANS
LIBRARY

CLASS	616.13
ACCN.	19305
SOURCE	
DATE	



PRÆFATIO.

Elapso fere biennio, utilem fore rem ratus Amandus Kœnig (Pater, quo interim mortuo, Filius, ſplendidi bibliopolii bene meritus hæres) collecta præcipua, quæ Aneuryſmata illuſtrant opera, edere, Cel. Lobstein, quem iniquum nobis nuper eripuit fatum, auxilium petiit. Annuit conſilio præceptor, lubenſque negotium ipſe ſuſcepiſſet, ni titubans jam tum valetudo, juncta laborum Academicorum turbae, impedimento fuiſſet. Otium igitur litterarium impendi equidem in curam operis, libellos comprehendentis, qui præcipua doctrinæ momenta, ſinguli expedientes, juncti, quantum id fieri poteſt, integram ſiſtant de Aneuryſmatibus notitiam, excluſis tamen commentationibus latino ſermone non ſcriptis.

Interna Aneuryſmata enodavit, uti notum, Lancisi (p. 1.)

Quæ externis Aneuryſmatibus ferendæ curationes manuales ſint, tentaminibus multis atque multifariis, edocuit Guattani (p. 101.)

Aneuryſmaticos præcordiorum morbos perſecutus eſt Matani (p. 235.)

Morbi hiſtoriam dedit VERBRUGGE (p. 359.) quæ elementorum inſtar cuivis eſſe poſſet; Aneuryſmatum cordis apud auctores ſparſa exempla collegit, & memorabile addidit.

Rarum Aneuryſmatis obſervavit WELTINUS (p. 469.) in arteria intercoſtali ſedem, rarioremque ejus cauſam, hemiplegiam.

Elementa doctrinæ, prouti Verbrugge, ſcripſit MURRAY (p. 497,) & curationem Aneuryſmatum femoris perfecit demonſtrando numeroſas ibi arteriarum inoſculationes, & inſignem, quæ laeſo trunco ſupereſt ſpem, membrum ſervandi.

Quod Ad. Murray in extremitate inferiori, illud ante in ſuperiore præſtiterat TREW (p. 547.) Qui adeo auctores arterias corporis extremorum curatius deſcribentes, & artis theoriam illuſtraverunt, & medicinæ manualis fundamenta poſuere.

Adjiciendum ASMANNI (p. 581.) opuſculum duxi, quod concinnæ deſcriptioni Aneuryſmatum in genere, experimenta addiderit, quibus inanem eſſe operam, qua Lambertus Aneuryſmatibus mederi putat, demonſtravit.

Hæc de voluminis contentis.

Faciliori illa negotio intelligi poterunt, ſi ſequentibus momentis animum advorterit antea lector.

I.
DIVISIO ANEURYSMATUM.

Diviſio Aneuryſmatum.

§. 1.

Nomina Aneuryſmatis *Veri* atque *Spurii*, apud omnes ſcriptores quidem occurrunt, aſt non eodem ſenſu. *Verum* hodiernis dilatatio arteriæ vocatur; *Spurium* autem, tumor arteria exterior, quem ſanguis format per vulnus arteriæ in textum celluloſum elabens, ſenſim vel confertim (qua in differentia ſpurii diſtinctiones in *Primitivum* ſ. *diffuſum*, atque *conſecutivum* ſ. *circumſcriptum* ſitæ ſunt, de quibus quum ſufficienter p. 375, 501, 606, dictum ſit, nunc nihil additur.) Deſumtæ ſunt iſtæ diſtinctiones, uti fieri fas eſt, ex diverſa morbi natura.

§. 2.

Aliter LANCISI, cujus diviſionem (p. 7.) cauſæ diverſitas firmat, unde fit, ut multa Aneuryſmata *legitima* ſive *vera* illius ab aliis auctoribus ſpuriorum nomen obtinuiſſent; ad ſpuria porro auctorum Aneuryſmata, prima ſpecies *ſpuriorum* LANCISII pertinet. Secunda ſpecies ſpuriorum ejuſdem, & pars illorum quæ vera appellavit, vera ſunt in mente aliorum auctorum.

§. 3.

Differt etiam nonnihil definitio, quam GUATTANI de *Vero* Aneuryſmate (p. 217.) dedit, a ſenſu nunc recepto, quoniam præter dilatatæ arteriæ, etiam vulneris ideam cum illa denominatione conjungit, non tamen penetrantis. Aneuryſma proinde p. 203 deſcriptum nomine Veri, ſpu-

Diviſio Aneuryſmatum. rium eſt, & quidem circumſcriptum. Illud contra, quod p. 165 ſpurium appellat, Verum, ut ipſi prima facie videbatur, revera fuiſſe dixerim.

§. 4.

Forſitan in AL. MONRO annotationibus (*a*) a Guattano (p. 212.) citatis explicationis fundamentum invenietur. Ille nimirum, ut Veri Aneuryſmatis nomen arterioſus tumor habere poſſit, non diametri vaſis augmentum modo, ſed & tunicarum arteriæ extenſionem abſque ruptura poſtulat; quæ conditio, quum in pauciſſimis obſervationibus adſit, rariſſima eſſe, caſto illo ſenſu, vera Aneuryſmata colligit; toties autem ſymtomata ſimilia Aneuryſmati Vero oriri, quoties tumor extra arteriam formatur, dum ſanguis per minutum arteriæ vulnus in celluloſam elapſus, eam in ſaccum denſat (*b*), vel quoties ablata fibrarum portione reliquæ in ſaccum expanduntur (*c*). Tumorem extra arteriam poſtea ab HUNTERO *ſpurium circumſcriptum*, a FOUBERTO *conſecutivum* Aneuryſma vocatum eſſe (v. ll. p. 501 cc.) nemo non videt.

§. 5.

Edinburgenſi Profeſſori autem ſuus olim diſcipulus W. HUNTER oppoſuit (*d*), adeo non rarum eſſe abſque tunicarum

---

(*a*) *Eſſais de Méd. d'Edinb.* T. II, n. 16, p. 340.

(*b*) Ib. p. 341, §. 2.

(*c*) Ib. p. 344, §. 5.

(*d*) *Medical. Obſ. and Inq.* T. I, p. 341. Etiam CLEGHORN integritatem tunicarum in Aneuryſmate vero defendit. Ib. T. III, 25. Quin ipſe AL. MONRO circulares in ſacco vidit. v. *Eſſ. and Obſ. Phyſ. and litter.* III, 191.

tunicarum ruptura arteriarum dilatationem, ut ipſe quinque ejus proprio in muſeo habeat ſpecimina. Litem interim de Aneuryſmatum natura compoſitum iri ſperat, ſi præter Verum atque Spurium, *Mixtum* notatur (*a*), quod vulnere partim, partim dilatatione fit; idem cum ſpecie 4.[ta] Monroi. Notandum, quod male hoc epitheto utatur VERBRUGGE, qui p. 375 illud Aneuryſmati Venoſo dat. *Diviſio Aneuryſmatum.*

§. 6.

Mihi videtur inutiliter novus terminus adoptari, quo neque theoria artis perficitur, neque praxis. Ipſe Hunter ſæpius mixtum ſimile circumſcripto eſſe dicit. Pone arteriæ omnes tunicas minuto vulnuſculo forari, ſanguis in cellulosa formabit circumſcriptum tumorem. Pone vulnus intimam tunicam non tetigiſſe, hæc vi ſanguinis extrorſum pulſa ſenſim in tumorem abibit arteriæ externum. Utroque in caſu ſimilis tumor, ſimilem curationem poſtulans, idem circumſcripti nomen habere poterit. Viciſſim ponendo lacerata tunica intima, ſalvis exterioribus, has expandi, fiet tumor Vero Aneuryſmati ſimilis, ſimiliterque curandus; quare & verum appelletur Aneuryſma. Quum itaque in omni re medica curatio non abſolute tantum ultimus ſit finis, ſed & diſtinctiones theoreticas, perſpicuitatis ergo, quippe unice datas limitare debeat; omnia Aneuryſmata triplicis indolis eſſe dicenda ſunt, *verum*, *ſpurium diffuſum* atque *ſpurium circumſcriptum*.

(*a*) Ib. p. 338.

Aneuryſma Venoſum.

II.

ANEURYSMA VENOSUM.

§. 7.

De eo morbo videndæ ſunt p. 375, 386, 404, 423, 430, 443, 505, 619, ſemper tenendo, quod Verbrugge erroneam aſſumſerit denominationem. Huc & trahenda Aneuryſmata duo quæ Guattani p. 223 deſcripſit. Abſque incommodo ferri, W. Hunter licet (locis in opere citatis) notaverit, ſunt tamen non pauci, qui inutile membrum fieri, ſibi fingunt, uti multoties audivi, ſermonem cum aliis miſcendo. Repeto igitur ex Ill. viri ſcriptis, exque ipſius & P. Pott ore atque ex autopſia, parum moleſtiæ *Varicem Aneuryſmaticum* hucuſque attuliſſe. Vidi mulierem, cujus in brachio per plures jam annos erat *varicoſum* hocce *Aneuryſma*, nucis minoris magnitudine; ſanguis in tumorem ruens obtuſum, bomboſum edebat ſonum; fluidus ei inerat, nullo coagulo, preſſione digiti diſcutiendus; tum nulla amplius apparebat varix, & oſtium, quo vena in arteriam patuit, digito percipiebatur; momento repleta redibat illa, hoc remoto; brachio per bene ſemper uſa eſt femina.

Aneuryſma Aortæ.

III.

ANEURYSMA AORTÆ.

§. 8.

Catalogum Aneuryſmatum Aortæ (p. 445.) augeat exemplum a me nuper in cadavere viri repertum, cujus

dum vivebat, relatam accepi hiſtoriam. Georg Feykert, *Aneuryſma Aortæ.* toroſus homo, Rhedarius, in Noſocomium receptus d. 1 oct. 1784, ſequentia edixit. Annum ſe nunc agere 42,dum optimæ ſemper fuiſſe valetudinis, ultimis exceptis duobus annis, quibus, poſt lapſum ex equo, non interruptum paſſus ſit dolorem in pectore ſiniſtro circa quartam coſtam; parvi initio rem habuiſſe, equo vectum eſſe, ſpirituoſa ingurgitaſſe. Quatuor poſt lapſum ſeptimanis, acerbiori dolori ſuperveniſſe febrem pectoralem, ex qua paulo poſt convaluerit, ſuperſtite dolore. Hunc ſenſim ita auctum eſſe, ut redux Pariſiis iter, quod ultima æſtate fecit, perficere impotens, in via alicubi decubuerit. Meliore tantillum conditione repetiiſſe Argentoratum, ſed non amplius muneri fungendo aptum. Nuncce (ſc. d. 1 oct. 1784) dolorem ex fixo vagantem factum eſſe, ut jam pectus ſiniſtrum, jam ejus lateris abdomen dorſumve, jam brachium ſiniſtrum, perraro dextrum patiatur, eſſe & reſpirationem difficilem, moleſtum in latere ſiniſtro decubitum, vexare tuſſim ſiccam per menſem, incedere ſe corpore curvato; appetitum interim non deficere, nec minui corpus. Hæc ille. Perſtabant mala ſymtomata, datis licet, quæ videbantur, convenientibus in Noſocomio remediis. Liquit igitur ædes d. 26.mo Acerbius autem in dies malum reduxit ſupplicem d. 20 novembris, cui nunc totum opprimabatur pectus, & vehementer laborabat reſpiratio, minore tamen doloris ſenſu. D. 11 decembris veſperi, quum ex ambulatione leni rediret, tanta reſpirationis difficultate correptus eſt, ut, ne momento ſuffocaretur, copioſe ſanguis detractus ſit. D. 12, bis idem inſultus rediit.

Aneuryſma Aortæ. D. 13, quarta vice, ſemper eodem lenitus remedio; id autem tantum exinanivit hominem, ut brachii ſiniſtri pulſus defecerit. Mox anheloſa facta reſpiratio, ſomnus ea nocte nullus, decubitus neque in latere ſiniſtro, nec dorſo ferendus, ſenſus caloris interni, frigentibus extremis. Obiit luce ſequenti. Hæc, uti monui, tradita habeo; neque enim unquam vivum hominem vidi.

§. 9.

Examen Anatomicum oſtendit, in fine Arcus Aortæ, poſt emiſſam nempe arteriam ſubclaveam ſiniſtram, *Aneuryſma verum*, quod pollices quinque longum, tres cum dimidio latum erat, atque infixum vertebris dorſi tertiæ, quartæ, quintæ, ſextæ, ſeptimæ, octavæ. In harum corporibus ſiniſterius latus carie exeſum erat, intactæ autem cartilagines quæ ſpatia intervertebralia replent, neque ligamentoſa illa, quæ anterior eſt, faſcia ullo modo affecta, præter quod ex ſitu, quem habere debet rectilineo, in arcum dextrorſum convexum inflectebatur. Saccus ille ingens, quem Aorta dilatata obtulit, retrorſum inſigni hiatu ruptus erat, ſed ita, ut margines corruptam vertebrarum partem ambierint, incluſerint, atque nulla fuerit ex arteriæ cavo extrorſum communicatio, nec ullus extra arteriam in mediaſtino poſtico elapſus ſanguis. Cavitas autem ſacci, plurimum in ſe habuit coagulum ſanguinis, pollicis craſſitie, cariei contiguum, ibi denſiſſimum, antrorſum rareſcens, ut in antica ſacci parte, liberum remanſerit tranſeuntis ſanguinis iter; conditionem coaguli ſimilem cæterum deprehendi deſcriptæ a Cel. W. Hunter (*a*). Craſſitudo ſacci

(*a*) *Med. Obſ. and Inq.* I. 346.

a reliqua aorta vix differebat; parum hac tenuior videbatur. Pectoris viſcera nil morboſi obtulerunt. *Aneuryſma Aortæ.*

IV.

EFFECTUS ANEURYSMATIS DESCRIPTI.

§. 10.

Effectus Aneuryſmatis deſcripti.

NOTABILIORES hujus morbi effectus, *dolorem perpetuum*, *cariem*, *mortem*, rimari, non inutile erit.

§. 11.

DOLOREM omnibus Aneuryſmatibus tandem aſſociari, & perpetua auctorum obſervatio eſt, & ex preſſione facile intelligitur, quam tumoris auctum volumen in vicinas partes exercet, quamobrem & alii preſſionis effectus, tenſio, inflammatio, gangræna, communi gradu cum dolore incedere ſolent. Preſſio tamen hoc in caſu doloris cauſſa fuiſſe non potuit, quoniam hic lapſus momento adveniebat, ubi nondum dilatata arteria nec premere potis erat. Videtur itaque conſtans dolor in diſtractis arteriæ tunicis reſediſſe, ortus eſſe vi ſubito ex lapſu illata, continuatus ſanguine qui debile jam vas urgendo diſtendit. Dolori huic *idiopathico*, acceſſiſſe tumore adulto, premente nervi octavi atque intercoſtalis & truncos in abdomen abituros, & numeroſas in Arcu Aortæ ramificationes, *ſympathicum*, probabile reddunt ſenſationes ſucceſſu temporis, ex fixis, vagæ in pectore, abdomine, brachio ortæ. cf. & §. 13.

§. 12.

Graviſſima affectio omni in Aneuryſmate inveterato, oſſibus vicino eſt horum *caries* (p. 401, 453,) in cujus

Effectus Aneuryſmatis deſcripti. originem ibi etiam inquiſitum eſt. Non deſunt auctores, qui omnes promiſcue partes ab Aneuryſmate deſtrui ajunt, plurimi duras præ mollibus affici affirmant; unicus quantum memini, W. HUNTER (*a*), *cartilagines non affectas* notavit, ubi quæcumque alia deſtructa erant. Integras etiam cartilagines mea obſervatio oſtendit. Unde hoc? Ratio quidem quam adducam parum ponderis apud illos habebit qui ſæpius cartilagines cum oſſe deſtructas legerunt. Aſt conſiderent velim, toties inventum non eſſe, in quod non inquiſitum eſt, ſæpe certo in reliquarum partium communi ſtrage animadverſas non eſſe ſuperſtites cartilagines a loco præprimis naturali motas, repreſſas. Fatendum itaque primo, me neque ſolutioni partium in ſanguine, iſtarumque abſorptioni, nec eroſioni humorum ichoroſorum, admodum favere (p. 401,) ſed omnia pulſui arteriæ adſcribenda eſſe perſuaderi, prouti jam expoſitum p. 456 legitur; proinde modo expediendum eſt, cur aliæ præ aliis patiantur partes. Tam in philoſophia naturali, quam œconomia animali veritas ſtat, vim illidentem in corpus, huic eo magis nocivam eſſe, quo major ei durities, & quo minor ſimul elaſticitas eſt. Hinc duriſſimum os atque cedere neſciens, nunquam impune continuum fert impulſum. Cartilago contra elaſtica, quoties urgetur, toties cedit, & mox vim vi reddit, id quum ſemper eadem lege accidat, integritas corporis conſervatur. Molles partes tamdiu cedunt innocue, quamdiu, vel ſoluta continuitas nondum eſt, vel duris appreſſæ non ſunt, hoc autem facto, ipſæ compreſſæ durarum legem ſubeunt.

(*a*) *Med. Obſ. and Inq.* I. 348.

§. 13.

Effectus Aneuryſmatis deſcripti.

MORTEM duplici modo Aneuryſma verum inferre, omnia auctorum documenta docent, dum aut rumpitur & *ſanguinis*, quem vomit, *profuſione*, necat, vel preſſione lethalem inducit *gangrænam.* Neutrum in caſu deſcripto accidit, ei tamen morbo ſuccubuit homo. Docent & ſimilia, exempla in opere ſparſa (p. 37, 160, 164? 169, 171, 176, 179, 230), annotationes p. 430, atque W. HUNTER (*a*). Hæc dum comparamus, apparet, occidiſſe alios *dolorem* (p. 164, 179, 230, 430, ubi ſcilicet citatus MORGAGNI eum effectum de dolore edicit), alios (§. 8, p. 37, 160, 169, 171, 176,) *virium imbecillitatem* abſtuliſſe. Dolorem quidem, eumque acerbum diutiſſime tolerare vitam hominis quotidianæ obſervationis res eſt, verum & illud unicum ſymptoma viciſſe naturam, ſæpe numero alias notatum, confirmant allegata loca; id, quomodo fiat, adducere, ſuperfluum eſſe puto. Quatenus autem ex Aneuryſmate ita frangatur vis cordis, ut tota tandem deficiat, expedire lubet. Quouſque ſine ullo impedimento ſanguis in totum corpus æquabiliter diſtribuitur, cor, acceptum fluidum conſtanter tubo arterioſo reddit, nunquam a perpetuitate laboris fatigatum. Verum quando arteria alicubi dilatata eſt, majore in quantitate ſanguinem recipit, qui denſatus ſacci partem implet, interdum ita ut lumen quod ſupereſt multo minus ſit diametro arteriæ naturali (*b*). Sive hoc ſit, ſive cum parvo

---

(*a*) *Med. Obſ. and Inq.* I. 350.

(*b*) Coagulum ſanguinis ex ſacco ut plurimum in arteriam utrinque extenditur, ut inde ſanæ cæterum arteriæ lumen minuatur.

Effectus Aneuryſmatis deſcripti. coagulo fluidi ſanguinis lacus quaſi in ſacco contineatur, undæ advenienti poſita reſiſtentia eſt. Cor proinde inique depletur; refluit pars propulſi verſus illud; inde turbatus ejus motus, palpitatio. Intenduntur itaque vires & minuuntur, quo magis vacillans in ſacco reſiſtentia augetur. Interim & pulmones ſanguine infarciuntur, dum cor poſterius non bene inanitum, omnem, quem pulmo ſinui infundere debet, cruorem, recipere nequit; ex quo difficilis evadit reſpiratio. Omnia iſta ſymptomata eo graviora ſunt, quo vicinius cordi Aneuryſma. Viribus itaque, magis, magiſque debilitatis, nullas tandem ſupereſſe ſequitur. Acceleratur lethum, quando cauſæ huic, hæmorrhagia accedit. Sanguinis quidem incredibilem jacturam, quæ lente fit, abſque incommodo perfert homo, minoris impatiens ſubitæ (plures minores venæ ſectiones nunquam id efficere, quod una grandis præſtat, practici norunt.) Hinc ſanguis, ſive ex ſponte rupto Aneuryſmate parva licet quantitate effluens (*a*), ſeu ex venis detractus, animi deliquia, & eam impotentiam infert, quæ priſtinæ addita debilitati inevitabile fatum adducit.

V.

CURATIO INTERNA ANEURYSMATUM.

§. 14.

Curatio interna Aneuryſmatum. *CURATIO ANEURYSMATIS* duplex eſt, interna ſ. palliativa ſ. medica & externa ſ. radicalis ſ. chirurgica (v. p. 509; & citatos ibi auctores). *Interna* vocatur, quæ victu

(*a*) Multos, qui rupto Aneuryſmate, hæmorrhagia periiſſe dicuntur, inanitione non mortuos eſſe, ſed ipſo de quo loquor virium defectu, perſuaſus ſum.

victu tenui, quiete corporis, venæ ſectione, medicamentis diluentibus, atque refrigerantibus perficitur (v. p. 41, 67, 431, 605.) Plura in opere ſparſa ſunt Aneuryſmatum verorum (*a*) externorum, interna medela mitigatorum (p. 51, 131, ſq.) exempla, ut illius effectus negare, nefas eſſet; eaque, ut in externis, ita & in internis Aneuryſmatibus erit proficua, & in his quidem eo avidius arripienda, quum chirurgicæ locus non ſit. Quum vero HAENII (*b*) deſiderium » Cognitio Aneuryſmatum, utinam ſignis munita pathognomicis eſſet! « neminem chirurgorum adhucdum non premat, caute mihi medicationes, quæ deſcribuntur, internæ accipiendæ videntur. Nunquam major me tenuit præſentis, quod ſanatum legi, Aneuryſmatis interni dubitatio, quam quod in arteria cœliaca ſe obſervaſſe ſcribit LANCISIUS (p. 72.) Illa enim, qua morbum diſtinxit in ægro obſervata ſymtomata, pulſatio nempe moleſta, anhelitus & cordis angor, Aneuryſma quidem illarum partium profecto comitata eſſent; aſt toties aliis cum ægritudinibus perinde obvia ſunt, palpitationum cordis nomine. Senſiliſſimam eſſe corporis partem, quæ retro ſcrobiculum cordis eſt, obſervata docent, dum mentis commotiones eum præcipue locum ſenſu afficiunt, docetque theoria, dum ibi eſt in plexu ſolari centrum omnium abdominis nervorum. Diatheſis hypochondriaca & hyſterica hanc naturalem ſenſilitatem ita auget, ut frequentiſſima ibi ſint enumerata

Curatio interna Aneuryſmatum.

(*a*) Aneuryſmati ſpurio, plane nihil curationem internam utilis afferre, illius idea monſtrat.

(*b*) *Rat. Med.* V. 187.

Curatio interna Aneuryſmatum.

ſymtomata; ut ipſe obſervavi. Si & remedia conſidero, quæ Aneuryſmati illi tulit Lanciſius, ſemper magis in mea ſententia confirmor, quum cardinalia interna, venæſectionem, quietem corporis, & Diætam tenuem, ibi fuiſſe adhibita non invenerim. Animadverſiones iſtæ plus minuſve alias, de ſanatis medice Aneuryſmatibus internis, poterunt ferire obſervationes; præcipue quum pulſatio moleſta unicus morbi affertur caracter. Dubitare mecum hac in re invenio D. MONRO (*a*).

§. 15.

Ad internam curationem etiam naturæ in ſanando Aneuryſmate efficacia pertinet, de qua cf. p. 125, 545.

(*a*) *Eſſ. and Obſ. Phyſ. and Litt.* III, 261. If LANCISI, and other practical authors, have not *miſtaken the diſorders*, Anevriſms have ſometimes been cured by a proper regimen, and medecines.



JOH. MARIÆ LANCISII

DE

ANEURYSMATIBUS

OPUS POSTHUMUM.

LANCISIUS
DE
ANEURYSMATIBUS.

LIBER PRIMUS
DE ANEURYSMATIBUS IN GENERE.
PROPOSITIO I.

Agitur de Aneuryſmatis Etymologia.

QUAMQUAM Galenus 6. Met. cap. 1. non laudaverit Medicos curioſos nominum diſquiſitores: rerum namque naturas, non nominum voces diligentiùs præſtat inquirere; nihilominùs cum nomina ſapientum ſint munera, ut putarunt Cratylus, Heraclitus, & Pythagorici, eaque media ſint inter ideas dicentium, aut ſcribentium, ac judicantium, aut legentium, quæ ideas rerum in nobis excitent; ſtatim firmandum cenſemus, quid Priſci, quibus ſummum arbitrium, & jus fuit rebus nomina imponendi, de Aneuryſmatis etymo ſenſerint.

Aneuryſmatis vocem, quam Arabes corruptis nominibus Emboryſma, Aporiſma, Hyporiſma, Latini verò ſtrictiori ſenſu Arteriæ dilatationem à triplici Græco vocabulo apud noſtros derivatam invenio. Primò etenim Hieronymus Montanus Aneuryſma enervationem tranſtulit ab *ἀ* privativâ particulâ, & *τοῦ νευροῦ*, id eſt à nervo,

& quamquam hujuſmodi etymon minimè probetur Marco Aurelio Severino De noviſſimis obſervatis abſceſſibus cap. VII, pag. 170. (neſcit etenim intelligere, quò hujuſmodi translatio referatur, cùm ſpecie differat Nervus, qui iſtius ſedes non eſt affectus, & Arteria, quæ ſedes eſt mali) attamen iſthæc etymologia aliquo modo exponi poteſt, ſi accipiamus enervationem pro Arteriæ debilitate: eo quòd reverâ in Aneuryſmate eadem Arteria ſummoperè infirmari, dum dilatetur, neceſſum ſit. II. Johan. Baptiſta Silvaticus ſedulus inter Galenicos iſtius mali ſcriptor, Aneuryſma à verbo græco εὐρύνω quod *dilato* ſignificat, non inepto vocabulo deduxit: cùm in communibus Aneuryſmatibus Arteriæ adſit dilatatio. Poſtremo præcitatus Severinus ſcribit, Aneuryſma vocari translatâ græcâ dictione εὐρηνειν quæ Latinis idem ſonat atque *exilire* ſeu *effluere*.

Sed inquiet aliquis veſtrum, qualemnàm bonam, utilemque eruditionis frugem ex hiſce Græcis derivationibus, quæ ad Grammaticos potius, quàm ad Medicos ſpectare videntur, nos hodie colligemus. Sanè ſtatim reponimus hujuſmodi voces Græcas nobis ſcitu neceſſariiſſimas, docere quot, & qualia univerſaliſſima fuerint apud Practicos Aneuryſmatum diſcrimina: ſcilicet duplicis ordinis; primò enim vocarunt Aneuryſma tumorem illum, qui ex Arteriæ dilatatione producitur. II. Aneuryſma etiam dixerunt alteram Arteriæ affectionem, in qua, apertis quomodolibet Arteriis, ſanguis erumpit, ac proſilit. Unde nos curabimus in ſequentibus hujuſmodi generalia diviſionis membra, ita ſejungere, ut Aneuryſmatis doctrina clara, atque utilis, quantùm ſumma hujus rei difficultas patitur, poſſit evadere.

PROPOSITIO II.

Exponitur generalis Aneuryſmatis idea cùm deſcriptione locorum, quæ ab hoc malo affici ſolent.

Cum ſcientia locorum affectorum apud Priſcos Medicos, tanti fuerit, ut Hippocrati idem ſit locorum, ac ipſorum morborum diverſitas, eâ ratione moveor hìc ad ea deſcribenda loca, quæ ab Aneuryſmate ſolent occupari, ut ducto ſtatim hoc veluti affectarum partium filo, ab Ariadneo Aneuryſmatum labyrintho ſi fieri poteſt, aliquando nos expediamus.

Sciendum eſt itaque præprimis, quemadmodum Hippocrates medicina in cunis adhuc vagiente, nullius Aneuryſmatis meminit Arteriarum, ita poſtmodum adoleſcente Arte, quemadmodum apud Galenum, Paulum, Oribaſium, Aëtium, Actuarium, & Avicennam, iſtius in Arteriis mali plurima leguntur exempla; ſic apud eoſdem, quantùm hactenus videre potui, altum eſſe ſilentium de Aneuryſmatibus Cordis, ejuſdemque maximorum vaſorum, quæ deinde minoribus natu Chirurgis, & Medicis frequenti cadaverum ſectione innotuerunt: ſed quoniam ut clara evadat doctrina hæc Aneuryſmatum, neceſſarium eſt nonnulla aſſumere veluti poſtulata, quæ planam nobis reddant, quæ nunc aſpera eſt, viam, idcircò ſit ſequens

PROPOSITIO III.

Breviter proponuntur, quæ neceſſaria exiſtimantur de ſtatu naturali, & præternaturali impetus Cordis in ſanguinem, nec non ſanguinis in Arterias, & quæ ſit ſtructura, craſis, & proportio prædictorum inter ſe.

Cum nobis agendum ſit de Aneuryſmatibus tam Cordis, quàm Arteriarum, jure licere putamus, parumper digredi circa ea, quæ claram notionem ſubminiſtrare poſſunt, ut cauſas, & modos quibus tam varia hujuſce morbi diſcrimina oriri poſſint, probè intelligamus. Et quoniam Aneuryſma eſt vitium viarum ſanguinis, quod circulationem perturbat, ut ſuo loco videbimus, ea hîc præmonenda videntur, quæ doceant ſtatum priùs naturalem inſtrumentorum motus ſanguinis; recto enim intellecto meliùs innoteſcit obliquum.

Primò itaque ponendum eſt tamquam indubitatum, circulationem ſecundùm naturæ leges fieri, ſubminiſtratâ debitâ ſanguinis quantitate à Venâ Cavâ, & Pulmonari utrique Auriculæ Cordis & ab iis immiſſa in Ventriculos, à quibus magnâ vi idem ſanguis urgetur in Arterias, & Venas, ut denuò reducatur in Cavam.

Secundò firmandum eſt, ut hujuſmodi, quæ dictu facilis eſſe videtur, operatio contingat, plurima inſtrumenta, & cauſas concurrere debere. Sed quæ ad noſtram explicandam doctrinam præcipuè conducunt, tria eſſe putamus. Primò vim, & ſtructuram determinatam machinæ thoracis, Cavæ radicis, Auricularum, & Cordis, quæ omnia ad motum, & impulſum ſanguinis validè conſpirant. II.

Quantitatem & qualitatem determinatam ſanguinis à ſupradictis moventibus impellendi. III. Determinatam reſiſtentiam, motum, figuram, & libertatem Arteriarum, & Venarum uſque in Cavam. Quæ quidem tria brevibus perſtringuntur, ſi dixeris opus eſſe movente, mobili, & viis.

Tertiò ſimiliter ſupponendum, inter tria ſuperius enunciata particularem quandam proportionem debere intercedere in tempore, in vi, & reſiſtentiis. Primò etenim inſtrumenta reſpirationis, neque minus, neque magis, quàm par eſt, debent operari. Ita pariter Auriculæ, & Ventriculi Cordis ſuis perturbari non debent in motibus. Ipſi quoque Ventriculi tantâ vi ſanguinem in Arterias opus eſt impellant, ut major ſit reſiſtentia ejuſdem ſanguinis, ſed non major reſiſtentia diſtractarum Arteriarum. II. Dein ſanguis determinatis quantitate, pondere, fluiditate, momento velocitatis, & craſi, neceſſe eſt inſtruatur, & polleat : ſi enim exiguæ, vel maximæ ſit quantitatis, ſi in ſpecie gravior, ſi minùs fluxilis, ſi acer, & mordax; hæc quidem vitiabùnt leges proportionis, quæ intercedant oportet inter vires impellentis Cordis, & impulſi ſanguinis, ac inter impulſum ſanguinem, & reſiſtentias, atque particulares texturas, ſeu ſuperficies continentium parietum, ac vaſorum : finge namque naturali conditione graviorem, & tenaciorem eſſe ſanguinem, certè idem à Corde ægrius urgebitur, & inter inæquales, aſperasque Cordis capacitates minùs liquidas, & magis graves particulas facilè relinquet : ac proinde tum Cor neceſſariò afficietur, tum venturus à tergo ſanguis ſuo in itinere ſiſtetur, quod ſanè maximo cum continentium capacitatum, ac vaſorum diſcrimine continget.

Finge rurſùs ſanguinem acrem, ac mordacem; tunc quis non videt ab eodem gracilem villorum cordis, & Arteriarum texturam, ſi diu hæreat cum iis, de facili poſſe diſſolvi?

Demum Arteriæ ipſæ & figuram cylindricæ ſimilem habere debent, & fibrarum firmitatem, & cohæſionem eò uſque tantummodò diſtractilem, ut dum eædem Arteriæ in ſyſtole reperiuntur, minorem habeant reſiſtentiam ad impetum ſanguinis, majorem verò, dum poſitæ ſunt in diaſtole, ut ſuperiùs diximus, unde Arteria contra ſanguinem reſilire poſſit, & contrahi. Cogita modo Arteriam alicubi, vel externo incidente, aut contundente inſtrumento debilitatam, aut naturaliter, laxè, & minoribus fibris contextam; tunc fieri non

poterit, quin ſtatim tibi veniat in mentem, reſiſtendi vim apud eandem Arteriam paulatim cum vi projecti ſanguinis æquandam, ac temporis proceſſu minorem adhuc impetu ſanguinis evaſuram, ſeu hîc, illicque rimas aperituram. Præſertim cùm niſus propulſi ſanguinis ſit extrinſecus, ſcilicet à Corde ipſis Arteriis adveniens, ac proinde vehementiùs in eaſdem agat, ut patet ex ſcientia virium percuſſionis, & exemplo fiſtularum plumbearum, per quas ex altiori ſitu aqua devolvitur, quæ ubi minorem quàm oportet, fiſtulæ offendit reſiſtentiam, facilè illam ſuperat, ac perrumpit. Nemo enim inficiabitur, ſciſſâ uſque in capacitatem Arteriâ, liberum ſanguini exitum præberi, quia omnis ablata eſt tunicarum reſiſtentia.

Ad vias etiam ſanguinis reducitur libertas Arteriarum. Etenim ſi alicubi compreſſa, conſtricta, obſtructa, aut aliter vitiata inveniatur, tunc ſanguinis fluxu cohibito, ſtatim ictus fluidi ſanguinei reflectitur, ac reverberatur, ſeu duplicatur contra ſolitam reſiſtentiam ſuperioris ſectionis Arteriæ, aut cavarum Cordis. De quibus omnibus (ſingillatim, & fuſiùs particularibus in locis repetendis) ſuperſedebimus hîc longiùs diſquirere.

PROPOSITIO IV.

Exponitur generalis quædam Aneuryſmatum definitio.

Longus ſanè, & omninò inutilis eſſet labor aliorum hîc definitiones Aneuryſmatum perſtringere, cùm Auctores particularia quædam ab ipſis cognita, & viſa, non verò omnia & ſingula comprehendere tentaverint, quod equidem nobis in animo nunc eſt, nec omninò diffidimus id aſſequi poſſe; conſtat enim in quolibet Aneuryſmate Cordis, vel Arteriarum cum fluxu ſanguinis in vicina ſpatia, vel extrà corpus, aut ſine ſanguinis affluvio ſemper admittendam eſſe enervationem, ſeu divulſionem aliquam fibrarum, Arteriarum tunicas, vel muſcularem Cordis, aut Auricularum carnem texentium, quare neceſſariò concipere debemus, in omnibus Aneuryſmatibus villos, ac fibras plus minusve ab eo cohæſionis, & nexûs momento, quo ad invicem colligantur, & connectuntur recedere debere.

Sit igitur generalis hujus mali definitio, nimirum Aneuryſma eſt imminuta plus, minusve, aut omninò ablata cohæſio villorum con-

tractilium, Arterias, & Cor alicubi texentium, unde oritur, vel tumor pulſatilis Arteriæ, vel fluxus vehemens ejuſdem ſanguinis extrà Arteriam. Si quis enim attentè perpendat hujuſmodi deſcriptionem, certè cognoſcet, quascumque Aneuryſmatum ſpecies alterâ ex iis conditionibus donari, ſcilicet plus, minusve imminutâ, vel omninò ablatâ cohæſione fibrarum Arterias, vel Cordis machinam componentium.

Sed quoniam enervata fibrarum cohæſio multipliciter contingere poteſt, eâ de re clarioris doctrinæ gratiâ hoc mali genus in ſuas quasque differentias dividendum, ac ſubdividendum eſſe putamus. Quapropter ſit

PROPOSITIO V.

Oſtenditur neceſſitas dividendi Aneuryſmata in varias differentias, ſed præſertim in Aneuryſma legitimum & ſpurium.

NULLA profectò in Arte, vel Scientia evidentius, quàm in Medicina illud apparet, quod ſcriptum reliquit Plutarchus, nomina ſcilicet numero pauciora ſemper fuiſſe numero ipſarum rerum, nos enim uno, eodemque ſæpiſſimè vocabulo plures inter ſe, & naturâ, & exitu diſtinctos morbos appellamus, ut res per otium attentè conſideranti liquidò patebit. Hodie equidem clarum iſtius animadverſionis offendimus exemplum in eo, circà quod verſamur argumento, Aneuryſma enim, ut in præcedenti Propoſitione obiter tetigimus, quamquàm ſedem habeat in Corde, atque in Arteria, non unicam tamen eorum affectionem (ſi Priſcorum veſtigia premere velimus) indicare videtur.

Neque tantummodo in firmanda hujus mali eſſentiâ diverſas Medici adhibuerunt ideas, ſed vel in recenſendis cauſis vario illarum genere uſi ſunt: Nunc enim ex Arteriarum, Cordisque vulneribus iisque nunc ad uſque cavam penetrantibus, nunc verò externas dumtaxat tunicas ſcindentibus, nunc ex contuſionibus, compreſſionibus, aut eroſionibus, vel nimium auctis ſanguinis conatibus ortum habere ſcripſerunt; cumque hæ cauſæ non agant ſingulæ eâdem ratione, ac nunc in Arteriarum, Cordisque ſubſtantiam; quinimò (quod maximi eſt) cum non eadem omnibus, ſed ſingularis ſingulis, ex prædictis cauſis propria opponatur curatio, unicâ certè mentis notione

multiplex hujus mali ſtatus, & cauſarum concurſus contineri non poterit; ſed opus erit in ſuas claſſes, ac differentias ſingula Aneuryſmata probè referre. Ita ſiquidem, perſpectis ſingillatim veris, ac ſpecificis ideis, & cauſarum agendi modis iſtius funeſtiſſimæ ægritudinis, mens noſtra prius accedat ei veritati, ad quam ſapiens Medicus, priuſquam ſuam curationi manum admoveat, inhiare debet, ut facilè ſuos ponat ob oculos veras rationes, quibus fit, ut nonnulla Aneuryſmata citiſſimè, nonnulla tardius, nonnulla verò nunquam ægros ad tumulum, niſi ſenectute collabentes perducant.

Primò itaque dividemus Aneuryſmata in legitima, & ſpuria. Legitima vocamus ea, quæ fiunt à cauſis proximè debilitantibus Arteriarum vel Cordis texturas, & reſiſtentias: nimirum quæ brevi tempore tollunt aut ſaltem imminuunt firmum, validumque villorum nexum; & hujus porrò generis alia ſunt, quæ ab exterioribus cauſis, puta vulneribus, aut contuſionibus oriuntur; alia verò quæ ab interioribus, nimirum nunc à naturali villorum paucitate, ac laxitate, nunc ob culpam accreti morbi fiunt, cujuſmodi ſunt eroſiones, aut villorum tabeſcentia.

Spuria verò appellamus Aneuryſmata, quæ ab initio non pendent à debilitata reſiſtentia villorum, ac fibrarum Cor, & Arterias texentium, ſed potius ab adaucta vi impetus, vel recti, vel reflexi ſanguinem ſupranaturalem, & ordinariam Arteriarum, & Cordis reſiſtentiam impellentis; ita ut debilitatio, ac diſciſſio villorum poſterior ſit, ſeu effectus adaucti momenti impetus, ac niſus ſanguinis ad conſuetas vaſorum reſiſtentias. Hanc ſpeciem Aneuryſmatis producunt validi corporis conatus in Bajulis, ac Tubicinibus, qui motum atque impetum ſanguinis naturali conſtitutione longè voluntariis ſuis niſibus majorem reddunt. Hanc quoque accerſunt Arteriarum alicubi convulſiones, compreſſiones, ac obſtructiones, ut in hypochondriacis, quibus ſanè cauſis, ſi eroſio poſtmodum acceſſerit, ſpurium Aneuryſma in legitimum tranſit.

Secundò Aneuryſmata legitima rurſus dividimus in ea, quæ conjunctam habent integram tunicarum Arteriarum, aut partium Cordis ſciſſuram, exeſionem, aut quemcumque alium hiatum, per quem ſanguis extrà cava, & quandoque extrà corpus erumpat, vel comitem habet ſolam dilatationem diametri cavi Arteriæ, vel Cordis: unde tumor iis in locis, non quidem à vicinis partibus ſanguine

repletis, ac diſtenſis, ſed à valido impetu fluentis per ea cava liquidi elevatur.

Ex iis verò Aneuryſmatis diſcriminibus attentè perſpectis, tamquam per Corollarium deducere poſſumus, non omne Aneuryſma ſub tumorum genere comprehendi: cum ea quæ à confoſſis Arteriis, aut Corde fiunt, cadunt ſub genere hæmorrhagiarum: & ea ſolum ad tumores reduci poſſe, quæ à laxatis, eroſis, aut quoquomodò diſtenſis ſupra naturalem Arteriæ diametrum fibris oriuntur, ſuperſtitibus ſemper integris vicinis partibus, aut ſaltem ſi externa fuerint univerſalibus tegumentis, quæ tumidæ arteriæ ſuperinducuntur.

Sed quoniam diverſa eſt ratio, ſeu ſaltem concipiendi modus generationis Aneuryſmatis in Arteriis, ac in ipſo Corde, idcircò, ut utrorumque Ætiologiæ, quò fieri poteſt clarius percipiantur, conſentaneum ſuo loco ducimus agere prius de Arteriarum Aneuryſmatibus, quippe quæ frequentiora ſunt, ac magis obvia: ut deinde facilius ad Cordis Aneuryſmata aggrediamur.

Advertenda hîc ſigna, quibus diſtinguitur Aneuryſma Cordis à Pericardii tumore. Vidimus enim quendam inauratorem, qui cum viveret Cordis palpitatione, & ſpiritus anguſtiis laborabat, quique palam Aneuryſmate certe tentatus credebatur; is poſt varias ſanguinis miſſiones, à quibus alleviari videbatur, repente obiit. In cujus poſtea cadavere prægrandis abſceſſus, qui diſruptus liquorem meliceroidem effudit: occupabat autem Pericardii baſim, unam inter, alteramque tunicam.

LIBER SECUNDUS

DE ANEURYSMATIBUS PARTICULARIBUS.

CAPUT I.

De Aneuryſmatibus legitimis Arteriarum.

CUM Aneuryſmata legitima Arteriarum, ea eſſe dixerimus, quæ proximè ab omninò ablatâ, vel infirmatâ alicubi reſiſtentiâ ipſarum Arteriarum proficiſcuntur, nemo certe in horum intimas naturas penetrare poterit, quin recte prænoſcat veram Arteriarum ſtructuram, earumque particulares affectus. Sit proinde

PROPOSITIO VI.

Firmatur qualis ſit vera Arteriarum ſtructura, earundemque uſus.

QUAMQUAM Arteriæ ſint tubi cylindrici, quorum textura in quaſque partes facile reſolvi poteſt; nihilominus clamoſa viget apud Anatomicos quæſtio de earundem ſtructurâ; alii enim contendunt fibris utcunque contractilibus; alii etiam muſcularibus conſtare, quibus fibris dilatari & conſtringi aliter crediderunt; alii ſecus nullis ordinatis, ſeu organice contextis fibris compaginari voluerunt, ſed illarum texturam nihil aliud eſſe, quàm tomentoſum quoddam villorum aggregatum communi tunicâ circumſeptum, ut ſcilicet ſanguinis niſui tantum cederet, quantùm diſtrahi poteſt, ut naturaliter veniant in contractionem. At verò miror ſane, quomodo in re oculis obviâ etiam claſſici Auctores hallucinati fuerint, præſertim poſtquam Williſius egregiam diſſecandi Arterias methodum tradidit.

Ut igitur hujus canalis ſtructura eluceſcat, ſumatur quicumque Arteriæ ramus: ſed ut facilius nudis oculis occurrat, experimentum ſumatur Arteria Magna, eaque, intruſo apto ligneo cylindro, ferventi aquâ ſæpius madefiat; deinde cultro, & ſtylo ab exterioribus

in partes interiores ſenſim procedatur ; ita enim quatuor diſtinctis membranis Arterias compaginari deprehendimus.

Prima eſt pure villoſa, & tenuiſſimis conſtans filis, quæ ſi elevare tentaveris, eadem implicata cernes perinde quaſi goſſipii fila, aut raram iſtorum filorum ſpumam, qua folliculus ſericus exterius circumducitur : intra hujuſmodi fila implicantur exillima vaſcula tum ſanguinea, tum nervea.

Secundam deinde membranam denſiorem, ac diſtractioni magis reſiſtentem offendes, hæc Williſio glanduloſa creditur, & nobis quidem ſe habere videtur veluti propagatio pleuræ, ſeu interioris Pericardii membranæ ; ſimilem enim ſoliditatem, ac texturam ſortitur : multis etiam inſtructa eſt fibris longitudinalibus.

Tertia vero plane fibroſa occurrit, & omnium eſt craſſiſſima, ita ut eâdem ſectoris dexteritate, ac patientiâ in plures laminas deduci poſſit ; quemadmodum nobis non ſemel videre contigit, & quod maximè notandum, hujuſmodi fibræ, quæ Galeno ventriculi lacertis aſſimilantur, revera circulares, ſeu annulares occurrunt.

Quarta ſeu poſtrema ex membranis eſt omnium ſubtiliſſima ſeu valida, & quamquam anguſtiſſimis foraminibus ſit pervia, diaphana tamen eſt, ac lumini objecta perlucet : hæc autem Arteriarum tunica, ei reſpondet, quæ interiorem ventriculorum Cordis faciem inveſtit, quæque cum denſiſſimâ villorum texturâ compaginetur, ſubtiliores, ac volatiliores particulas facile procul dubio magnâ ex parte avolaturas unica coërcet : Rarior namque cæterarum textura volatiles partes ægre poſſet retinere. In hac ſane membranâ duo inſuper obſervanda ſeſe exhibent, primum interior ejuſdem facies tota oleaceo quodam glutine lævigata, quo glutine influenti liquori via redditur expeditior, ac magis lubrica. Alterum, non ubique, ſed certis in locis, & potiſſimum in magnis Arteriarum ramis occurrit diſtributio quorundam adipoſorum folliculorum, qui citrà microſcopium in Aorta evidenter cernuntur : à quibus probabile eſt adipem ſeparari, & colligi, indeque ſeparatum hîc illicque opportunè ſenſim evomi, ut oleacea hujuſmodi ſubſtantia Arteriæ lævigentur, ut ſuperiùs diximus.

Ex iis porrò clarè deducere poſſumus, Arterias, cum denſis, ac ſeſe decuſſantibus fibris (quas contractiles eſſe nemo inficiabitur) obvolvantur per vim, & molem ſanguinis à Corde exeuntis ultrà

naturalem diametrum, in quo flaccidæ, ſeu laxæ eſſe ſolent, diſtendi, ſed poſtquam ad ultimum diſtenſionis ſtatum venerint, & moles ſanguinis à Corde noviter expulſa in ſucceſſivas Arterias rapidè præterfluxerit, introrſum confeſtim propria fibrarum reſtitutione, nec non etiam alternativa cum Corde vigoratione ſeſe proripiunt, ut hac ipſa ratione novum impetum langueſcenti alioquin in curſu ſuo ſanguini novum impetum adjungant.

PROPOSITIO VII.

Proponitur idea, & diviſio Aneuryſmatum Arteriarum ex vulneribus.

Cum agentes de Aneuryſmatibus in genere inter cauſas legitimorum Aneuryſmatum enumeravimus vulnera: hæc autem in ſenſus noſtros faciliùs quàm reliquæ cauſæ ſoleant incurrere, ordo, ratioque expoſcit, ut à magis perſpicuis, ac facilioribus initium ducentes, primò enarremus Aneuryſmata ex vulnere inducta.

Notandum autem, ſectionem Arteriæ, per quam ſanguis liberè, & extrà corpus fluit, non eſſe verum Aneuryſma: cùm hoc malum reducatur ad genus vulnerum, & hæmorrhagiarum. Nihilominus tamen quoniam ex hujuſmodi inciſione frequentiſſime oritur tumor, qui paſſim Aneuryſma dicitur, non immeritò de Arteriæ vulnere omnium primò nobis agendum eſſe ducimus: quia probè intellectâ ratione tum modi, quo vulnus reverà in Arteriâ apertum fuiſſe cognoſcitur, cum methodi quâ idem citò curari poteſt, nondum factum Aneuryſma præcaveri, factum verò facilius curari poterit.

Notandum II. vulnus Arteriæ vel pertingere ad ipſius cavum uſquè, ita ut inde ſanguis vehementiſſimè ſtatim ejaculetur; vel non penetrare uſque in cavum ſciſſis tantummodò membranis exterioribus cum parte etiam fibrarum circularium. Qui caſus licet ſit rariſſimus, aliquando tamen poteſt contingere: & contigiſſe memini cuidam, cujus hiſtoriam inferius narrabimus. Et quoniam utriusque caſus, rationes, ac medelæ non ſunt eædem, ideò diſtinctis Propoſitionibus agemus de ſingulis.

PROPOSITIO VIII.

Quomodo cognoſcitur Arteriam uſque in cavum vulneratam fuiſſe.

Cum Arteriæ vulnus plerumque contingat in Venæ ſectione, cujus abuſui fortè hanc datam fuiſſe pœnam nonnulli ingenioſè opinantur, non immeritò oſtendenda ſunt ſigna, quibus non venam ſimpliciter, ſed ſubjectam inſimul, vel ad latus poſitam Arteriam inciſam fuiſſe cognoſcamus, neque enim ſatis eſt ad aſſerendam Arteriam vulneratam fuiſſe, ut ſanguis ex vulnere tenuis, fervidus, & in ſpatium ſatis diſtans proſiliat: fieri enim poteſt, ut inciſâ tantummodò vena in juvene bilioſo, iracundo, acutâ febri detento, & in quo anaſtomoſis aliqua Arteriæ cum Vena proxima ſit, emiſſario in vena aperto, ut, inquam, omnia ſuperius enunciata phænomena abſque ullo Arteriæ vitio contingant. Secus autem vulnerari poteſt, à Phlebotomò Arteria, etiamſi ſtatim ſanguis magno cum impetu non egrediatur: ſcilicet quotieſcumque injectum ſuprà Venæ inciſionem vinculum adeo perſtrictum fuerit, ut ſimul cum Vena Arteriam etiam validè comprimat, curſumque per illam ſanguinis infrà ligamen prohibeat.

Et quoniam Chirurgus, ac Medicus accerſiri poſſunt ad inviſendum ægrotum, vel dum adhuc Barbitonſor eſt in actu miſſionis ſanguinis, vel poſtquam circumducta de more faſcia, ſanguis per illam trajicitur, aut ſi non amplius trajicitur, elevatus eſt in parte tumor, quem noſtri Ecchymoſim vocant; utriuſque caſus pathognomonica ſigna tradenda ſunt.

Cognoſcitur primò Arteriam fuiſſe vulneratam, dum actu liberè ſanguis fluit, non tantum ex ſaltu, & ſumma fluxus vehementia; ſed potiſſimum tentando validè pollice premendo, tum ſuprà, tum infrà vulnus; ſi enim vena tantummodò aperta fuerit, tunc eadem compreſſa infrà emiſſarium è veſtigio ſanguis fluere deſinet; ſecus autem ſi Arteria fuerit inciſa per inferiorem illam compreſſionem non tantum non ſiſtitur ejuſdem hæmorrhagia, ſed adaugetur, nec eadem retardari poteſt, niſi forte compreſſione ſuprà ipſam inciſionem, unde impediatur excurſus ſanguinis per Arteriam ad apertum locum.

Si verò Barbitonſor exiſtimans ſe venam aperuiſſe cum Arteriam vulneraverit brachium conſueta faſcia in cubitu jam deligaverit, tunc accerſitus Chirurgus vel Medicus clarè poterit dignoſcere

Arteriam pertuſam fuiſſe; ſi ſedulò advertat, vel ſanguinis effluvium, nullâ aliâ ratione ſiſti poſſe, quàm injecto fortiſſimo ſuprà vulnus vinculo, vel jam ſuppreſſam eſſe hæmorrhagiam, ſed inde natum tumorem Anſerini ovi circiter magnitudinem æquantem, qui principio pulſat, & longè major eſt eo, qui ex Vena duntaxat aperta attollitur. Deinde verò durus, & validè renitens cum ſepulta ob coagulatum in ſuccutaneis, & muſcularibus ſpatiis ſanguinem pulſatione; quæ vix à peritiſſimis dignoſci ſoleat. Quinimò aliquando ipſa pulſatio omnino ceſſat, non ſolùm quia concretus ſanguis pulſationi mirum in modum reſiſtit, ſed vel maximè quia Arteria comprimitur, atque anguſtatur ab effuſo ſanguine ex vulneratis vaſis in interſtitia adjacentium partium: quo ſanguine Arteriæ tunicæ extrinſecus gravatæ, ac veluti conſtrictæ dilatari nequeunt ab urgente intrinſecus ſanguine per Arteriarum canales impulſo: hujus enim vis impar eſt oneri extrinſecus prementis ſanguinis attollendo. Signa ſunt etiam vulneratæ Arteriæ dolor in loco compuncto, & propagatio ſtagnantis ſanguinis per infernas brachii partes, unde ſolet non rarò necroſis induci, ut inferius docebitur. Color Ecchymoſis primò eſt ruber, deinde liveſcit.

PROPOSITIO IX.

Quid ſentiendum de eventu vulnerum Arteriarum.

DISTINGUENDUM eſt in Arteriarum vulnere qualitas, & ſitus canalis; ſi enim Arteria ſit magna, eaque aliquo in ventre inciſa, cui nullâ ratione mederi poſſimus, res eſt omninò conclamata. Si verò ſermo ſit de Arteriis minoribus, artus, vel externas muſculares partes occupantibus, eæ, quidem ſi peritum in veſtigio inveniant Artificem, difficiles utique curatu, ſed non impoſſibiles erunt; niſi tamen affectum membrum ex orta Ecchymoſi in gangrænam, & ſphacelum tranſierit: tunc enim res eſt periculi plena, ita ut ferè omnes, qui ex vulnerata in cubitu Arteria deceſſerunt ob illatam brachii necroſim obierint: cui, ut opportunè ſuccurratur, ſint ſequentes Propoſitiones.

PROPOSITIO X.

Proponuntur methodi curandi vulnera Arteriarum minùs rationales, ac laudabiles.

Ut in omni protinùs Arte, ita in Re Medica accidit, ut quot ſunt Artificum capita, tot ferantur agendorum ſententiæ, hinc plurimæ proponuntur à practicis curandi rationes in Arteriarum vulneribus: quarum quidem rationum, cum aliquæ optatis minimè reſpondeant, ægros in vitæ periculum ut plurimùm inducentes; has non incongruum erit primo referre, ut juniores ſtatim in limine, quod vetare debent inveniant: Harum vero

Prima eſt illorum, qui vulneratam Arteriam igne tractant; atqui non advertunt iſti, tranſacto triduo, cadentem eſcharam illicò ſanguini fores aperire, & ut ægris vitæ diſcrimen, ita Chirurgis infamiam afferre.

Secunda illa eſt, quæ jubet vulneratam Arteriam emplaſtro adſtringente cùm pulvillis, & circumductâ faſciâ in loco dumtaxat affecto fortiter eſſe comprimendam. Sed hujuſmodi methodus ſi ægrum inveniat cacochymum, aut nimis plethoricum, prohibendo excurſum liquidorum ſanguinis, ac lymphæ à partibus infra conſtrictionem poſitis, in hac facile necroſim producere poteſt, unde ægrotus mortem, quam ex hæmorrhagia vel Aneuryſmate vitare ſatagit, forſitan citiùs incurrit.

Tertia eſt illorum, qui laudant, & magni faciunt aquam ſtypticam, quam ſauciatorum anchoram vocant. Hac enim linteamina quintuplicata probe humectant, & orificio Arteriæ, vel trunco membri extirpato juſto injecto vinculo ſuperimponunt, illamque ad ſidera extollunt, affirmantes momento temporis congelare ſanguinem, ac vaſa protinus corrugare. Sed licet is non ſim, qui hujuſmodi aquæ efficaciam in ſiſtendo ſanguine, non majorem ſimplicis aquæ pluviæ vel fontis credam, ut famigeratiſſimus quidam noſtrâ ætate Vir ſcriptum reliquit: ejus tamen energiam eo ipſo nomine periculoſam, quod magnâ polleat vi cogendi, ac ſiſtendi ſanguinem, quæ quidem vis tanta eſt, ut prædicta aqua in vivi canis Venas infuſa, è veſtigio idem animal in miros ejulatus, inque varias, vehementesque convulſiones urgeat, brevique interimat. Quare

metuendum mihi videtur, ne, cùm in Arteriarum inciſionibus ut plurimùm Venæ etiam vulnerentur, iſtius liquoris particulæ redeunti verſus Præcordia ſanguini permixtæ eum, cum in Cordis ventriculis, tum in Pulmonibus coagulent. Id quod probè norunt ii, qui experimento compererunt, quod ipſe ſæpius obſervavi ex effuſa aqua ſtyptica amputatis membris, poſt modicum temporis intervallum, varia Cordis pathemata, aſphyxias, eandemque mortem, magno cum Chirurgorum dedecore ſuperveniſſe. Illud tamen tacere non poſſum inter aquas ſtypticas nonnullas inveniri, quæ non fiunt ex deſtillatis vitriolo, alumine, ſed ex ſolutis dumtaxat in aqua pluvia addita etiam terra Japonica, hæ enim habent utique vim conſtringendi ob ſalium auſteritatem, ſubitam tamen, ſed ſanguini coagulationem nequaquam inducunt: verùm, ut inferius dicemus, præſtat topicis glutinoſis, & in emplaſtri formam, quam aqueis in ſanguiferorum vulneribus uti; vel ipſe enim aquæ ſtypticæ contactus noxius eſt; facilè enim (cum fluida ſit) extrinſecus illita interiora ſubit, & perniciem affert.

PROPOSITIO XI.

Quæ ſit opportunior methodus pro curandis Vulneribus Arteriarum, dum actu fluit ſanguis.

ANTEQUAM methodum, ac viam curandi Arteriarum vulnera exponam rationi magis conſentaneam, eorum error abjiciendus, qui exiſtimant, quo minus coaleſcant vulnera, atque cicatrice obducantur, inopiâ fieri materiæ vi corporis partes inſtaurandi præditæ: quam quidem Veteres ex ſpermate proficiſci commenti ſunt.

In qua opinione refellenda tempus non teram. Duæ igitur potiſſimæ ſunt cauſæ, quibus vulneratæ Arteriæ coire prohibentur: diſtantia nimirum, ac diſtractio labiorum vulneris, ac motus ſanguinis, alternaque Arteriarum ſyſtole, ac diaſtole. Quarum cauſarum prima eſt veluti intrinſeca, & aliis corporis partibus communis, quæ ex fibris contexuntur, quibus inſita eſt facultas ſe contrahendi. Etenim inciſæ fibræ ſeſe contrahentes labia vulneris diducunt: quamobrem aptari nequeunt, ac glutine jungi, ferruminarique: Altera vero cauſa Arteriis eſt propria ac peculiaris, motus videlicet ſanguinis, qui ex Corde pulſus tunicas Arteriarum diſtendit: quò fit, ut vul-

neris labia alternatim recedentia, atque accedentia inter ſe committi non poſſint : cum ſtatim ac coire cœperint, ſanguinis impulſu divulſa removeantur, glutine disjecto adhuc molli, & infirmo.

Ex his apertè intelligitur Arteriarum vulnera curationem facile, obductâ cicatrice, admiſſura, ſi eorum labia inter ſe admota, atque conjuncta, probè aptentur, ac diutius in eo ſitu contineantur : interim verò una curatur, ne ſanguis ad affectam partem impellat, vel ſaltem ut ipſius impetus quoad fieri poterit infringatur, ac debilitetur : hâc enim ratione ſuccus, qui ex tunicarum fibris ſponte manat nutritioni idoneus ſenſim coaleſcet, ac inflictam plagam glutinabit.

Quamobrem inciſarum Arteriarum curatio in tribus potiſſimùm repoſita eſt. In cito nimirum ſanguinis fluxu ſiſtendo, deinde in vulnere apte deligando, tertiò in idoneo remedio topico admovendo.

Quod ad primum attinet, nullum efficacius, ac tutius eſt auxilium ad vulnerum labia componenda, ſanguiniſque impetum, atque effluvium cohibendum, quàm admotis vulneri pulveribus digitis, ac manibus hiantem Arteriam comprimere, ac diuturno continere, donec confirmetur. Utinam in Emin. Purpurato, aliiſque quibus Romæ loco Venæ inciſa fuit Arteria, ipſi Chirurgi non ſolis faſciis, ſed miniſtrorum digitis confiſi, ſanguinem ſiſtere curaſſent, procul dubio iidem ægri non deceſſiſſent eâ citiſſime privati animâ quam ſatis impiè in ſolò ſanguine locavit Galenus. Quid enim facilius eſt apud divites, vel etiam apud pauperes in Noſocomiis, quàm per vices mutare miniſtros, & famulos, qui exitui ſanguinis diligenter invigilent, & ſuis digitis optimè renitantur. Sed quoniam fieri poteſt, ut adſtantes, etiamſi fuerint neceſſarii, adhuc tamen tædio afficiantur, idcirco chalybeum inſtrumentum inventum eſt apud Gallos, quod perſimile dixerim illi inſtrumento, quo ad repellendum omentum, vel inteſtinum apud hernioſos utimur ; habet namque vim elaſticam foris intrò urgentem, quod ſanè, cum violenter dilatatur, membrum admittit, ſed poſtea in naturam ſuam rediens affectum locum ita premit, urgetque, perinde quaſi miniſtri digitus eſſet : Quinimò cum inſtrumentum non undequaque, & circulariter, quemadmodum faſcia, ſed oppoſitis quaſi punctis anteriori nimirum ſupra vulnus, & è diametro poſteriori dumtaxat pone brachium valide nitatur, opportuniſſimum eſt ad inhibendum exitum ſanguinis, ſed

ſed non ad prohibendum fluidorum itum, reditumque per alia quæque vaſa, cum ſpatia lateralia ſuperſint, quæ à preſſione ſunt omninò libera. De cætero hujuſmodi machina parari etiam poſſet cum cochlea, per quam circumducta ferrea ſpira pro opportunitate ſubjectam laminam plumbeam, ſupra vulnus magis, vel minus urgeat. Doctiſſimus de Nuck in ſuis Experimentis Chirurgicis Exp. 29. pag. 99. torcular in delineatâ figurâ proponit, quod huic uſui tanto certe accommodatius eſſet, quantò facilius, ac citius ex faſciis in circulum ductis parari poteſt, niſi ipſa refluentis ſanguinis renitentia, ſummopere obſtaret. Anxie interim expectamus novum, ſi talis eſt, modum ſiſtendi ſanguinis citrà ligamen, quem ſpondet in ſua IV Epiſtola D. Deſnoves Chirurgus Gallus.

Cum proviſum fuerit exitui ſanguinis, ſtatim cogitandum erit de convenienti per faſciam conſtrictione, nec non de qualitate topici admovendi. Circà faſciæ admotionem, eam ſemper in iſto caſu præferrem, quam proponit alias laudatus Genga; hæc enim à ſummis & ſingulis digitis incipiens in brachio, vel in crure, ſenſimque ſcandens per Venarum curſum uſque ad affectum locum, ubi firmius pluries, ac decuſſatim circumducta aſcendere debet, uſque ad humerum, vel ad coxam. Ita enim probe compreſſis Venarum, Arteriarumque extremitatibus, ne remoram faciant, ac necroſim inducant, prohibentur. Juvat etiam rotundam aſſulam in parte internâ humeri, de more faſciis conſuere, & fortiter deligare, ut ſanguinis decurrentis per Arteriam impetus ſi non plane tollatur, ſaltem diminuatur.

Denique quamquàm unio, & cicatricis obductio, omninò pendeat à natura, nihilominus juvari poteſt per admotionem remediorum, quæ in iſto caſu (excluſis ſpiritibus mineralibus) multiplicia eſſe poſſunt: & idcircò varia apud Auctores proſtant in forma ſcilicet pulveris ex bolo armeno, terrâ ſigillatâ, ſcoriâ ferri, myrrhâ, lapide hæmatite, gypſo, terrâ Japonicâ, radicibus conſolidæ, plantaginis, ſed potiſſimùm ex vitriolo calcinato, ſeu ex pulvere, quem unguentum armarium vocant: In forma etiam emplaſtri calcinati ex iiſdem pulveribus, cum ſucco plantaginis, conſolidæ, & urticæ, nec non albumine ovi, & modico laudani opiati; fert enim & Wepferus laudano Arteriæ vulneri admoto hæmorrhagiam ſtetiſſe. Sunt qui magis compendiariam curam faciunt (aliquandò enim ruri facere cogimur) utentes fruſtulo caſei recentis, & non faliti, quod gluti-

noſum quid habet vaſorum unioni admodùm conſentaneum. Sunt qui ceratum laudant, cujus hæc ſit formula.

℞. Pul. Catechu.
Croc. mart. adſtr.
Terræ vitriol. dulc. } a ℥ i j.
Bol. armen.
Ter. ſigill. rubr. } a ℥ j.
Thuris,
Myrrhæ. } a ℥ ſſ.
Opii pulv. gr. viij.
Comphoræ gr. jv.

cum ſufficienti quantitate cereæ reſinæ pini, & olei hyperici f. ceratum molle. Huc etiam conferre poteris, quæ deſcribit Julius Cæſar Claud. conſ. 67.

Sunt qui laudant emplaſtrum de calcitide, quod apud Roſinum Lentilium Miſcellaneis Medicis Præf. Tit. Empl. de Calcit. pag. 66. deſcriptum invenies, quique ſubdit hujuſmodi remedium à Screta plurimum fuiſſe commendatum in Aneuryſmate nondum inveterato, ubi monetam minorem, aut laminam plumbeam cum hoc emplaſtro diu applicare jubet, & quidem duriuſculum vinculum, vitatis exercitiis vehementioribus, & diætâ parciore primum inſtitutâ.

Priuſquam igitur faſcia circumducatur, labia vulneris carptis linteis emplaſtro hoc, vel pulveribus immixtis erunt obturanda, deinde monetâ plumbeâ aut æneâ cum quintuplicato linteo (imbuto liquore ſtyptico, ex ſolâ infuſione, & ebullitione cholcotaris vitrioli factâ in aquâ tormentillæ chalybeatâ) muniatur pars affecta : quæ deinde in ſitu magis naturali, ſed paulò elatiori collocata faſciis modò ſuperius indicato, ſed inter ſe contrariis cum ordinibus circumductis appoſitè deligetur; neque interim per octiduum de alio cogitare oportet, quàm de quiete illius membri, & de reiterata ſæpe in die humectatione faſciarum in loco vulneri reſpondente cum liquore ſtyptico, qua ſanè via ipſe Galenus v. method. cap. 6. plura Arteriarum vulnera à ſe feliciter curata tradit. Quod ſi aliquid mali ex fortiori conſtrictione infernis partibus timeretur, eædem ſæpe vino myrrhato, aut ſpiritu vini camphorato erunt fovendæ, cavendo ſemper, ne hujuſmodi liquida vulneratum locum tangant. Tranſacto octiduo, auferenda erit ferula, & laxandæ parumper faſciæ, donec denudetur

vulnus, quod emplaſtro, moneta plumbea, plumaceolis, & faſcia rurſus muniendum, & quidem quanto diuturnior erit geſtatio faſciarum, tanto validior ſingulas membranas comprehendens generabitur cicatrix, idonea ad reſiſtendum impetui ſanguinis: Memini duorum virorum, qui per integros annos monetam plumbeam cum faſcia ſuprà cicatricem prudenter geſtarunt. Secus atque aliquibus accidit, qui ſuis viribus, & apparenti cicatrici nimirùm fidentes enata inde Aneuryſmata infeliciter ſuſtulerunt. Cujus ſanè eventus cauſa patentiſſima eſt: etenim cùm Arteria ex pluribus, ut diximus, tunicis conſtet, quarum tertia diverſis fibrarum ordinibus invicem decuſſatim advolutis comprehenditur, fieri interdum poteſt, ut per validas faſciarum conſtrictiones, & per admota adſtringentia exteriores tunicæ coaleſcant, interioribus verò adhuc divulſis, quibus ita ſtantibus ſi tollatur ſuperadditus faſciarum obex, ſanguis adhuc appellens cum ſolito minorem reſiſtentiam offenderit, locum diviſionis neceſſariò diſtrahet, & ad amplitudinem coget, ſeu in tumorem, quem Aneuryſma dicimus, ſenſim elevabit; quòd ſi fuerit in principio, ſolo uſu faſciæ comprimentis, & adſtringentis feliciter curari poteſt, ſi verò ad magnam excreverit amplitudinem, tunc efficaci opus erit Chirurgiâ; quam dabimus Prop. XV.

Loquendum pariter eſſet in curâ vulneris Arteriarum de aliis remediis, quæ univerſum corpus reſpiciunt, puta de ſanguinis miſſione, ſi æger ſit robuſtus, quam ex contrariis partibus celebrandum eſſe laudamus: hæc enim molem, & motum ſanguinis avertit, quominus ad affectum locum influat: De rigoroſa diæta, quæ vulneratis ſemper conducit, ac proinde tantopere ab Hippocrate commendatur: De juribus vulnerariis, quæ reſinoſis ſuis particulis citam vulneris agglutinationem adducere ſolent: De vini abſtinentia: De alvi lubricitate per clyſteres promovenda, nec non etiam per blanda ſolventia, ſi pravus adſit corporis apparatus, qua ſanè in re legatur curatio facta cum purgantibus à Gulielmo Fabricio Hildano Cent. 3. obſerv. 44. Tandem de quiete tum animi, tum corporis: ſed cum hîc agamus de parte præcipuè Chirurgica, aſſumimus jam peritum Medicum hiſce ægrotantibus conſilia, opemque opportunè laturum, idcircò à longiori iſtarum rerum diſquiſitione libenter abſtinemus,

PROPOSITIO XII.

Agitur de vulnere Arteriarum cùm Ecchymoſi, quam verum eſſe Aneurysma probamus.

Rectè quidem Thomas Bartholinus cent. 3. Epiſtolarum Epiſt. 54. Deum precari ſolebat, ut hujuſmodi Aneuryſmatum ſpecies, vel averteret, vel curæ ſuæ ſubtraheret, cum plerumque mala iſta lethalia ſint, eorumque progreſſus à minimo ad maximum incuriæ Chirurgorum, ac Medicorum à vulgo hominum ſoleant adſcribi. Ut igitur ægris vitæ periculum, profeſſoribus propriæ diſcrimen famæ opportunè præcaveatur, in memoriam identidem vocandum eſſe cenſemus utiliſſimum illud adagium. *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* tota namque offenſio hiſce in caſibus ſita eſt in eo, quod Artifices timidiores, quàm ratio poſtulet, tùm in prædicendo, tùm in operando ſe oſtendant; neceſſarium quippe cenſemus, ut ſtatim atque accerſiti ſunt Chirurgus, & Medicus, delineatam futurorum malorum tabulam, ſi à filo rectæ curationis vel minimum deflectatur, tùm ægro, tùm neceſſariis viriliter oſtendant; facto dein prognoſtico, totos ſe curationi accingere debent.

Sed hîc me continere non poſſum, quin acriter ſuccenſeam nonnullos, qui parvum morbum extollere ſolent, quo ſe magis præſtitiſſe videantur, loquor de illis, qui vocati ad inviſendum ægrotum, cui à Barbitonſore miſſus fuerit ex brachii medianâ ſanguis, illicò compunctam fuiſſe Arteriam, ex eo deprædicant, quòd tumorem inveniant ovi magnitudine cum dolore, & levi ſepultâ pulſatione. Etenim interdum vel Nervus, vel tendo bicipitis, una ſimul cum Vena ſauciari poteſt, atque complicata Ecchymoſi Venoſa cum ſubjectæ partis convulſione, ſæpe Arteria conſtringi aliquomodo poteſt, & liberum ſanguinis curſum præpedire, quod ſatis eſt ad ſepultam producendam pulſationem abſque legitimo Aneuryſmate. Legatur quæſo hiſtoria XII obſervationum Riverio communicatarum à D. Pomaret, & ſi fieri poteſt riſus contineatur; ipſe enim non potui cum probè cognoſcerem peritiſſimum alioqui Chirurgum univerſo imponentem orbi pro vero Aneuryſmate accepiſſe Venoſam Ecchymoſim in ſuppurationem cum doloribus, febribus, ac vigiliis tranſeuntem, tandemque apertam, repurgatam, ac brevi ſanatam. Sed redeamus in viam.

Cùm hìc agendum nobis propoſuerimus de Arteriæ inciſione cum ſupernato tumore, quem Ecchymoſim Arteriæ vocamus, auditores monere debemus, nos nunc in primo curandorum Aneuryſmatum limine verſari: Etenim quamquàm Sennertus, ſed præcipuè Diemerbrœk contra Regium hanc non admittant Aneuryſmatis ſpeciem, quam effuſionem ſanguinis ab inciſa Arteria in vicina ſpatia, non autem verum vocant Aneuryſma; nihilominus Priſcorum (quibus dare nomina rebus jus fuit) veſtigia prementes, dicimus, tumorem hunc reverà ad Aneuryſmatum claſſem eſſe revocandum. Ita ſentiunt Galenus lib. de tumoribus præter naturam cap. XI. Aëtius, Strabo IV. ſerm. II. cap. XI. Johannes Baptiſta Silvaticus in libello de Aneuryſmate, Platerus de cauſis vitiorum ab exuberanti, quem tranſcripſit Marcus Aurelius Severinus De Abſceſſibus ſanguinis, Antonius Saporta lib. primo de tumoribus cap. XLIII. ac denique Thomas Bartholinus in aureo ſuo commentariolo ad hiſtoriam Aneuryſmatis ex vulnere. De modo autem quo hujuſmodi tumor fit non admodùm laborabimus, cum clara ſit affectio, ſcilicet inciſa Arteria, ſed ipſa ad cicatricem non perducta, cutis vulnus coaleſcit, effunditurque proinde magno niſu ab Arteriæ hiatu ſanguis in vicina ſibi ſpatia, quæ vi cunei diſtenduntur, & implentur, ex qua diſtentione non ſolum affecti membri tumor enaſcitur, ſed vaſa omnia, & præſertim venoſa, ac lymphatica talem compreſſionem pati neceſſe eſt, ut inde ſtagnationes, coagulationes, necroſes fiant, ut ſuperius monuimus.

Hinc verò factum eſt, ut Aëtius advertit, Aneuryſma ex vulnere ortum eſſe non adeò molle, quam quod ex interna cauſa natum ſentitur; & quidem utriuſque ratio eſt in promptu. Etenim in eo Aneuryſmate, quod ex vulnere naſcitur, cruor extra vaſa erumpens, & à Corde continuò pulſus omnes cuti ſubjectas partes veluti cuneus diſtendit, atque elevat: mox verò iiſdem in locis coagulatur, & aceſcit, unde mixtus ex repletione, ac tenſione tumor ſuboritur. In altera autem Aneuryſmatis ſpecie aliter ſe res habet; cum ſenſim dilatata ipſa Arteria, liberum eundi, ac redeundi ſpatium ſanguini præbet, etiamſi poſtea ejuſdem acceſſerit Arteriæ ruptura, ut ſuo loco docebimus.

Sed clarioris doctrinæ gratia ſit

PROPOSITIO XIII.

Proponuntur diverſi ſtatus Ecchymoſis ab Arteriæ vulnere factæ.

QUONIAM ſecundùm varios non ſolum corporis apparatus, ſed potiſſimùm modos quibus hujuſmodi ægri ab initio tractantur, varii eſſe poſſint ſtatús in quibus iidem à ſuperveniente Chirurgo, ac Medico inveniantur, ut clara evadat curationis quæ ſingulis caſibus competit methodus, operæ pretium cenſemus hîc probè diſtinguere, ac ſeorſim trifariam illos conſiderare. Primò cum Ecchymoſis eſt recens, tactui cedens, non magna, nec adhuc nigricans. Secundò cum tumor magnus, & durus livorem contraxit, ſed nondum pars ſenſu carere incipit. Tandem cum finitimæ inferiores partes ipſæ quoque intumuerint, denigrentur, ſenſuque priventur, atque inſuper febris prehenderit, aliqua phænomena ſupervenerint, quæ non tantùm futurum in parte ſphacelum, quantum etiam necroſim ipſius ſanguinis in univerſum corpus circumeuntis oſtendant.

Si quis autem diſtinctos hoſce caſus ſibi optimè non propoſuerit, difficile admodum eſt, ut rationalem curationem inſtituat, ſed ſola empyrica ductus in duobus perpetuò verſabitur periculis, ut vel carnificinam adhibeat, ubi placidior ſatis eſſe poterat medela, vel blandiori utatur medelâ; ubi carnificina opus erat; quæ quidem pericula ut evitemus, ſequentes damus Propoſitiones.

PROPOSITIO XIV.

Qua methodo utendum in recenti Arteriarum Ecchymoſi, & nominatim Arteriæ in flexura brachii poſitæ, quæ regula eſſe poteſt omnium aliarum, quæ in Artubus locatæ ſint.

CUM recens Arteriarum Ecchymoſis ea ſit, in qua ſanguis majori ex parte adhuc eſt fluidus, & nondum aceſcens, loca admodum à vulnere diſſita, eorum interſtitia cunei inſtar trajiciens, occupaverit, ſpes effulget ſimpliciori curatione ægrotum evaſurum: quæ curatio in eo conſiſtit, ut ſanguis ex Arteria Axillari erumpens cohibeatur ea ratione, quam ſuperius demonſtravimus; compreſſa nimirum eâdem arteriâ ſub humero per aſſulam deſcriptam Propoſitione XI. aut ſolis digitis periti miniſtri, deinde collecta Ecchymoſis evacuetur;

Id autem ita efficitur. Primùm cutis, & ſubjectæ membranæ ſcindantur, donec ſanguis partim coagulatus educatur; deinde ſeparato nervo Arteria denudetur unico patens hiatu, eoque non admodum diducto, & divulſo. Mox laudarem Gallorum methodum, quæ ab Ettmullero deſcribitur in Chirurgia Medica tit. de Aneuryſmate pag. 564. quæque tota verſatur in applicatione parvorum globulorum magnitudine piſi paratorum ex vitriolo Cyprio ad albedinem calcinato, qui probè goſſypio involuti imponuntur foramini Arteriæ, atque intereà vulneri inſpergunt pulverem ex thure, & colophonia, & replent cavum plumaceolis digeſtivo illitis, faſciaque aptè quotidie obvolvunt, exteriores plumaceolos amoventes quo plus evacuari poſſit, globulos verò, & proximos vulneri Arteriæ plumaceolos non removent, niſi ſponte cadant; vitriolum namque liquefactum rodit nonnihil labia Arteriæ, quæ renovata eroſione, & inducta adſtrictione per proximum nutrimentum denuò conglutinantur, ubi advertatur, ſi cederit globulus, priusquàm ſatis conglutinata ſit Arteria, novum eſſe imponendum, donec habeatur propoſitum: hinc etiam caro muſculorum vicinorum facilè ſupercreſcit, & tandem ulcus ex toto conſolidatur.

Neque intereà reliquæ parvi faciendæ erunt indicationes Propoſitionis XI. circà victus rationem, & reliqua præſidia expoſitæ.

PROPOSITIO XV.

De Ecchymoſi orta ex Arteriarum Carotidum vulnere.

Cum apud Milites evenire præ cæteris poſſit, ut quis levi perſtringatur vulnere in exterioribus tunicis alterius ex Carotidibus, quæ idcircò debilitata interiori tunica tandem dehiſcat, ſanguinemque in vicina evomat ſpatia, undè Ecchymoſis oriatur: in hoc rerum ſtatu cavendum omninò arbitramur ab efficaci Chirurgia, quam ſuperiùs propoſuimus, & quidem multis de nominibus: Primò metu repentinæ, atque irreparabilis hæmorrhagiæ, cùm in colli Arteriis oſſa proximè non ſuſternantur quibus valida vincula injici poſſint: Secundò, quia ipſamet vincula vitam in perniciem adducunt. Legatur hac ſuper re curioſa non minùs, quàm ſincera, omniumque Chirurgorum mentibus infigenda hiſtoria à Clariſſimo Harderio ſuarum obſervationum LXXXVI. recenſita, cujuſdam

nempe militis, qui ex tantillo ſiniſtræ Carotidis vulnere Aneuryſmate illius partis detinebatur. « Coacto Chirurgorum conſilio anceps » tandem curatio decreta fuit : locus hic Arteriæ vulneratæ notatus, » ejusque inferiore parte arctiſſimè compreſſâ, factâ lancettâ inciſio, » grumique ſanguinis exempti fuerunt, inde ſanguini Arteria ali- » quantum denudata cum impetu proſilienti, nodulis vitriolo coo- » pertis, & aquâ ſtypticâ madidis proſpectum, ſuperimpoſitis plu- » maceolis compluribus, eadem aquâ irroratis : aſt cùm ad ligaturas » deveniretur, quæ laxiores inefficaces fuiſſent, æger inter Chirur- » gorum manus expiravit. » Sic Harderius.

PROPOSITIO XVI.

Proponitur medela ad reliquos gradus Ecchymoſis Arterioſæ.

QUONIAM in propoſita diviſione Ecchymoſis Arterioſæ firmavimus, ſecundam, ac tertiam ſpeciem eſſe, cùm ad membri necroſim, & ad totius corporis necem tendunt; idcircò ſui cuilibet apta hîc exponenda videtur medela.

Si igitur Ecchymoſis nigricet, dura ſit, & magna, ſed nondum ſenſu careat ſanè efficaciori Chirurgia opus erit, quam longo uſu confirmatam ad unguem deſcribit Antonius de Nuck in loco aliàs citato, cujus integrum contextum, clarum æque ac brevem liceat hîc tranſcribere, inquit enim : *Ubi verò tumor notabile jam ſumpſit incrementum, & operationem ipſe patiens deſiderat, ſequenti modo procedendum cenſemus.*

Venæ ſectione pridie inſtituta, ægroque, « bene locato, miniſtro- » rum unus Arteriam ſuprà tumorem vinculo, vel ligamine, quo » pro libitu Arteriam hanc magis minusve comprimere valet (Galli » ut Tourniquet, Noſtrates Torcular vocant) contingat, mox Chi- » rurgus tumorem lanceola ſimili modo, quo abſceſſus aperiuntur, » incidat, incipiendo à parte inferiori verſus ſuperiorem : aperto » tumore, ſanguineque coagulato expreſſo, atque eruto, Nervus » ab Arteria, qua cum firmiter jungitur, prudentia ſingulari ſepa- » randus, vasque Arterioſum filo duplicato cera obducto, & per » acum incurvatam trajecto probè ligandum.

» Facta jam ligatura, ſanguine, & ſordibus vacuus locus linteis » carptis liquore ſtyptico imbutis, vel pulvere adſtringenti, vel

fungo

» fungo Boviſt aſperis, adimplendus; impoſitoque emplaſtro una
» cum defenſivo, faſciatio conveniens inſtituenda.

» Secundo, vel tertio poſt operationem die faſciationis fiat de-
» ligatio, majorque plumaceolorum pars removeatur, relictis autem
» iis tantum, qui in fundo locati erant, ne nova hæmorrhagia curam
» interrumpat; mox applicatis applicandis, faſciatio ut ante admi-
» niſtretur.

» Quarto, quintoque die ea quoque adſtringentia, quæ hactenus
» in fundo hæſere removere licebit, curandumque porrò, ut ſarco-
» ticis medicamentis excavatus locus novâ carne adimpleatur.

» Interim, ut brachium convenientem obtineat ſitum (quem
» nonnulli non ſatis curant) probè obſervandum: neceſſum enim,
» ut quodammodo plicatum cum manu elevata ſuprà pulvinar quieſ-
» cat, ut eò liberior ſanguinis fiat circuitus. Præthereà maximoperè
» conſultum injungere patienti, interdùm, ſed prudenter *brachium*,
» *cubitumque flectet*: hactenus de Nuck.

Alium breviorem, vel ſaltem magis ſecurum efficacis Chirurgiæ modum proponit, ac deſcribit Expertiſſimus Stephanus Blancardus in Inſtitutionibus Chirurgicis cap. XXIX. de Aneuryſmate pag. 481. qui ligatâ Arteriâ, & extracto coagulato ſanguine locum non vitriolo, aut alio ſalino, aut bolari adſtringenti, ſed linteo carpto, & balſamo copaive ſtatim implet, & vulnus fortiter ligat, neque ligamen removet priuſquàm locus carne ſit impletus.

Quâ ſane occaſione opportunè rurſus monere debemus, quanti ſæpe ſit periculi amputatis ſanguiferis vaſis ſtypticas vel ab acidis ſalibus utcunque diſtillatas aquas ad hæmorrhagias cohibendas admovere. Facile namque fit, quemadmodum ſupra innuimus, ut eædem ad Præcordia pertingentes (præſertim ſi languidus æger ſit) partim Auricularum convulſionem, partim ſanguinis coagulationem inducendo ſubitam necem inferant, ut nos ipſi tùm artis, cùm artificis dedecore olim vidimus.

Tandem ſi nobis occurrat æger gangrænâ affectæ partis detentus, tunc nullum aliud (ſi ſerum non fuerit) tentari debet remedium, quàm ejuſdem membri extirpatio: ſingula enim inutilia, & forte etiam periculoſa eſſe ſolent. Hanc ſuis experimentis edoctus unice laudat Barbetta in Chirurgia, non omiſſis diaphoreticis, & balſamicis per os exhibendis. Etenim hiſce in caſibus ipſa partis necroſis

minimorum vaſorum, & fibrillarum eroſiones demonſtrat, & Arteria; quæ ſola lanceolâ aperta fuit in fruſtula ita diviſa in cadaveribus inveniri ſolet, ut ſenſim diſſolvatur, & fraceſcat. Hoc demonſtravit primùm Thomas Bartholinus in Hiſtoria Anatomica Aneuryſmatis Diſſert. pag. 41. ubi poſtquàm infelicem caſum Hieronymi de Roggiere viri Neapolitani, cui Arteria loco Venæ pertuſa fuit, ſtatum deſcribit, in quo poſt mortem Arteria varias in fimbrias eroſa detecta fuit, quemadmodùm in alio vidit etiam Harderius Obſerv. LXXXVI. in quo Arteriæ bracheæ infeliciter ab imperito miniſtro vulneratæ fibrillæ ſuperſtites poſt mortem nonniſi tenui filo pendebant. Quare in hujuſmodi rerum ſtatu fieri non poteſt, quin ad Præcordia per Venas, & ad Cerebrum per Nervos veneficum quid recurrat, & aſcendat, quod toti corpori brevi necem minatur, niſi amputatione præmortui membri, & infuſione per os pharmacorum, & cardiacorum, diaphoreticorum, & balſamicorum citiſſime ſuccurratur. Hanc quidem methodum nonnullis ſalutarem fuiſſe vidimus, legimusque. Exhibeantur igitur potiones vulnerariæ cum radicibus ſcorſoneriæ, & contrayeruæ, Gelatina Cornu Cervi facta in aqua cardi ſancti, boli ex pulveribus radicis contraveruæ, myrrhæ, mumiæ, lapidis bezoar, bezoartico minerali, ſale volatili cornu cervi, ſuccini, ſed præ cæteris in partium necroſi ſummoperè proficuum expertus ſum ſpiritum optimi ſanguinis humani, qui bis in die ad gutt. X. in jure, aut decoctione ſupradicta propinari poteſt.

Sed priuſquàm ad alios curationum caſus procedamus, duo hîc ſolvenda occurrunt Problemata. Quare ſit

PROPOSITIO XVII.

Qui fiat, ut in parte ſupra Arteriæ conſtrictionem, aut amputationem poſita, non manifeſtetur ſpurium Aneuryſma, cujus inter cauſas ipſam convulſionem, & compreſſionem ſimus adnumeraturi.

Huic ſane quæſtioni facile reſpondetur, ſi duo primum conſideravimus. Primum, loca, apud quæ Arteriæ ligari, aut incidi ſolent, ſunt artus, non ventres, quibus ſane in locis varius occurrit ſtatus circumpoſitarum Arteriis partium; Arteriæ namque in artubus poſitæ inter muſculorum, tendinumque intercapedines validè colligantur, atque accedente veluti faſciâ ex communi omnium tegumentorum

thecâ muniuntur. Quæ verò per ventres feruntur Arteriæ præter propriarum tunicarum, & particularis abdominis, ac thoracis membranæ tutamen, fere nudæ procedunt; & quamquàm eædem à ſuperpoſitis viſceribus perpetuò tangantur, & urgeantur, variatis tamen ſemper contractionibus premuntur. Atque hinc ſane fit, ut Arteriæ, per artus divaricatæ longè majorem ſuperadditam habeant reſiſtentiam, quàm illæ, quæ per ventres feruntur.

Poſterior verò conſideratio ea eſt, in amputata, vel ligata Arteria, vel Aneuryſmatis curandi gratia, vel alterius artuum affectionis, novam ſemper ſuperiori Arteriæ tegumento ſuperaddi reſiſtentiam ex cicatrice inducta, quæ cùm per Arteriæ longitudinem fiat, novo adhuc tutamine Arteriam firmat, ac roborat.

Ex his verò clarè Problematis enodatio deducitur. Si namque concipiatur ſanguis per Arteriæ longitudinem in artubus fluere, & ad locum amputationis, aut vinculi pertingere, certe cum longe majus ſuperadditum reſiſtentiæ momentum ibidem inveniat, quàm in ventribus, minorem niſum extrorſum manifeſtabit in illis, quam in his, & idcircò ſpuria Aneuryſmata, ut ſæpe in ventribus, ita rarò in artubus obſervabuntur, niſi Arteriæ locatæ fuerint in ſuperficie manuum, aut pedum, quibus in partibus eadem afferri poteſt ratio minoris ſuperadditæ reſiſtentiæ, quæ cauſa eſt, cur facilius in ventribus hoc Aneuryſmatum genus appareat.

PROPOSITIO XVIII.

Cur truncata, vel ligata in Artubus Arteria inferiores membri partes læſorum nec motuum, nec nutritionis exhibeant indicia.

Hoc facillime dubium ex Anatomicis principiis enodatur, quibus docemur, naturam in vaſorum diſtributione non ſtatui dumtaxat naturali, atque incolumi, ſed vel morboſo opportune, ac divina plane ratione conſuluiſſe. Etenim (cum de Arteriis ſermo ſit) Axillares, Iliacas, Cervicales, Carotides, aliasque ita diviſit, & utrinque ad oppoſitas quasque partes per decuſſes ſtuduit diſtribuere, ut ſi unus ramus compreſſionem, obſtructionem, aut amputationem forte fortuna paſſus eſſet, vicinus, aut oppoſitus illicò ſuccurreret; unde etiam ſi Arteria, e. g. quæ ſub mediana Vena in cubito latet, truncetur, altera, quà foris, quà intùs ex Axillari producta, unde-

quaque varicata ſuccenturiatur. Non eſt tamen, ut caſum extraordinarium hîc taceamus: Nam aliquando non duplex ſed ſimplex eſt Arteria Axillaris, unde mors miſero ægroto allata eſt, & de qua Celeberrimus Bidlous (ut ſcribit Wolfius in obſervatione XIX. pag. 66.) recenſuit obſervationem juvenis, qui Hagæ Comitum oriundus Aneuryſma geſtaverat in brachio per aliquod tempus, quod cum de die in diem rueret in pejus Exercitatiſſimus Chirurgus Petri Adriani Verduyn Amſtelodami adhibetur in conſilium. Vide cætera apud eundem loco citato.

Illud verò hîc tacere non poſſum in iis, qui hujuſmodi paſſi ſunt infortunia, licet quod ad nutritionem attinet, nihil poſtea ſenſibile detrimentum patiantur, muſculorum tamen motus ſemper debiliores eſſe, quàm ſunt in ſanis, non quidem ob metum, ne Arteria læſa rurſus aperiatur, ſed revera quia cum flumen uberrimum ſanguinis una ſit ex cauſis motus muſcularis, deficientibus cum ipſa mole etiam aliquot tubulis illum ducentibus, neceſſario niſus, & vigor in muſculis paulo languidior obſervatur.

PROPOSITIO XIX.

De Aneuryſmate ex Arteriarum Vulnere, per quod externæ dumtaxat tunicæ vulneratæ fuerunt.

ETIAMSI, quod ad medelam attinet, parum diſtet ſpecies hæc Aneuryſmatis ab ea in qua Arteria uſque in Cavum inciſa fuit, ſed nondum Ecchymoſis producta, & de qua jam actum eſt Propoſitione XI. nihilominus cum hoc Aneuryſmatis genus, ex exteriori Arteriarum inciſione facultate tantum imaginandi excogitari, non autem re, nonnullis contingere poſſe forte videatur: eò quod primo rariſſime eveniat, ut lanceolæ, vel alterius inſtrumenti cuſpis eo, & non ultra pertingat: deinde quod licet poſſit accidere, cum exteriores membranæ ſanguineis vaſculis, ac proinde prompta nutritionis materia donentur, facillime conſolidari ſoleant: præſertim cum impetus Arteriæ admodum infractus ad externas partes pervenire credatur.

Sed pace iſtorum Philoſophantium hujus mali exemplum nunquam extaret. Sed quidquid in natura fieri poteſt, aliquando fit; multorum enim hiſtorias referre hîc poſſem, qui in hujuſmodi morbum

inciderunt: quos inter duos ipſe vidi, unum quidem ante 25 annos in Noſocomio S. Spiritus, alterum in Urbe decem circiter ab hinc annis, in quibus una cum Vena, etiam Arteria compuncta fuit, ita cum de more apud illos flueret ex inciſa Vena ſanguis, tunc nullum, propter relictum in fundo dolorem, naſcituri Aneuryſmatis indicium apparuit: unde conſuetis faſciis tractatum venoſum vulnus, brevi convaluit; ſed poſt aliquot dies tumor primum exiguus, deinde vero ſenſim ad ovi magnitudinem, isque pulſatilis, & pallidus elevatus fuit, qui omnium poſtea concurſu ſymptomatum pro legitimo Aneuryſmate confirmabatur.

Ut verò arduum minimè eſt concipere modum, quo hujuſmodi vulnus inducitur, cum lanceola per diametrum Venam ſecans ſubjectam Arteriam ita poſſit incidere, ut ad exteriores fibras perveniat, non autem introferatur, ſimiliter nulli erit difficile rationem invenire, ob quam ipſum ſuboriatur Aneuryſma: etenim cùm magno naturæ conſilio factum ſit, ut tota quanta eſt interior, exteriorque Arteriæ compoſitio, unicè collimet ad hoc, ut niſui projecti à Corde ſanguinis reſiſtat, ſi alicubi eadem quocunque modo diminuatur, tunc impetus vim ſuam contra debiliorem tunicarum aggerem exercens, eas ibidem facili negotio extrorſùm urgebit. Simile quid paſſim accidere videmus non tantummodò apud animalia in herniarum productione, quæ circà umbilicum quandoque fiunt, debilitatâ reſiſtentiâ muſculorum abdominis ad impetum extrorſùm propulſi à viſceribus Peritonæi, ſed paſſim etiam in artefactis, ac præcipuè in folle luſorio, qui duplici pelle, aut corio formatus, quoties inter ludendum alicubi contingat, ut exteriori pelle debilitetur, ac paulatim dehiſcat, tunc mirum eſt, quàm citò in quandam abeat Aneuryſmatis ſpeciem, cùm intruſus violenter intrà folles compreſſus aëris elater in internam tunicam per debilitatum locum ſub forma tuberculi in ſphæræ convexo elevari extrorſùm impellat, & adigat.

Multò tamen faciliùs hujuſmodi Aneuryſma apud eos accidit, qui pravis, atque erodentibus ſuccis ſcatent; tunc enim cùm è minimis, diſciſſis intrà ipſas Arteriæ tunicas vaſis, ichor aquæ fortis analogus in locum ſectionis depluat, neceſſariò impedit, quominus exteriores membranæ villi ad coalitum venire poſſint.

Juvat verò hìc tranſcribere hiſtoriam Clariſſimi Gulielmi Fabricii Hildani loco ſuprà citato, quæ ad vivum expreſſit Aneuryſma natum

ex ſola inciſione exteriorum Arteriæ tunicarum. « Quidam, inquit, » Ludimagiſter, cùm propter ſcabiem ex humore melancholico » ortam, ſibi Venam baſilicam dexteram à Barbitonſore incidi » curaſſet, Arteria quoque ſimul compuncta fuerat. Unde paulatim » Aneuryſma exortnm eſt, cui cùm menſis ſpatio, & ultrà medi- » camenta multa (fruſtrà tamen) adhibita fuiſſent, ad me tandem » Paterniacum venit. Eò loci, ubi Venæ ſectio facta fuerat, depre- » hendi tumorem magnitudine ovum anſerinum adæquantem, pal- » lidum, & utcunque durum.

In quo ſane exemplo illud animadverſione dignum, exiſtimo, quod propter ſcabiem ex melancholicis ichoribus ortam Ludimagiſter in Aneuryſma faciliùs inciderit.

Signa autem, quibus hæc ſpecies ab aliis, quæ ab inciſa uſque in cavum Arteria producuntur, probè diſtinguitur, ſunt primò, quod tumor non ſtatim atque pertuſum fuerit ſanguiferum elevatur, ſed ſenſim atque niſus ejuſdem ſanguinis ſuperat renitentiam debilitati loci, ſenſim etiam tumor apparet. Secundò quod color tumoris eſt cuti concolor, ſecùs atque in Aneuryſmate producto à penetratione intrà Arteriam, in quo Ecchymoſis neceſſario ſubſequitur, evadit liveſcens, ac ſubniger. Tertiò, quod ipſe pulſatilis tumor eſt aliis utplurimùm mollior, eò quod ſanguis, qui tumorem elevat it, reditque per Arteriam, niſi extrà ipſam Arteriam intercepti humores coaluerint, ut in Fabricii hiſtoria accidiſſe probabiliſſimum ducimus.

De prognoſi parva dicenda ſuperſunt, cùm ſi peritus accurrat Medicus, & Chirurgus, & præſertim ſi morbus fuerit in principio, atque in corpore non admodùm cacochymo, curationem facilè ſuſcipere poſſit.

Illud tamen hìc tacere nec poſſumus, nec debemus, quod ſi vel puſillum ſit Aneuryſma, & corpus pravis non ſcateat humoribus, vel ægrum puſillanimum cruciatibus tolerandis minimè parem futurum cognoſcamus, vel nullum verè peritum artificem præſto eſſe videamus, tunc tutius erit conſilium optimo ſex rerum non naturalium regimine Aneuryſma tractare, quàm ægrum certo vitæ diſcrimini audacter exponere. Monet id noſtrum experimentum, ſed & Expertiſſimus, Doctiſſimusque Daniel Sennertus, Medicinæ Practicæ lib. v. part. prim. cap 43. conſiderandam hiſtoriam deſcribit ſuæ cujuſdam vicinæ, quæ cum ex Arteriæ punctura in flexura cubiti Aneuryſma

nucis juglandis magnitudine contraxiſſet, poſt trigeſimum annum ſatis commodam vitam producebat: quod forſitan nequaquam eveniſſet, ſi periculoſæ curationi ſe ſubjeciſſet.

Quamobrem paucis medendi rationem exponemus: eodem enim modo curatur, ac primum Aneuryſmatis genus ex Vulnere penetrante illatum. Itaque, ſi opus fuerit, ægrotans epicratica purgatione tractandus erit, & fluida opportunè corrigenda, ſed potiſſimum diæta, & potionibus vulnerariis.

Quantum ad ſanguinis miſſionem pertinet, ſi occurrat habitus plethoricus ea inſtituenda erit, & ſi opus fuerit, repetenda.

Quod verò attinet ad topica, cùm fieri poſſit, ut duplex adſit tumor in loco Aneuryſmate laborante, unus quidem productus ex accretis, & ſubſiſtentibus tenacioribus ſuccis extrà Arteriam, nempè in loco ſectionis, qui cognoſcitur ex duritie magna, ejuſdemque nobilitate; alter verò factus ex interiorum dilatatione membranarum, qui mollior eſt. Quod cùm evenit primo curandum erit, & externo tumori provideatur cum emplaſtro de cicuta, vel cerato emollienti caleſtani, quo deinde (ſuccenturiante etiam purgatione) reſoluto, altera ſuccedit curatio, quæ Arteriæ dilatationem reſpicit. Admoveatur nimirùm emplaſtrum, vel ceratum vulnerarium, & adſtringens cum moneta plumbea linteo pluries obvoluta, quæ omnia valide circumductâ faſciâ firmentur. Quæ quidem methodus felici ab experimento confirmata tradita à Gulielmo Fabricio Hildano loco ſupra citato.

Quod ſi verò tardè nimis peritus Chirurgus fuerit accerſitus, ita ut ſolis adſtringentibus curatio abſolvi nequeat, tunc ad loci ſectionem, & ad Arteriæ conſtrictionem deveniendum erit, quam ſanè methodum dedimus Propoſitione XV. & ſequentibus.

CAPUT II.

De Aneuryſmatibus legitimis à contuſione pendentibus.

AGENDUM nobis hìc minimè proponimus de eo Aneuryſmatum genere; quæ in minimis Arteriis contingunt, dum contuſæ partes fraceſcunt, ac ſuppurantur; eæ ſiquidem, cùm ut plurimum bene cedant, cumque eodem remedii genere, quo pars contuſa, curari

ſoleant, ſingulari non merentur diſſertatione tractari. Noſtræ nunc Thema Propoſitionis erunt illa Aneuryſmata, quæ in magnis, interioribusque Arteriis manifeſtari incipiunt, poſtquam membra, quibus Arteriæ illæ ſubſternuntur, magnam aliquam contuſionem paſſa fuerint: horum plura ab Auctoribus deſcribuntur exempla, & nobis quidem diverſa videre contigit in dorſo, propè ſternum, atque in muſculis intercoſtalibus, quorum ſanè hiſtorias, magni utpote momenti, inferius exponemus.

Illud tamen omnium primum advertendum cenſemus, doctrinam de Aneuryſmatibus ex contuſione productis, ſummæ curioſitatis ſimulque neceſſitatis exiſtere, cum ut plurimum ab initio ægrè cognoſcantur, & pro interioribus abſceſſibus à minus in Arte peritis accipi ſoleant. Quare ſit

PROPOSITIO XX.

Agitur de modo, & cauſis quibus Aneuryſmata ex contuſionibus fiunt.

QUONIAM interdum accidit, ut majores Arteriæ contundantur in caſu ab alto, in percuſſionibus, cæterisque ictibus, quibus mechanici Artifices, & præcipuè Milites frequentiſſimè ſunt obnoxii, non ſemper tamen inde oriri videmus Aneuryſmata; hujus rei rationes perpendendas, excutiendasque priùs judicamus.

Cum verò Practicorum obſervationes nos doceant, contuſiones in carnibus, atque oſſibus exceptas, magnam vim accipere ab interiori corporum contuſione, ita ut ubi fluida ſunt acriora, ubi oſſa fragiliora exiſtant, ibi contuſiones, plagam, fracturamque faciliùs aperiant, nullam ſæpe molituræ, ſi, ut in pueris, molliora ſint oſſa, & vitali balſamo vaſa redundent.

Hinc ſanè proximas, vel interiores expoſitæ Aneuryſmatis ſpeciei cauſas nobis ſedulo quærentibus, non una, ſed tres nunc ſeorſim, nunc verò unà conſpirantes occurrerunt.

Prima eſſe videtur concurſus duorum oppoſitorum ictuum, qui uno eodemque tempore eundem Arteriæ locum afficiunt.

Secunda eſt innata gracilitas Arteriarum.

Tertia erit apparatus pravorum humorum in corpore percuſſi hominis. Sed quoniam unaquæque ex prædictis cauſis niſi planius,

ac

ac fuſius explicetur intelligi vix poteſt; idcircò meorum in gratiam Auditorum circà illarum examen paululum digredi oportebit.

Primò itaque dicimus, inter cauſas, cur percuſſio ſuprà locum, cui inſignis Arteria ſubjicitur, Aneuryſma producat, adnumerandum eſſe concurſum duorum contrariorum ictuum, quorum alter extrinſecùs infligitur Arteriæque membranas intropellit, atque urget: alter à ſanguinis niſu, qui eodem tempore à Corde impulſus; eaſdem tunicas extrorſum pellit, intenditque. Neque certè alicui mirum videri debebit duos iſtos contrarios niſus Arteriæ tunicas ita debilitare, propriamque texturam evertere poſſe, quem non lateat, quàm facilè franguntur contrariis motibus ſonum cientibus, concuſſi necnon rurſùs, quàm cito campanæ diſſiliant, dum interiùs malleo percuſſæ foris lapide cæduntur. Quorum ſanè admirabilium effectuum veras cauſas profundè rimatur doctiſſimus, æqualique ſemper amicitia colendus Laurentius Bellini De morbis Pectoris tit. de Palpitatione Cordis pag. 639. iis enim contrariis eodem tempore motibus oportet, ut partes contiguæ ab invicem, ſeu ab eodem contactu recedant, atque ita divellantur, ut frangatur corpus.

Secundam ex cauſis cenſemus inſitam gracilitatem tunicarum Arterias componentium, quam nos docuit experimentum factum tam generatim in extiſpiciis, quàm ſpeciatim apud nonnullos Aneuryſmate laborantes, in quibus Arteriæ ſolito tenuiores, ac laxiores à nobis inventæ fuerunt, maximè verò apud aliquos, qui ex percuſſionibus Aneuryſmata contraxerunt. Si enim concipiatur dorſum e. g. percuti, ſub quo Arteria Magna procedit; hæc quidem ictu minùs lædi poterit, ſi validæ fuerint ad reſiſtendum texturæ, quàm ſi tenues ſint, laxæ, & graciles.

Poſtremo loco poſuimus apparatum pravorum ſuccorum; etenim ſi contuſa Arteria affluat particulari nutritioni aptis, dulcibus, lenibusque, ex bona corporis conſtitutione advenientibus, fieri poteſt ut ex percuſſione nullum inducatur Aneuryſma: liquor enim nutritius, temperatus, ac mitis non ita facilè vitiatur, atque acredinem contrahit. At ſi malo corporis habitu laboret ægrotus; humores acres in parte contuſa ſenſim intercepti, ac ſtagnantes Arteriarum tunicas facilè excedunt, atque erodunt.

Et quoniam doctrina expreſſa per exempla profundiùs in animum

noſtrum penetrat, quàm ea, quæ ſolis rationibus nititur, idcircò in ſingularum cauſarum exemplis recenſendis paululum immorabimur.

PROPOSITIO XXI.

Exponitur exemplum Aneuryſmatis nati ex contraniſu Arteriæ Aortæ ad ictum externæ percuſſionis.

Cum certum ſit ex Anatomicis Arteriarum diaſtolem pro ratione magnitudinis canalium maximam, magnam, vel minimam eſſe, procul dubio in Aorta ictus extrorſum maximus erit. Si igitur contingat (quod evenire poteſt) ut eadem Arteria percutiatur eodem ipſo temporis momento, quo in diaſtole verſatur, ſumma fibrarum diſtractione, ac divulſione neceſſario lædetur. Exemplum quidem utrarum ita ſummè curioſum ante tredecim ab hinc annis vidi in homine alioquin ſano, & robuſto, quod ſequenti hiſtoria narratur.

Vir ſanus, & fortis nomine Plinius Eminentiſſ. Cardinalis Albani nunc Pontificis Magni feliciſſime regnantis, noſtrique Clementiſſimi Principis pedeſtrium famulorum Decanus annorum circiter 45 habitus quadrati, cùm per publicam incederet viam fortuitò à quodam ex ludentibus ſphæra buxea, vulgò *Boccia* vehementer percuſſus fuit in læva dorſi parte, domum rediens affectum locum diligenter obſervari curat, in quo, citrà contuſionis indicia, momenti nihil animadvertitur. Curatum idcircò ſolo admoto roſaceo oleo, ſuperſtite interim ad uſque quatuor circiter annos levi, ſed moleſto ibidem ſenſu: poſt tam diuturnum temporis intervallum æger conqueri cœpit de ſepulta quadam eo loco pulſatione, quæ ſenſim ſenſibilior facta cauſa fuit, ut patiens Peritos accerſiret; & quoniam rumor ad Eminentiſſ. Principem aſpiraverat, hic pro ſua innata, atque ſingulari benignitate me etiam contendit, ut illam inviſerem; convenio itaque cum duobus Chirurgis, quorum unus profundum abſceſſum, alter ſepultum in Aorta Aneuryſma cenſebat morbum. Et cùm ipſe ego animadvertiſſem, pulſationem illam Cordis ictibus reſpondere, magnoque niſu coſtas extrorſum urgere, ſtatim confirmare non dubitavi ſententiam illius, qui aſſerebat verum, magnumque in flexu Aortæ latere Aneuryſma. Et revera paucorum menſium ſpatio (vitiatis etiam liquidis) eò res crevit, ut nullo juvante pharmaco, ſed in gibbam prope ſpinam elevatis, & corroſis coſtis, nec-

non dolore tendente, ac diſtrahente ad humeros uſque producto, audaciſſimus quidam empiricus ex eo; quod pulſationis vehementia remiſerat, putans ſepultum latere abſceſſum, inſciis amicis, & neceſſariis miſero perſuaſit ægroto, ut ſe ſineret eo in loco aperiri, certò ſpondens pus intùs concluſum illico erupturum, ac eundem ab imminentis mortis faucibus liberatum iri. Ventum eſt ad facinus, ſed proh dolor! Flumen ſanguinis, quod debiliſſima exigui velaminis ripa coërcebat, imperito, crudelique aperta ferro ſtatim extra alveum tanta erupit celeritate, ut animam ſecum rapuerit à corpore. Ita magno empirici terrore ſimul atque Chirurgi documento, barbaræ ignaviæ victima miſerrimus æger cecidit exanguis. Vide ſimilem hiſtoriam apud Amatum Luſitanum lib. 6. Obſerv. 8.

SCHOLIUM.

Ex hac verò hiſtoria nonnulla elicienda ſunt tamquam poſtulata, quæ partim ad cognitionem, partim ad modum productionis, partim etiam ad medelam iſtius generis Aneuryſmatum conducere poſſunt. Etenim:

Primò indicia iſtius mali clare quidem occurrerunt: cùm narretur ex contuſione paulatim poſt duos annos pulſationem Cordis pulſationibus ſynchronam innotuiſſe, ſenſimque tumorum cum dolore ſcapularum, & humerorum ob connexionem elevatum fuiſſe. Abſceſſus enim quantum vis pulſatilis ſupponatur, ejus tamen pulſatio, non perdurat niſi quouſque pus confectum ſit, dein vero ceſſat: In hoc autem rerum ſtatu augeſcente morbo major, & profundior manifeſtatur pulſatio, licet poſtea obducto polypoſo veluti muro ſuperficiei interioris ipſius Aneuryſmatis minuatur, & vix ſenſibilis evadat, ut jam docuimus.

Secundò, hinc deduci etiam poteſt modus productionis hujus Aneuryſmatis, quod non aliâ certe ratione fieri potuit, quam expoſito, & probato illo concurſu duorum contrariorum ictuum in determinato Arteriæ loco, & contemporaneo momento. Etenim cùm æger iſte fuerit robuſtus, ſanus, & vegetus veroſimiliter neque pravorum ſuccorum copia redundare, neque nativâ ipſius Arteriæ debilitate laborare poterat. Si enim altera, vel utraque ex interioribus, & proximis cauſis ab initio concurriſſet, procul dubio non

ad quatuor annos Aneuryſmatis manifeſtatio producta fuiſſet, ſed poſt menſes contigiſſet, ut in ſequenti exemplo patebit. Reliquum eſt igitur, ut arguamus probabilitatem antedictæ cauſæ, quæ cum poſſibilis ſit, & æque potens hujuſmodi ſciſſionis effectum producere non dubitamus, quin in allata hiſtoria unica, & potentiſſima fuerit cauſa ad efficiendum Aneuryſma; ſi enim concipiatur Arteria tundi cum per ſyſtolem contrahitur, procul dubio multum diminui neceſſum erit de percuſſionis violentia. Etenim cum motus corporis percutientis; in eandem partem tendat, ac motus Arteriæ, tunicæ fibræ percuſſæ cum tantum impetum excipiant, qui proficiſcitur à differentia celeritatis prædictorum motuum pro ratione maſſæ. Contra vero ſi prædicti motus ſint adverſi atque in contrarias partes tendant, tunc ea motus quantitate tunicæ impelluntur, quæ gignitur à duplo celeritatis earundem tunicarum habitâ pariter maſſæ ratione, ut ex Mechanicis demonſtratur. Sic vola manus minus tunditur à luſoria pila, cùm hæc vibrata excipitur ab illa retrocedente; ſecùs verò violentiorem eſſe ictum cum reſiſtentia tota quanta eſt contrario ipſi pulſioni niſu opponitur, ut probavimus. Neque ſolummodò in Arteria percuſſa malus iſte duorum concurrentium oppoſitorum ictuum effectus, ſed in aliis quoque noſtri corporis partibus, in quibus ſumma viget diſtentio evidenter eluceſcit, puta in pectore, cum in extremo ſuæ dilatationis puncto percutitur, atque etiam in pene, quoties rigida tenſione laſciviens violenter flectitur, vel tunditur, utrobique enim, plerumque ruptura ſubſequitur, ſcilicet veſicularum, & ſanguiferorum in pulmone, atque in pene minimorum utriculorum corporis fiſtuloſi, unde malum illud ſuboritur quod penis diſtorſio vocatur.

Tertiò, aliquod etiam ad durationem conducens deduci poſſe putamus. Cum enim non levis medelæ pars ea ſit, quæ ſaltem non lædit, hinc horrendus exitus iſtius ægri perpetuò præ oculis habendus eſt, ut caveamus à ſtrage, ſeu ab illo artis errore, qui ut mortem ægris affert, legum etiam pœnis eſt obnoxium, ut latè probat Paulus Zacchia in Quæſtionibus Medico-legalibus.

PROPOSITIO XXII.

Exemplum Aneuryſmatis à contuſione orti, conſpirantibus tamen acrium humorum apparatu, & nativâ Arteriarum gracilitate.

Etiamsi Aneuryſma à contuſione natum ſua natalia externæ cauſæ debere videatur, nihilominùs, ut ſuperiùs probavimus, niſi cum interioribus cauſis, puta naturali gracilitate Arteriarum, & copia pravorum ſuccorum in contuſo corpore redundantium, aliquando complicetur, vel nunquam, vel tarde, vel minus certe lethale produceretur. Habetis igitur exemplum Aneuryſmatis ab externo ictu tamquam à procatartica cauſa nati, ſed accedentibus interioribus cauſis.

Homo quidam quadragenarius habitus gracilis, profeſſione veſtiarius, ob fortunæ ſuæ tenuitatem pravis alimentis nutritus, proindeque malis ſuccis redundans, cum ſemel prægrandem, ſummique ponderis ligneam arcam, baculis etiam oppoſitis in locis coadjuvantibus ab uno in alterum locum amovere conaretur, vehementiſſimum ictum ipſius angularis arcæ partis in ſummo ſterno miſerrimus excipit. Hinc ſtatim quædam ſanguinis ſputa cum levi tuſſi prodierunt, atque eo in ſitu profundus relictus fuit dolor, cui paulo poſt fortis quædam pulſatio adjungebatur, quæ tandem duorum circiter menſium ſpatio in verum Aneuryſma evecta eſt. Interim res anguſta domi illum impulit ad Noſocomium S. Spiritus in Saxia ubi macie, anhelitu, magna pulſus celeritate, exilitate, atque inæqualitate, licet cum diminuta pulſatione Aneuryſmatis, nihilque plane juvantibus præſidiis opportune per Clariſſimum D. Michaëlem Angelum de Paulis, Primarium ejuſdem Noſodochii Medicum adhibitis, poſt annum ab accepta percuſſione lenta morte diem ſuum obiit 11 kalendas Auguſti 1701. cujus Cadaver coram me, affectas partes diligenter perquirente, apertum fuit, & ſequens rerum ſeries obſervata.

OBSERVATIO CADAVERIS.

Primò (viſa morboſa eminentia ſummi ſterni, ubi claviculæ dexteræ committitur) elevatum fuit ipſum ſternum, cujus interior pars carie obſeſſa erat, & in cavam figuram elevata, ſub qua latebat cyſtis, ſeu tumor Aneuryſmaticus; qui continua pulſatione, &

madore erodentis ichoris, perinde quaſi vi vectis, cunei ſuperpoſitâ oſſa elevaverat, atque exederat.

Secundò in dextero thoracis cavo vaſe effuſum ſerum occurrit, quod probabiliter fuit lympha, quæ è ſua intra thoracicum ductum libera ob Aneuryſmatis compreſſionem immiſſione prohibeatur, & idcircò pulmonis lymphatica diſtenderat, atque acredine ſua eroſerat. Neque etiam à ratione abhorret fuiſſe ſubtiliorem, dilutioremque chyli partem, cùm in hujuſmodi affectibus ductus thoracicus ampliari ſoleat ob compreſſionem, ut vidit Gulielmus Riva in hiſtoria Aneuryſmatis infra exponenda.

Tertiò Pulmones parte ſiniſtra coſtis adhærebant, illuc adacti, ac propulſi à mole ac tenſione deſcribendi Aneuryſmatis. Unde æque effuſo ſero anhelitus oriebatur.

Quartò Aneuryſma apparuit tumor magnitudine prægrande, malum Punicum referens, aſſurgens in parte antica, & dextera flexuræ Arteriæ Magnæ, non abſimile illi, quod obſervatum fuit Romæ, & cujus icon anno primo expreſſa cura Germani obſervationi 18. inſerta fuit; erat autem foris aliquantulum durus, ac renitens. Hic profectò Aneuryſmaticus ſuccus quemadmodum parte ſua exteriori variis formabatur membranis, conſurgentibus ex contextu ſuperpoſitarum Arteriæ partium, & potiſſimum ab exteriori Arteriæ tunica, ita interiùs plerisque in locis ad digiti tranſverſi craſſitudinem conſurgebat ex cohærentibus veluti laminis polypoſæ ſubſtantiæ, quibus intermiſcebantur hîc, illicque, ſanguinis grumi, ubi non obiter notandum venit, hujuſmodi laminas Medicâ adhibitâ diligentiâ in plures laminas diduci potuiſſe non ſecùs, ac tenuia faſciarum involucra, quas inter laminas collecti ſenſim ac foras expreſſi mordaces ichores non ſolum cartilaginum, oſſiumque calcem inducere, ſed vel ipſum polypoſum Aneuryſmatis ſepimentum, vel erodere, vel alicubi ſolent diducere, atque aperire; ita ut plerumque multis diebus, antequàm mors pulſet ad oſtium, hujuſmodi Aneuryſmata ſua ſponte hic illicque aperiantur, & ichorem cruentum emittant.

Quintò extractis cruoris grumis in cyſtidis fundo foramen ſpectavimus apertum in facie antica ſummitatis arcus Arteriæ Magnæ, parumper dextrorſum inclinans. Erat autem foramen ferè rotundum, æqualemque habebat diametrum ei monetæ, quæ vulgo appellatur *un giulio*. In iſtius verò foraminis circumferentia callus quidem durus

ſupereminebat, ea tamen lege, ut in ſitu magis declivi eadem durities eſſet complanata, & ferè horizontalis cum interiori ſuperficie ſacculi Aneuryſmatici. In eadem circumferentiæ inæqualitate illud animadverſione dignum à nobis judicatum eſt, quod ubi circumferentia reſiliebat, atque elevatum exhibebat marginem, ibi ſummitas marginis plena omninò erat, perinde ac ſi Arteriæ membranæ á radente cultro fuiſſent diſciſſæ. Quamobrem interiores membranæ ſeparari videbantur, ac ſejungi à membranis folliculi Aneuryſmatici, qui parte dumtaxat extrinſeca obſervabatur obductus externæ tunicæ ipſius Arteriæ. Contra verò ubi circumferentia apparebat demiſſa, ibi interiores quoque membranæ productæ, & folliculo continuatæ apertiſſimè cernebantur, quæ ſanè fuerunt cauſa, ut probabiliter cenſeremus, ſuperiorem orificii partem illum præcipuè fuiſſe locum, in quem peculiariter arcæ ictus inſiliit, ibique interiores Arteriæ membranas eouſque fuiſſe debilitatas, ut ſenſim ab impetu ſanguinis, & ab influentibus ichoribus erodentibus penitùs fuerint diſciſſæ. In parte ſecùs inferiori Arteriæ membranas ſolum diſtenſas, & elongatas fuiſſe putamus.

Sextò non inutilis obſervatio ſe obtulit in ſtructura ſingularum Arteriarum iſtius Cadaveris, quæ ubique locorum, & omnium maximè circà Cor triplo ferè graciliores inventæ fuerunt: atque Arteria Magna melior, & tenuior eſſet, quam in aliis cadaveribus Arteria Pulmonica, vel carpi eſſe ſoleat.

SCHOLIUM.

Ex iis autem, quæ in cadavere obſervata fuerunt, ſatis liquere poteſt, in tantum adeo celeriter in hoc miſero veſtiario ex contuſione manifeſtatum fuiſſe Aneuryſma (ſecùs atque in deſcripto Propoſitione XXI. caſu accidit, in quo pulſatio elapſo tantum triennio ob inculpatam ægri valetudinem ſentiri cœpit) in quantum tres inſimul cauſæ ad citiſſimam iſtius productionem concurrerunt: duæ quidem interiores, & unica exterior, quæ dubitari non poteſt, quin fuerit percuſſio interiorum prior, quæ inſita, & frequentius in hujuſmodi malis, quam vulgus Medicorum putet occurrens extitit textura languidula, & ſatis infirma Arteriarum omnium, quæ non modo impetui ſanguinis extrorſum per tunicas nitentis, verùm etiam externis pul-

ſionibus, atque ictibus ægrè potuit reſiſtere. Poſterior ex interioribus fuit apparatus morboſus, ſeu copia ſalium erodentium, ichoribus diſſoluta, in homine alioquin gracili, & mali victus ratione utente. Hæc enim cauſa efficere valet, ut quoties caſu, vel datâ operâ iidem determinentur ichores ad particularem Arteriæ ſectionem, apti ſint diducendi, feriendi, lacerandique fibroſam iſtorum tubulorum texturam.

PROPOSITIO XXIII.

Agitur de ſignis, tam diagnoſticis, quam prognoſticis Aneuryſmatum ex contuſionibus.

DIAGNOSIS iſtius affectus tam ex generali Aneuryſmatum ſemiotica, quam ex ante poſitis, ac ſedulò deſcriptis hiſtoriis, deduci ſatis poteſt. Cùm enim aliquis percuſſionem paſſus, indè, vel brevi, vel poſt longum tempus incipiat perſentire ſub eadem parte pulſationem diù perſeverantem, primum abſque febri mox vero exilitate, atque inæqualitate motus illius Arteriæ, quæ infrà *dilatationem* poſita eſt, res erit in aperto, præſertim ſi pulſationi tumor appareat, qui aliquando (cùm Aneuryſma deliteſcit) ſenſibus non adeo facilè oſtenditur.

Sed Chirurgus Anatomicam facem præ ſe ferens, præire debet manifeſtationem claram, & nimis apertam iſtius mali, ut illud, ſi fieri poteſt, præcaveat, vel ſi non poteſt præproperam ſaltem necem ab ægri foribus arceat.

Quantum deinde ad prognoſim ſpectat, accerſitus artifex tunc ſe doctum, expertumque in præſagiendo circà hoc morbi genus oſtendet, cùm non tantùm exteriorem ictum, quantùm interiores cauſas, & ſitum, ſeu qualitatem Arteriæ ad judicii lancem expenderit. Etenim ſi corpus optimæ fuerit ſolidorum conſtitutionis, bonisque fluidis maximè redundans, & percuſſa Arteria exterior, & puſilla fuerit, bonum omen prænunciare poterit, præſertim ſi opportuna Medica, & Chirurgica præſidia ad opus acceſſerint. Quod ſi ſecùs gracile fuerit percuſſi hominis corpus, quinimò Arteria extiterit interior, & inſignis, tunc Aneuryſma inſanabile futurum poterit aſſerere, cùm nullâ efficaci Chirurgiâ tractari queat.

PRO-

PROPOSITIO XXIV.

Traditur methodus curandi Aneuryſmata interiora ex contuſione pendentia.

Cum in ſuperiori dixerimus aliam eſſe conditionem Aneuryſmatum interiorum Arteriarum, & præcipuè majorum, quæ per artus excurrunt: idcircò hanc diviſionem ſequentes, aſſerimus

Si poſt acceptam percuſſionem hoc mali genus manifeſtetur in Arteriis thoracis, vel abdominis, vix ullum tam efficax, atque aptum eſſe pharmacum, quod malum poſſit averruncare: cum ad malum gignendum plerumque concurrat mala cum fluidorum, tùm ſolidorum conſtitutio, ut in præcedentibus Propoſitionibus latè probavimus. Poteſt utique palliativa curatio ægri vitam in longum producere, quod prudens Medicus facilè aſſequetur, ſi ſtatim Venam tundat, & pro indigentia ſanguinis miſſionem repetat, ſi laudabilem & mediocriter tenuem victum præſcribat, ſi corporis exercitationes prohibeat, ac potiſſimum ſi vulneraria, tam externa, quam interna propinet: in quo ſanè remedii genere multum inſiſtere oportet. Vidi enim duos, tresve Aneuryſmate ex regimine, necnon fotibus, ac vulnerariis potionibus in meliùs vitam ſemper producentes. Ubi tamen duo notanda precor, primùm, vulneraria intus propinanda non admodum volatilia, & ſulphurea ſeligenda eſſe, cujuſmodi exiſtimantur, quæ cum ſpiritu vini extrahi ſolent, aut ſuapte natura nimis reſinoſa exiſtunt: hæc enim arterioſo ſanguini motum inteſtinum, nimiumque fervorem conciliant; ſed optima expertus ſum jura ex ſola urtica, hædera terreſtri, ſanicula, ſcabioſa, plantagine, vincapervinca, & conſimilibus, quibus identidem præmittendus eſt bolus ex ℈ ſſ. Ceruſæ Stibii, & gr. VI. balſami Peruviani albi. Quod ſi nondum appareant indicia apertè, per ſciſſionem foraminis in Arteria, quod deduci ſolet ex magno tumore, dolore, & ſuperpoſitorum oſſium elevatione, jus etiam viperinum cum ſupradictis vulnerariis temperatis exhiberi poſſet: cujus uſu quendam ab Aneuryſmaticæ affectu Arteriæ intercoſtalis, ex acrium lympharum concretione pendente, liberavimus. Nitrum quoque ſtibiatum cum oculis Cancrorum, & modico terræ ſigillatæ proficua erunt, cum ad corrigenda ſalia acria, tum ad eadem cùm lympha per urinæ

vias eliminanda. Sed omnium maximè accurata victus ratio, & quies tam corporis, quam animi præ oculis habenda ſunt.

De cætero, cum externa percuſſio lenius, vel gravius malum Arteriis inferat juxtà interiorum cauſarum concurſum, harum potiſſimum rationem habere debet curans, qui pravæ conſtitutionis videat indicia. Tunc etiam jus ſalſæ, & ſandalorum cum cancris fluviatilibus, vel ſaltem deſtillatum magiſtrale exhibere poterit, cujus formulam dabimus Capite de Aneuryſmatibus ortis à ſiphillide.

Similiter, ſi ægri corpus fuerit hypochondriacum, tunc aquis bolaribus, & chalybeatis, balneo, ſero, & lacte caffeato cum antihectico Poterii, pro anni tempore uti poterit.

PROPOSITIO XXV.

Exponitur methodus curandi Aneuryſmata externa ex contuſionibus pendentia.

Si verò à contuſionibus externa excitentur Aneuryſmata, nempe in artubus, vel in ſuccutaneis Arteriis; non ſolum ea omnia, quæ ſuperius indicavimus, judicio boni Medici, tentanda erunt, ſed efficax quoque, ſi opus fuerit, Chirurgia præ manibus eſſe debet; de qua jam egimus ex profeſſo in Prop. XI. ubi modum ligandi Arterias, & reliqua expoſuimus, quæ in Aneuryſmatibus à vulnere ortis optimo plerumque cum exitu in ægrotis animoſis locum habent.

Fieri tamen aliquando ſolet, ut neque in ventribus, neque in artubus, neque in ſuccutaneis locis, ſed in partibus thoracem claudentibus Aneuryſmata à contuſionibus oriantur, in quibus media quædam medendi ratio tenenda venit. Quare ſequitur

PROPOSITIO XXVI.

De Aneuryſmatibus in anteriori thoracis parte poſitis, quæ vitio tum fluidorum, tum etiam contuſionum oriri ſolent.

Si quæ ſunt Arteriarum ſectiones, in quibus ex cauſis tum interioribus, tum potiſſimum externis oriuntur Aneuryſmata, profectò illæ frequentiſſime occurrunt, quæ ad pectoris anteriora poſitæ ſunt: & ratio quidem mechanica mihi eſſe videtur, quod ſectiones iſtæ non ſolum in majori diſtractione ob reſpirationis viciſſitudinem, quàm

quæ aliis in partibus locantur, perpetuo verſari ſolent ac majorem impetum ſanguinis à Corde propulſi ipſæ primum excipiunt. Exinde ſane fit, ut per alternam coſtarum elevationem, ac depreſſionem à ſitu, & poſitura continue removeantur: quamobrem illarum tunicas non tantùm ob vehementiſſimum Cordi adeo proximum ſanguinis niſum, ſed ob externam thoracicæ machinæ die, noctuque perennem motum irrequietas ſemper, ac diſtractas aliquantò magis, quàm alias immutari, ac diſſolvi neceſſum eſt.

Si verò alicui ex iis Arteriarum ſegmentis liquidum erodens in nutritionem accedat, vel externa adveniat percuſſio, tunc eædem facilè diſſolvi, atque erodi poterunt. Ita multos novi, qui ex nimio cantu, ex caſu in terram, & ſuprà lapidem, aut ex alia cauſa dexterum potiſſimum pectoris latus percutientes in harum Arteriarum Aneuryſmata incurrerunt, in quòrum curatione nonnulla præcipuè veniunt obſervanda, quæ vel tentanda, vel omnino vitanda videntur.

Laudantur in hujuſmodi Aneuryſmatibus ea omnia opportune adhibita, quæ Propoſitione XXIV. expoſuimus, ſed potiſſimum illico poſt acceptam percuſſionem fotus ex aqua Nuceriana, aut Willena cum ebullitione gallarum & baccarum cupreſſi, deinde ceratum ad contuſiones, vel ex ſtibio, crudo cum balſamo Peruviano, & laudano, vel emplaſtrum ex urtica, & conſimilia topica placidiſſima, ſed non admodum adſtringentia, quæ quidem, ut vim aliquam externis faciant tegumentis, ad Arteriæ ſubſtantiam vix poſſunt penetrare, quin fortaſſe fieri poteſt, ut ſi paucorum humorum copia redundet in percuſſo corpore, ipſa nimium ſtyptica minimos obſtruendo meatus ſalinorum ichorum circulationi, vel tranſportioni unice neceſſarios Aneuryſma reddant graviſſimum.

Sed quoniam doctrina exemplis illuſtrata longe clarior eſt, & ad docendum magis apta, idcircò duas hîc ſubnectemus hiſtorias, quarum unâ deſcribitur vir adhuc poſt multos annos ſuperſtes: alterâ vir pariter, qui ſuo indulgens genio, & Chirurgo ſtimulos ad operandum addens citam necem ſibi accerſivit.

PROPOSITIO XXVII.

Exponitur exemplum Aneuryſmatis Arteriæ Magnæ ab externa contuſione orti, cujus curatio feliciter adhuc procedit.

Vixit adhuc Romæ vir ſeagenarius natione Belga, nomine Petrus Wanderchein præcurſor Velitum cuſtodiæ Pontificiæ. Hic cum in Dianæ, Veneriſque caſtris diu militaſſet, tandem pravis, atque hypochondriacis ſuccis redundans frequenti urinarum fuſione, ac diabetica quadam affectione laborare cœpit. Hiſce affectus ante quatuor annos ruri degens ſclopum, cui ab anno ſolito major à ruſtico quodam pyrii pulveris quantitas immiſſa, & nimium forſitan compreſſa fuerat, pectori admovit, tantumque ictum ab exploſo inſtrumento in dextra thoracis parte excepit, ut non ſolum dolor ad duos menſes ſuperſtes affectam partem occupaverit, ſed quod pejus eſt, inde paulatim inter ſecundam, & tertiam, atque inter tertiam, & quartam coſtam pulſationis ſenſu emerſit: qui ſanè ignorans æger cujus generis eſſet, diu neglexerat. Denique cum fortè fortuna apud Excellentiſſ. Equitem Sacchettum in Romana Curia Hieroſolymitanæ Religionis Oratorem de eadem pulſatione conquereretur, vera tunc natura morbi primùm innotuit; Nobiliſſimus enim Vir (ut rerum naturalium maximè amans, ac ſtudioſus eſt) affectum locum ſuis luſtravit oculis, & ſepultum Aneuryſma detexit. Conſilium proptereà initum eſt cum Doctiſſimis DD. Johanne de Tomaſis Medico curante, & Marco Antonio Collegiano Celeberrimo Chirurgo, qui una mecum ſtatim dubitarunt de qualitate affectæ Arteriæ, num ſcilicet ex intercoſtalibus, an ſubjecta aliqua fuiſſet ex iis, quæ intra thoracem deliteſcunt. Extabant ſigna dilatationis duarum Arteriarum intercoſtalium, ſenſus, tactus, & viſus, quibus inter duas prædictas coſtas evidentiſſimus pulſationis motus obſervabatur, ita ut apparerent duæ Arteriæ inter ſe diſtinctæ, quæ muſculos intercoſtales una ictibus elevabant; neque aliud indicium læſarum interiorum Arteriarum aderat, quàm pulſuum inæqualitas. Vicit tamen opinio credentium ſedem Aneuryſmatis eſſe Arterias intercoſtales.

Neque interim hæſitationi locus fuit; quin Aneuryſma mixti generis exiſteret, nimirum dependens ex contuſione ſimul, & acrium humorum apparatu, cujus generationi modum dedimus Propoſitione XX. Proinde poſt tectam Venam, & exhibitum bis intrà octiduum oleum

amygdalarum dulcium cum aliquot clyſteribus, exterius cenſuimus adhibendos eſſe fotus ex aqua chalybeata, in qua bolus armena, baccæ cupreſſi, & ſimplicia quædam vulneraria ebulliiſſent, & ad eluenda ſalia pungentia propinanda cenſuimus jura vitulina parata ex ℔ j. aquæ nucerinæ, cum decoctione radicis plantaginis & urticæ, quibus ſanè per tres menſes continuatis, una cum optimo, & parco vitæ regimine, tantùm miles iſte profecit, ut majus impoſterum animo ſuo detrimentum, quam corpori utilitatem ex muliebri, quam ſervabat, vivendi ratione ſe experturum profiteretur; exinde namque factus impatiens paulo liberius comedere, atque exerceri cœpit; ita ut modò præter recurrentem leviſſimam dumtaxat, præſertim dum violentius agitatur motibus, in parte pulſationem, optimè ſe habeat. Adeo verum eſt maximam conſuetudinis habendam eſſe rationem, ut Magnus præcepit Hippocrates, nec à ſcopo abludit adagium apud libertinos ſæpe veridicum: Medice vivere eſt miſere vivere. Hinc diſcamus varia eſſe Aneuryſmatum diſcrimina, atque eventus, juxta variam corporum, & cauſarum differentias; ac proinde Clinicum verſatilem eſſe oportere ad ea, quæ ægrotantium naturis magis congruunt, neque uni dumtaxat methodo eſſe addictum, ut oppoſitum aliquando tranſire non debeat dummodo caveat, ne noceat.

Videamus modo exemplum infelicis eventus ob nimiam in medendo, inconſultamque feſtinationem.

PROPOSITIO XXVIII.

Deſcribitur Aneuryſma Arteriæ magnæ inter quartam & quintam coſtam dexteri lateris, quod tandem ad rupturam ocyus properavit uſu cujuſdam inſtrumenti chalybei ad inſtar bracherii.

ILLUSTRISSIMUS Canonicus Tempeſtivi, ut quinquagenarius, habitus quadrati, & ſanguinei, ad cantum, & melodias propenſus, atque idcircò violenti thoracis agitationi plus juſto deditus, cùm poſt affectionem hypochondriacam mentagra correptus fuiſſet, purgatione ſuccis antihypochondriacis, & ſero convaluit. Sed cùm poſt ſex menſes levem externam contuſionem in dextera thoracis parte accepiſſet, inde ſenſim manifeſtari cœpit dolor quidam pulſatilis inter quartam & quintam coſtam, qui multis à Chirurgis, & poſtea etiam à me diligenter obſervatus deprehenſum fuit verum ea in parte

Aneuryſma. Ambigebatur tantùm circà Arteriæ qualitatem, utrum anterior, & Præcordiorum, an verò Intercoſtalis fuiſſet. Sed temporis progreſſu nihil dubitationi reliquum fuit, quin Arteria Intercoſtalis læſa eſſet; quæ cùm profundius lateat in robuſtis corporibus interiorum affectuum ſigna exhibebat. Etenim poſt menſem vehementi Arteriæ pulſu, & dilatatione extrorſum elevata, tactu percipiebatur folliculus Aneuryſmaticus, qui quidem folliculus non ſolùm divulſis Arteriæ tunicis conflari videbatur, quippe qui oblongam, non autem rotundam ſpeciem exhibebat, atque à perito Chirurgo tam apte interpellabatur, ut per aliquod temporis ſpatium ſub intercoſtalibus muſculis probè occultaretur. Variis ab initio feliciter æger curatus fuit remediis, nimirum ſanguinis miſſione ex pede, aqua nuceriana, nec non balneis ex aqua ſancta (cùm ætas ferveret) accedentibus etiam exteriùs cerato ex pelle Arietina cum laudano, tumor enim, & pulſatio omnino evanuit. Poſt duos circiter annos noviter ex variis cauſis, ſed potiſſimum ex vehementiori corporis, & animi motibus, morbus recruduit, quem eiſdem remediis oppugnare, incaſſum tamen, tentavimus.

At verò æger à me admonitus, ut à commeſſationibus, & præſertim à totius corporis, nec non thoracis motibus abſtineret, ſpem oſtendens fore ut optima victus ratione ad aliquot annos vitam producere poſſet, tædio affectus in præceps ſe conjecit auxilium. Accerſito namque Celebri Romano Chirurgo aliquod ab illo præſidium poſtulavit, quo cyſtim Aneuryſmatis intrà thoracem poſſet coërcere; plus enim ignarus æger ab externo, quàm ab interiori tumore ſibi metuebat. Annuit Peritus, & conſtructo cingulo chalybeo cum elatere non abſimili bracherio, quo Enterocelen intrà abdomen urgemus, facili negotio ſaccum prominentem Aneuryſmatis eo admoto intrà pectus violenter detinuit.

Hoc verò admoto inſtrumento ſibi tantum profeciſſe videbatur æger, ut ſine victoria recuperatæ ſalutis triumphum caneret, quamquàm amoto inſtrumento ſtatim idem ſubito ſaccus emergeret; ſed quid inde? Cùm menſe Februario anni 1699. à Baſilica S. Laurentii in Dimaſo, cujus erat Canonicus, ipſe reduceretur, de repente magno correptus anhelitu, quibuſdam prius rejectis ſanguinis ſputis ruptâ intrà thoracem fiſtulâ Aneuryſmaticâ ſuffocatus eſt antiquæ, ac probatæ amicitiæ vir.

Ex ſuperius allata hiſtoria duplex habemus documentum. Primum quo oſtenditur deſcriptum Aneuryſma duplici cauſa fuiſſe excitatum; partim nimirum ab humorum acritudine, & compreſſione, eroſioneque externarum Arteriæ tunicarum; id quod præcedens mentagra ſatis demonſtrat; hæc enim probabiliter lymphæ craſſioris, atque erodentis copiâ inducebatur; partim vero externo impetu Arteriam urgente, lentoſque humores pigrè ex toto fluentes verſus partem affectam propellente: eo uſque certum eſt raró Aneuryſma, præterquam cùm à vulnere fit, ab unica, ſimplicique cauſa pendere.

Alterùm veró circà medelam verſatur diligenter obſervandum, & præ oculis ſemper habendum: videlicet ne quidpiam novi certo cum periculo fiat, ſæpe enim ſpe boni exitus ad ea curantium ars fertur, quæ nocere potius quàm prodeſſe ſolent, ad quam ſanè erroris ſemitam ab ægrotantium querelis plerumque ducimur; ii enim artifices perpetuó ad nova invenienda præſidia exſtimulant, quibus ſurdas aures opponere debent, qui omnia ſecundùm rationem faciant, neque ad alia tranſeant oportet, ut Divinus innuit Cous. Etenim quamquam in Aneuryſmate optimum ſit conſilium, ipſa partis compreſſio, hæc tandem ibi proficit, ubi vel os vel durum aliud corpus Arteriæ ſubſternitur: quod majori ejuſdem renitatur diſtractioni, quemadmodum accidit in artuum flexuris, aut in collo; Sed ubi ſola tenuiſſima tunica ſubſtrata eſt, peſſimum erit, ut allatum exemplum oſtendit, in quo Arteriæ impetus, ferè totus extra delatus reſiſtentes inveniebat ſuppoſitos muſculos intercoſtales, pectorales, necnon communia integumenta: poſtea veró admoto cingulo univerſam diſtructa Arteriæ vim nuda pleura ſuſtinere coacta, facili negotio, & pleura, & ipſa Arteria ad integram rupturam pervenerunt.

Similem caſum, ſed in poſtica thoracis parte ſub ſcapula proponit Antonius de Heide in ſua Cent. Obſerv. 34. ſed in eo tumor in dies ad capitis magnitudinem accrevit, & cutem tandem gangræna (quam ſæpe nos etiam factam vidimus) exedit, ægerque fatis ceſſit.

CAPUT III.

De Aneuryſmatibus à fluido erodente præcipuè pendentibus.

QUAMQUAM in omni ferè Aneuryſmate ſemper conſideranda veniat tamquam cauſa ultimo concurrens ipſa quoque eroſio, ut de iis, quæ in contuſionibus pendent ſuperioribus demonſtravimus Propoſitionibus, nihilominus tamen totius doctrinæ claritas monet nos, ut diſtincto capite agamus de Aneuryſmate orto primùm & præcipuè à fluido, quod ſeorſim ab aliis cauſis eroſionem in Arteria molitur: cum revera hujuſmodi malùm, quod quidem curari non poteſt, niſi potiſſimum cauſæ ratio habeatur, non raro in praxi contingat; occaſiones enim morborum ſingulariter à Medentibus conſiderandæ ſunt, apud Hippocratem. Primùm itaque quid humor erodens ſit explanabimus.

PROPOSITIO XXIX.

Quid intelligatur nomine humoris erodentis, & quotuplex ſit, qui in Arteria producit Aneuryſma.

NOMINE fluidi erodentis accipimus quidquid ſalini, duri obſtruentis, ac ſcindentis corporis, utcumque liquidis noſtris admixtum, ſolidis dein partibus admotum, eas à continuitate removere aptum eſt natum. Et quoniam ſanguini, lymphæ, ſuccoque nerveo hujuſmodi particulæ admiſceri poſſunt, quæ dum in motu unà cum aliis corporibus fluida noſtra componentibus verſantur, nullam de ſe produnt erodendi facultatem, ſed eam tantummodo manifeſtare incipiunt, cum ſolitaria, atque ſeparata; aliquam quietem nanciſcuntur, atque ad contactum ſolidi corrodendi corporis perveniunt.

At verò ad hypotheſim deſcendentes duo advertenda duco circa modum quo liquidum erodens fibroſam Arteriæ texturam ſcindere valet.

Primum eſt, hujuſmodi liquidum in magnis Arteriis non agere, cum per earundem cavum excurrit, ut Priſcorum aliqui opinabantur; ſanguis enim tanto velocitatis momento per illas fertur, quo ab ea quiete prohibetur, quâ opus eſt, ut corrodentes particulæ poſſint emergere, ac magnarum Arteriarum tunicis aptari.

Et

Et quamquam non ignorem extrema Arteriarum orificia, quæ per ſolius membranæ interpoſitionem in cavum aliquod deſinunt, facili negotio ac erodente vi ſanguinis, tanquam à cuneo, aperiri aliquando poſſe, quemadmodum accidere videmus in hæmophyſi, in nimio menſium fluxu, in apertura ſanguiferi intra Cranium, vel Pericardium; attamen cum hujuſmodi mala potius ad hæmorrhagias, quam ad Aneuryſmata referantur, merito hîc ſilentur. Eâdem quoque ratione etiamſi fluida adeo cogi poſſunt, ac condenſa evadere, ut in alicujus Arteriæ ſectione validam producant obſtructionem, unde ſanguis neceſſario à ſuo ibidem motu ſiſtatur, ac proinde erodentes particulas facile tum acui, tum ab aliarum complexu ſeparari poſſent; Hujuſmodi tamen morbi, quos ad peculiares claſſes ſuo loco redigemus, primo, ac præcipue ab erodente liquido non dependent, atque idcircò peculiari ætiologia, ac therapeutica tractandæ, neque cum præſenti confundendæ videntur.

Aneuryſmatis vero ſpeciei, de qua nunc agimus cauſa eſt quidquid erodens extrinſecus tunicas Arteriarum adoritur, easque paulatim diducit, findit, adeoque infringit, ut impares ſint ad ſanguinis impetum per earum ſectionem decurrentis ſuſtinendum, qui ſane modus, ut clare poſſit intelligi, ſciendum

Secundo eſt, humorem corrodentem, ut plurimum duplicis generis eſſe; alterum nempe ſtabilem, ſeu ichorem referentem, qui aquæ ſtygiæ æmulus cum fluido Arteriam nutriente intra texturam fibroſam iſtius canalis brevi ſe inſinuat, quique ut plurimum in hypochondriacis, hyſtericis, atque ſcorbuticis colligitur; alterum vero lymphaticum, craſſiorem videlicet, qui aliquam congeſtionem prope Arteriam primò producit, dein ſenſim intra Arteriæ vaſa, ac villos urgetur, ac ſubrepit; cujus ſane generis non una dumtaxat ſpecies occurrit, ſed duo potiſſimum ex diſtinctis principiis ſubnaſcuntur: nimirum una quæ à craſſiori, eaque ex pleniori, & ſubarido acri victus oriens cachexiam plerumque adjunctam habet: alia ex ſyphillide derivatur. Quas quidem ſingulas ſpecies diſtinctis Propoſitionibus rimabimur, & propterea ſit

PROPOSITIO XXX.

De Aneuryſmatibus ab ichoroſo erodente principio apud hypochondriaca, ſcorbutica, aut hyſterica corpora ortis.

In corporibus enunciatis culpa pravorum fermentorum tum in hypochondriis, tum in utero ſtagnantium, ichores quidam mordaciſſimi pariter, ac ſubtiliſſimi colliguntur, qui juxta diverſa noſtri corporis loca, in quibus decumbunt, ac ſubſiſtunt, diverſa pariunt morborum diſcrimina, quæ à Practicis ſedulo labore ſuas ad claſſes rediguntur. Inter hæc autem præcipuum certe locum tenent, quamquam obiter dumtaxat animadverſa, Cordis, atque Arteriarum vitia, quæ modò ſub forma motus inæqualitatis, modò palpitationis incipiunt, ac tandem in Aneuryſmata Cordis, aut inſignis alicujus Arteriæ manifeſtantur, ac deſinunt.

Modum autem, quo hujuſmodi Aneuryſmata eveniunt, probabiliter cenſemus morboſam nutritionem alicujus ſectionis Arteriæ: cum enim nullæ ſint partes in Animalium corporibus, quæ die, noctuque citra Animantis arbitrium perpetuo moveantur, præter Cor, & Arterias, ac proinde quia villi, ac fibræ iſtorum organorum ob perpetuum diſtractionis, & contractionis motum ſemper particulares aliquas nimium attritas percurſi meatus emittant, neceſſum eſt, ut perenniter nova conſimilium particularum appoſitione reſarciantur; quod quidem præſtant liquida per Arterias, & Nervos intra prædictam villoſam texturam confluentia. Quod ſi igitur eveniat, ut vel actu, vel minimo ſtructuræ vitio, particulæ acres ſtygiæ aquæ ſimiles nutrienti humori miſceantur, tunc facili negotio poſt levem Arteriæ convulſionem, paulatim eroſio ſuccedet, nimirum ſciſſo forinſecus valido fibroſo illius reti incipiet dilatari ea plana ratione, quam expoſuimus tractantes de Aneuryſmate pendente à ſciſſione extremarum tunicarum Arteriæ.

Neque ullus certe ſanæ mentis mirabitur erodens liquidum particulis nutrientibus permixtum intra ipſam Arteriæ texturam influere poſſe, cum videamus ſolidiſſimam dentium ſubſtantiam à validitate ſtygii liquidi erodi. Ad hanc autem doctrinam clarius illuſtrandam unam aut alteram hiſtoriam ſubjungam Aneuryſmatis ab erodente ichore geniti.

PROPOSITIO XXXI.

Deſcribitur Aneuryſma Arteriæ Carotidis dexteræ in nobili Matrona, hyſtericis, ſcorbuticis affectibus detenta.

ILLUSTRISSIMA D. Clelia Palaggi quinquagenaria major habitu ſanguineo, & robuſta, cum olim feracioris meo quidem judicio fuiſſet uteri, quam duorum ſolummodo filiorum fertilitate ſatis ſteri-leſcere tuto potuiſſet; adhuc juvenis enormi hyſterica præfocatione cum metu carcinomatis in læva tuba detenta fuit, dein hypochon-driaco-ſcorbutica facta eſt: cumque dentium nigredine, & gingi-varum eroſione diu laboraſſet, impetigine quadam in capite, ac pone aures erodentem ichorem emittente corripitur: exinde hoc morbo evaneſcente tribus obhinc annis in Cordis palpitationem, & vertiginem incidit, cui ex levi ſane cauſa cujuſdam nimirum pon-deris elevatione magna pulſatio dexteræ Carotidis acceſſit. Ad hunc morbum curandum cum accerſitus fuiſſet Chirurgus, cauſis minime conſideratis partem decocto quodam adſtringenti foveri, & faſciâ quâdam obſtringi jubet: ſed peſſimo cum exitu, quo tantum ab-fuit, ut nobiliſſima Mulier levaretur, ut majorem pulſationem, & quidem cum dolore deinceps præſentiret. Quare cum ipſe accerſitus fuiſſem omnibus topicis, præterquam fotui ex aqua Nuceriana, repente vale dixi, & una cum alias laudato Viro D. Johanne de Tomaſis Medico curante admonui, ut ſolis copioſis juribus ex eadem aqua Nuceriana, carne vitulina, & ſucco pomorum redolentium, ultra menſem uteretur, additis etiam pulveribus teſtaceis, atque ex cryſtallo montana præparatis; Hac enim methodo, necnon optima victus ratione, & abſtinentia à motibus violentis in melius profecit, ut modo mitiſſimam experiatur affectæ Arteriæ pulſationem.

Ex hac equidem hiſtoria clare docemur, erodentes ichores, qui ad gingivas, ad capitis cutem, & pone aures deponebantur, ſenſim ſupra Arteriam Carotidem decubuiſſe, & quemadmodum aliis in locis eroſiones tentaverant ita eaſdem moliri cœpiſſe in externis Carotidis tunicis, quæ cum per obliquum, ſeu figura litteræ S. curvatum oſſeum foramen intra cranium feratur, facilius ea in parte, quam alio quovis in loco dilatari poteſt: eo quod ibidem ſanguis aliquam ad liberum intra calvariam excurſum invenit repugnantiam,

Ulterius hinc monemur, ubi copia adeſt ſalium erodentium, ægros ab admotis adſtringentibus plus mali, quam utilitatis perpetuo ſolere experiri: eo quod ſtyptica omnium vaſorum fibras, ac meatus conſtringendo, & coarctando, ſalinos illius ichores, præpedita ad exitum via, in interioribus partibus ſiſtunt.

Tandem non aſpernandum eſt Corollarium, quod ex hac eadem hiſtoria elici poteſt, videlicet ſi incipientes lethales morbi, circa principium adhibita ſuaviori, tutiorique methodo tractentur, ægrorum vitam diu produci ſolere, quin ſæpe integre ægrotos confirmari: ſed ſi pertinaciter contraria medendi via incedatur, brevi ut plurimum perire.

PROPOSITIO XXXII.

De modo & cauſis, quibus fit, & de ſignis, quibus cognoſcitur Aneuryſma Gallicum.

QUEMADMODUM ſerum acre à cyſtide & ſucco Aneuryſmatico deſtillans ad oſſa, & ligamenta pervadit, eadem paulatim exedit, & tabo conſumit, ita è converſo fieri interdum ſolet, ut lympha gallicis ſalibus ſcatens poſtquam congeſtionem in oſſibus, ac ligamentis primo tentaverit, mox paulatim mota acrior jam reddita ſupra, & intra ſubſtantiam externam Arteriæ depluens illam exedere incipiat, indeque in Aneuryſma diſtendat, quod ex compreſſione ſimul, & eroſione productum tanto reliquis pejus eſt, quanto minus Medici cauſæ rationem olim habentes ſolis ſanguinis miſſionibus, ſero, aut lacte plerumque tractare ſolebant. Cùm ſecus vera curandi methodus tota verſetur in temperando idoneis peculiaribus remediis, & ad tranſpiratam, ac diureſim promovendo veneream lympham, ut inferiùs appoſitis exemplis evidenter oſtendere ſatagemus. Hujuſmodi ſiquidem Aneuryſmata à venerea cachexia producuntur, ut optimè advertit Marcus Aurelius Severinus De noviſſima obſervatione abſceſſus pag. mihi 197.

Cognoſcitur autem Aneuryſma gallicum non ſolum ex impuro, quod præceſſit contagio, atque ex indiciis luis venereæ in alias quoque partes jam propagatæ, ſed potiſſimum ex modo, quo determinatus locus Aneuryſmate afficitur; Non enim ſubito Arteriæ pulſatio ſentitur, ſed primo præcurrunt dolores præſertim nocturni

alicujus ligamentis, vel oſſis; indeque utrumque tumore extuberans ſubjectam Arteriam premere, atque exedere, ejuſdemque pulſationem efficere incipit.

PROPOSITIO XXXIII.

Expoſitum Aneuryſma validatur duobus exemplis.

VENDITOR Piſcarius annorum 45. habitus carnoſi vitæ omninò libertinæ Baccho nimirum, Dianæ, Neptuno, ac Veneri frequenter indulgens, ex qua poſtrema pluries contraxit luis ſtigmata, quæ fere incurata ſuis confiſus viribus imprudentiſſimè contempſit. Tandem cùm variis animi pathematibus angeretur, clavicula ſiniſtra dolere, dein elevari cœpit, poſtremo ſub eadem pulſatio emerſit, qui quidem dolor ad humerum, & collum extendebatur. Poſt menſem accerſitus Chirurgus D. Johannes Caſtigliani partem diligenter obſervans è veſtigio hæſitavit de Aneuryſmate Arteriæ Subclaviæ. Res delata eſt ad Medicum, qui nulla habita ſyphillidis ratione purgat, & ſanguinem mittit, non modò incaſſum, ſed cum detrimento. Denique æger pallidus, anheloſus, & animo defectus meam opem implorat. Ipſe affectum locum, & modum, quo morbus à gallico dolore incœpit ſedulo perpendens, non dubitavi, quin hoc Aneuryſma eſſet ſoboles corrodentis gallici : quod, cùm intercipitur intra texturam oſſium, cartilaginum, ac membranarum, quibus Arteria aliqua incumbit, ac potiſſimùm intra plexus nervoſos, quibus eadem in angulum flexa alligari ſolet; Arteria primum compreſſa conſtringitur : dein etiam ſtillicidio liquoris acris, quo paſſim membranarum ligamenta, atque oſſa erodi videmus, corrumpitur, atque exeditur.

Qua de re multorum factus periculis cautus primitivam ægritudinis cauſam curandam ſuſcepi, juſſique ut purgato leniter atque epicraticè corpore cum electuario lenitivo malaxato cum oleo amygdalarum dulcium, ſumeret deſtillatum magiſtrale antigallicum vulnerarium, & epiceraſticum hujus formulæ

℞. Salſæ elect. minut. inciſ. ℔ ſſ.
Radicum Roſ. rubr. } a. ℥ ſſ.
Ligni Citon. }

Infunde in ℔ xx. Aquæ fontis per noctem, manè bulliant lento igne ad conſumptionem quartæ partis, adde verſus finem ad deſpu-

mationem carnis vitulinæ maceratæ ℔ iv. Cancrorum fluviatilium num. xij. Teſtudinis nemorum num. iij. ſuccorum cicorii, borraginis, urticæ, conſolidæ majoris, pomorum redolentium a. ℔ ij. ſeri caprilli ℔ iij. ſeminum cydoniorum contuſorum ℥ j. Florum violarum, hyperici a. pug. iij. ponantur ad deſtillationem in B. M. liquoris deſtillati capiatur manè ℥ v. & ſerò ℥ iv. quatuor horis ante cibum. Item loco vini uteretur bocchetto ex infuſione ſalſæ per tres menſes continuos una cum victu tenui, exinde eo proceſſit æger, ut diminutis doloribus, tumore, & pulſatione in naturalem ſtatum reſtituta, ſanus videretur. Sed cum poſtquam Arteria ſupra ſuum diametrum multum diſtracta eſt, fibræ, languidiores ad reſiliendum in ſyſtolem, & promptiores ad dilatationem evadant, jure cavendum in vitæ regimine omninò eſſe prædiximus; Fieri enim poſſet, ut levi ex cauſa morbus pejori fato reverteretur: fluxerunt tamen quinque jam anni, nec morbus recruduit.

Alium ſimiliter utcumque felici cum exitu curavimus, qui ſub eadem clavicula gallicum Aneuryſma diu patiebatur. Hic erat egregius citharædus, qui ex impuro concubitu non ſemel in pudendis vulneratus, tandem ortis hìc illicque per artus doloribus ſalſa, & mercurio citra ullam methodum, atque utilitatem tractatus eſt. Exinde macer, & febricitans in tabem Gallicam magnis partibus contendebat, cùm dolor, ac tumor, qui claviculam dexteram jam afficiebant majores evaſerint, iisque ſepulta quædam pulſatio adjuncta fuerit, quæ adeò crevit, ut magnum oſtenderet Aneuryſma: huic igitur opem laturi oleo primùm amygdalarum cum ſyrupo violarum coloratarum lenito laxato ventre cogitavimus de abluendis, elixiviandisque iis potiſſimum erodentibus ſalibus, quæ ex mercurio male vel præparato, vel propinato intra ægrorum corpora colliguntur, ac debacchantur; ſcilicet manè exhibuimus infuſionem ſalſæ in aqua Nuceriana cum aliquot granis ſalis ammoniaci ad ℔ ij. ac veſpere conditum ex textaceis, foliis auri, & confectione de Hyacintho, & Alckermes. Poſt duodecim dies iſtius medelæ remiſſa febri, deſtillato ſuperiùs deſcripto uſi fuimus. Sed quamquam inde æger multum profecerit, eò tamen valetudinis non pervenit, quò deſcriptus Piſcator perductus fuit. Etenim quamquam dolores remiſſi fuerint, ac tumor multum ſubſederit, in hoc tamen conſtans perpetuo fuit ſepulta gravis illa pulſatio, quæ ægrotum animo dejectum deti-

nebat, utpotè qui impotens factus videretur libere exercendi artem ſuam, ne viciſſitudine motus brachii morbus augeretur. Poſt ſex annos ab expoſita curatione incolumis manſit, nunc verò ignoro, vivat ne ampliùs, an deceſſerit.

Sed quoniam actum eſt hìc de noxa ex mercurialibus, opportunum ducimus ſubnectere ſequentem Propoſitionem.

PROPOSITIO XXXIV.

In qua oſtenditur quàm facilè ex Mercurialium uſu Aneuryſmata gignantur.

OMNES verè Chimici in eo conſentiunt, Aneuryſmata facili negotio ex Hydrargyri litu ſolere proficiſci. Ita Paræus, Ballonius, aliique appoſitis exemplis indubiam rei fidem nobis fecerunt.

Rationem autem inquirentibus nobis cur interdum malum hoc ex hujuſmodi cauſa ſuboriatur, duæ præſertim occurrunt: altera ex hydrargyri vi: altera ex peculiari corporis, in quo morbus excitatur, qualitate; non enim ſemper, & ubique, ſed tantummodo certis accedentibus conditionibus hydrargyri litu naſcitur Aneuryſma. Omnis autem hydrargyri vis in excitandis Aneuryſmatibus repoſita eſt in momento impetus, quo lympha, & ſanguis attenuati quaquaverſum urgentur, ac debacchantur, qui quidem liquores quoniam admiſtione ſalium acidorum intra ægrum corpus erodentes evadunt, facilè poſſunt cunei inſtar vaſa impellere, ac diſtrahere. Id quod evidenter ipſis ſenſibus apparet in glandulis, oſculisque ſalivaribus, & inteſtinorum, quæ poſt hydrargyri litum intumeſcunt, ac deducuntur.

Quod verò ad conſtitutionem corporis attinet, procul dubio cauſa Aneuryſmatis conſiſtit in gracilitate, vel obſtructione, vel alia quavis prava diatheſi, qua alicujus Arteriæ pars laborat. Neque certe à vero abludere cenſebitur opinio, ſi conſulatur caſus Ballonii paradigmate XIII. relatus de quodam Mercatore, qui ad ſpinam dorſi per annum dolebat. Ter, aut quater litus eſt. Tandem ſurſum, deorſum ingens ſanguinis copia, aperto Aneuryſmate, excreta, & mortuus eſt.

Ex iis autem, quæ hactènus dicta ſunt prudens Medicus jure poterit concludere, in nullo Aneuryſmate, etiam ſi à lue gallica profecto, locum habere mercurialia, & præſertim in forma litus.

PROPOSITIO XXXV.

Probatur nulla eſſe Aneuryſmata pendentia à paralyſi fibrarum alicujus Arteriæ tunicas texentium.

INGENIOSA magis, quàm vera videtur opinio cujuſdam Neoterici, qui inter cauſas Aneuryſmatis ponit laxitatem, & paralyſin alicujus ſectionis Arteriæ, quam credit impetui ſanguinis reſiſtere non poſſe, atque idcircò neceſſariò dilatari. Verùm opinionem hanc à vero abhorrere duplici argumento demonſtratur.

Primum eſt, quod fibræ paralyticæ tantùm abeſt, ut propria infirmitate, ac mollitie impetus ſanguinis minus reſiſtentes Aneuryſmati generando ſint magis idoneæ, ut potiùs ejuſdem ſanguinis vim infringant, & labefactent, quominùs eaſdem fibras divellat, atque diſtrahat; quò enim vehementiùs tunicæ Arteriarum ſanguini impellenti renituntur, eò violentiùs percutiuntur, quemadmodum ſupra Propoſitione XXX. demonſtratum eſt. Quod quidem vulgaribus experimentis perbellè illuſtratur. Lana enim, goſſypium, plumæ, aliaque hujuſmodi mollia irruentium corporum impetum, ac motum facile comprimunt, atque extingunt, ſine propria læſione.

Secundum verò argumentum deducitur ex obvia obſervatione tot languentium paralyſi, in quibus omnibus, ſi vera eſſet hypotheſis indicati Auctoris, Aneuryſma in affectis membris fieri deberet: cùm ſecus nulla ſint corpora huic mali generi minùs obnoxia, quàm quæ ſideratione detinentur.

Non inficior tamen evenire poſſe, ut tabeſcentibus fibris ex pravo alimento, acri nimirum, atque exedente, Aneuryſmata excitentur; nutriens enim ſuccus depravatus, atque particulis acrioribus ſcatens cum ipſas fibras exedendo extenuat, tum lacerat, ac convellit. De quo Aneuryſmatis genere Propoſitione XXX. diximus, agentes de Aneuryſmate ab erodente liquido pendente.

Relicta itaque ita paralyſi fibrarum, & abſoluto tractatu legitimorum Aneuryſmatum, reliquum eſt, ut alterum aggrediamur, ſit proinde

CAPUT

CAPUT IV.

De Aneuryſmatibus, nothis, & illegitimis.

SECUNDUM diviſionem ſuperius Propoſitione IV. traditam poſt legitima ſequuntur illegitima Aneuryſmata, quæ pendent ab auĉta mole vel impetu ſanguinis ſupra capacitatem, & reſiſtentiam ordinariam ipſarum Arteriarum, ita ut enervatio, dilatatio, ac diſciſſio villorum, & fibrarum poſterior omnino ſit, ac veluti effeĉtus adauĉtæ molis vel impetus projeĉti ſanguinis. Hîc tamen advertendum, ſpuria Aneuryſmata ſæpe exhibere ſigna dilatatæ, ad uſque villorum diſcuſſionem, alicujus tunicæ Arteriæ, licet nondum diruptæ; pulſant enim, ac turgent quemadmodum vera. Unde ſpurium appellabimus Aneuryſma pulſationem extraordinariam alicujus Arteriæ cum diſtractione ſupra conſuetam orbitam tunicarum; ac ſpurium migraſſe in legitimum dicemus, cum diſtraĉtio tranſivit in diſciſſionem fibrarum Arterias compleĉtentium.

PROPOSITIO XXXVI.

Exponitur duobus modis impetus ipſius ſanguinis ſuperare poſſe reſiſtentiam Arteriarum, nimirum per impetum reĉtum, & per impetum compoſitum ex reĉto, ac reflexo.

QUANQUAM ex iis, quæ Propoſitione III. & IV. expoſuimus circa diſcrimina Aneuryſmatum, & proportionem inter impetum ſanguinis, & reſiſtentiam Arteriarum clare deduci poſſint, quæ ad ſpuria intelligenda Aneuryſmata ſatis eſſe videntur, nihilominus generalis illa doĉtrina peculiariter hîc traĉtanda ſeſe offert. Scilicet inveſtigandi nobis erunt modi quibus adaugeri poteſt impetus ſanguinis habita ratione reniſus Arteriarum.

Duo autem ſunt, quantum ſuſpicor, adauĉti ſupradiĉti ſanguinis impetus: unus quidem, quem lato modo appellabimus adauĉtum impetum reĉtum: alterum verò mixtum ex adauĉto impetu reĉto, & addito reflexo.

Primus ſane ab inſtrumentis ſanguinem pellentibus, nec non à ſanguine ipſo proficiſcitur, quatenus inſtrumenta reſpirationis, & Cor majori vi ſuos conatus, ac vibrationes exercent contra ſanguinem;

hic autem pleniori ſua mole, & elaſtica quadam vi in Arterias nititur, ac plus ſolito extrorſum premit, ac diſtendit, quæ deinde in locis, in quibus minimum particulare ſtructuræ vitium occurrit, debilitari incipiunt: quod quidem præcipue contingit in athletis, vinoſis, tibicinibus, & bajulis, in quibus primo rectilineus ſanguinis impetus conſueto major exercetur. Etenim in magnis iſtorum conatibus, atque exercitationibus diaphragma, omneſque thoracis muſculi nituntur contra ſanguinem in Cordis Auriculas, & Ventriculos excurrentem, unde fieri non poteſt, quin Cor vehementius per ſyſtolem pellat in Arterias eundem ſanguinem, qui jam citatius per Venas verſus Cor movebitur, ea plane ratione, qua pila luſoria vehementius à pellente inſtrumento in contrariam partem truditur, quo prius majori momento motus ferebatur.

Ipſa quoque moles, & vis elaſtica ſanguinis rectilineum ipſius motum poteſt adaugere, quia quo major, & fervidior eſt moles fluentis liquidi, eo copioſiores, & validiores ſunt partes, quæ ad inſtar ſolidi elaterii, & cunei diſtendere, & nimium diducere, ac disjungere poſſunt villos, ac fibras Arteriarum texturam texentes. Legatur apud Severinum De Novis Abſceſſibus Cap. XXXVI. §. V. caſus Aneuryſmatis obſervati in juvene Burgundâ ingluviei ſumme dedita, & meri potatrice nulli ſecunda, quæ acuta febri correpta ob recenſitam cauſam plenitudinis fervidi ſanguinis, poſt mortem aperta, exhibuit Arteriam Cæliacam ad compreſſi pugni molem dilatatam.

Hoc autem multo facilius contingit ſi momento adaucto impetus recti ſanguinis, aliud etiam momentum impetus adjungatur, quod ex reflexione ejuſdem in latera, & ſuperficiem ſanguinei cylindri proficiſcitur, quod quidem ſecundo loco conſiderandum nobis propoſuimus. Difficile eſt autem, quin hujuſmodi momentum priori adjungatur; Etenim ſi una cum vaſorum plenitudine, & quodam ſanguinis conatu aliquam Arteriam comprimi, obſtrui, aut alio quovis modo aliquid de ſuo diametro præter naturam, & pertinaciter amittere contingat; procul dubio rectilineæ ſanguinis undæ, quæ illius axem, & proxima inter fluendum ſpatia occupantes in obſtructum, aut compreſſum locum (quem nullo impedimento obſitum facile & libere permeaſſent) incidant, ex reflexionis legibus neceſſario reſilient, & quaquaverſum in ſuperius canalis cavum

actæ, extrorſum urgebunt Arteriæ latera, quæ cæteroquin à ſanguinis partibus naturalibus in illa cuneorum inſtar incidentibus dilatantur; ex iis autem duabus trudendi viribus, recte videlicet, & reflexæ fieri non poteſt, quin ſuperius Arteriæ ſegmentum paulatim diſtendatur, diducatur, atque dilatetur.

At enim vero, ut modus productionis iſtius Aneuryſmatis ſpurii ſub ipſis oculis cadat, argumenta producam, tum ex mechanicis legibus fluentium liquidorum, tum vel maxime ab experimentis Anatomicis petita.

PROPOSITIO XXXVII.

Exponitur, ac demonſtratur actio momenti compoſiti impetus recti & obliqui ſanguinis, aut compreſſus Arterias excurrentis.

PRIMUM itaque advertatur, in canalibus pelliceis, qui facile diſtenduntur per vim projecti liquidi, conſiderari poſſe partes excurrentium fluidorum perinde quaſi totidem lineas, quarum aliquæ ab orificio canalis procedant per axem, aliæ vero incurrant, ſeu urgeant ſuperficiem interiorem ejuſdem canalis, qui quidem canalis ſi alicubi comprimatur, vel obſtruatur, neceſſe eſt ut vel omnes, vel multæ ex lineis tum prope axem impulſis, tum ad latera incidentibus à ſuo libero excurſu prohibitæ, reflexionem patiantur. Quod ſane in ſequenti clare apparebit figura.

Sit Arteriæ ſegmentum cylindricum B E, ſitque fluxus vehementer projecti ſanguinis ex B in E. His poſitis detur obſtructio, vel compreſſio in locis D D: quoniam ſanguis vehementer propulſus à B in E cum pervenit ad prædicta loca compreſſa, vel obſtructa prohibetur à libero excurſu verſus E, neceſſe erit, ut reflectatur à punctis D D quaquaverſum, & niſum exerceat contra ſanguinem impulſum à B verſus E, fierique non poterit, quin cum latera ipſius Arteriæ ſupra loca D D non ſine diſtractionis reſiſtentia, quemadmodum ſunt ripæ fluminis, ſed maxime diſtrahibilia dilatentur in diaſtolem ſupra conſuetam orbitam ſuorum orificiorum præſertim in canali B E verſus univerſam circumferentiam F F; quin imo in ſingulis Cordis pulſationibus, geminato niſu ſanguinis, recto nimirum & reflexo, ſupra loca poſitorum impedimentorum, neceſſario membranæ ipſius Arteriæ non tantum penitus diſtrahentur, ſed tandem

dirumpentur, præſertim ſi aliæ acceſſerint cauſæ, de quibus in ſequenti Propoſitione.

Neque ſane difficile admodum erit prædictum adaucti, & geminati ſanguinis impetus operandi rationem in Arteriis concipere, ſi advertatur, plumbeos canales fluxum devolutæ aquæ dirigentes, ob ſolam quandoque obſtructionem, vel compreſſionem, duplicato, ut ſuperius expoſuimus momento niſus excurrentis liquidi citra ipſa impedimenta, ſenſim laxari, ac dehiſcere.

Sed quid opus eſt ut externis experimentis utamur, ubi admodum, clara in Animalium corporibus ſeſe objiciunt exempla? Denudet quis in Cane Arteriam e. g. Iliacam, & mox vinculo ſtringat, vel alio comprimat corpore, inde exitum ſedulo obſervet, & re ipſa docebitur, quanto major ſit impetus, & diſtractio quaquaverſum in illo Arteriæ ſegmento ſupra impedimentum poſt ligaturam, quam ante ipſam extiterit. Legatur hac ſuper re pulchrum illud tentamen Magni Harvei in Lib. de Circulatione Sanguinis Exercitatione III. pag. 214. ubi narrat à ſe factum experimentum, quod à Galeno & Veſalio indicatum potius, quam tentatum fuerat, ſcindendi nimirum tranſverſim Arteriam, & inditâ fiſtulâ ipſam ligandi. Audiamus illius verba: inquit enim « nam ſupra calamum, aut fiſtulam quamprimum, ac vinculo Arteriam ſtrinxeris, ſupra ligaturam Arteria » ſtatim ab impulſu ſanguinis deſuper impacti dilatatur ultra orbitam » fiſtulæ, inde & fluxus inhibetur, & impetus refringitur, ita ut » Arteria vinculo ſubdita, obſcura admodum pulſet, quia eſt ſine » impetu tranſeuntis ſanguinis, & quod ſupra ligaturam reverberatur, &c.

PROPOSITIO XXXVIII.

Deducitur ex multorum ſerie experimentorum, validam Arteriæ compreſſionem, ſeu conſtrictionem, ſi diu perduraverit, & canalem impervium reddat, productioni ſubſtantiæ polypoſæ ſuperioris Arterioſi ſegmenti cavum obturantis occaſionem præbere.

ILLUD plerumque in præternaturali corporum conſtitutione ſolet accidere, ut vitium, quod ſimplex initio morbi fuerat progreſſu temporis geminetur, & quod à ſolidis incœpit, poſtmodum propagetur in fluida. Hoc ſane evidenter apparet in forti ſeu valida com-

preſſione, vel vinculo ipſarum Arteriarum; hæ ſiquidem affectiones ſi diu perſeverent, non tantum ſanguinis excurſum per illam Arteriam præpediunt, & morboſam ejuſdem liquidi repercuſſionem inducunt, ſed efficiunt, ut tenaciores quædam cruoris partes, cum minus ad reflexionem ſint mobiles agglomerari invicem, paulatimque lateribus Arteriæ adhærere incipiant, donec plenior ex novo affluxu facta moles conſimilium particularum fila referentium, in denſum & fibroſi ſpeciem exhibens corpus, quod polypoſum dicimus, coaleſcat.

Error autem poſſet hìc ſubrepere, ſi quis opinaretur hujuſmodi polypoſum concretam nonniſi ſciſſa, ac dehiſcente Arteria fieri, ut de cruſta polypoſa cyſtidem Aneuryſmatis obducente alias monuimus. Etenim in Aneuryſmate ſacci formam æmulante cruſta polypoſa impedit, quominus cruor per Arteriæ axem non interrupta circulatione fluere poſſit; Secus autem in ſpurio, de quo loquimur, Aneuryſmate polypoſum corpus Arteriæ cavum plane obſtruens rectam ſanguinis viam præcludit, ac proinde eo in loco circulationem intercipit, coacto fluido ad laterales vias capeſſendas. Hinc ſæpe pulſus ex hac cauſa obliteratur in carpis, ut in Marchione Paulutio.

Probat verò noſtrum de generatione polypi aſſertum ipſa experientia, quam ſæpè in Canibus firmavimus: etenim denudatam apud illos unam ex Arteriis Iliacis cerato filo ante conſtrinximus; deinde curandum vulnus eorundem ſalivæ relinquentes poſt quindecim, aut viginti dies ſecata per longum Arteria, expoſitam polypoſam concretionem citra ligamen offendimus; quam quidem concretionem canalis cavum ita oppleviſſe animadvertimus, ut etiamſi ſoluto vinculo omnis tubo libertas redire potuiſſet, obſtructio tamen ab irruente poſtmodum ſanguine non omnino tolli potuerit, quia nempe ſubſtantia polypoſa, vel nunquam, vel nonniſi longo tempore, ſeu repetitis preſſionibus, & ſalis volatilis alluvione rurſus diſſolvi poteſt.

Advertendum ulterius ducimus, nos vel nullam, vel minimam dumtaxat lateraliter canali hærentem inveniſſe polypoſam ſubſtantiam, ubi compreſſio, & conſtrictio non adeo valida adhibita fuerit, unde fluxus liquidi à ſuperiori ad inferius Arteriæ ſegmentum ſubito non reſtiterit, ſed adhuc utrumque perduraverit; torrens etenim ſanguinis, cum ad ſtrictum locum pertingit, partim reverberat, partim vero impetu majori fluens craſſiores ſanguinis partes ſecum abripit. Sed in humanis corporibus ægritudine aliqua tentari cœptis

res aliter poteſt evenire; nimirum ut vitium conſtrictionis canalis illico jungatur cum vitio fluidi ad ſtagnandum apti, unde polypoſa concretio, quæ tubi culpa non accideret, vitio fluidi acceleretur.

Deinde confirmatur expoſita hypotheſis diverſorum extiſpicio cadaverum, in quorum puris Aneuryſmatibus hujuſmodi polypoſa ſubſtantia viam curſus ſanguinis Arterioſi plane obſtruens, inventa fuit. Pulchra præ aliis videtur hiſtoria à Panarolo Pentecoſte II. obſerv. XI. deſcripta, qui narrat Aneuryſma, quod ad verbum tranſcribendum duximus. « Religioſus quidam cum eſſet quadrato » corpore, ante multos annos paſſus fuerat Aneuryſma ſub axilla » dextera. Huic conſulentibus Medicis, ſingulis quibusque annis » maxima ex brachio oppoſito ſanguinis copia hauriebatur. Accidit » in eo tempore, dum nunquam tam jucundus, & promptior eſſet » ad vitæ functiones, illi repentina mors. Secto cadavere, Venam » Azygos maximopere turgentem inveni, ita ut rumpi videretur. » Venæ item, & Arteriæ omnes, quæ muſculos intercoſtales dex» teros irrigant, ſummopere tenſæ, plenæque erant, ita ut dum » ſectio fieret, circa claviculam, & axillam maxima ſanguinis copia » redundaret. Sed, quod maxime admirandum fuit, Arteriæ Axil» laris inſpectio; ipſa enim non ut in reliquis Aneuryſmatibus rupta, » & corrupta erat, ſed undequaque integra: eâ tamen differentiâ, » quod circa Arteriam, & Venam Axillarem, atque intra cavitatem » Arteriæ caro quædam alba, ſolida, dura, & cartilaginoſa maximæ » portioni tam firmiter adhærebat, ut ſecerni nullo modo poſſet, » imo ferro mirifice reſiſtebat. Unde cum via ſanguinis naturalis, » vitalis ad irrigandum brachium ex inſigni interna obſtructione pau» latim clauſa eſſet, retrocedens ſanguis Cor ſuffocando, partem » illam inopinatæ mortis falce reſecavit.

Similiter apud Marcum Aurelium Severinum de Noviſſimis Obſervatis Abſceſſibus Cap. XXXIV. §. V. proſtat hiſtoria Aneuryſmatis Arteriæ Cæliacæ à Nicolao Larcheo Chirurgo Romano diligenter obſervati, cujus diſſectionis deſcriptio talis eſt. « Extorti igitur ab » inferioribus poſtquam ad Arterias Emulgentes pervenimus, ſuperata » jam parte, qua Magna Arteria primos divaricatus mittit, corpuſ» cula offendimus tria ex pituita concreta (hujus uber eſt modus » Arteriæ longeque amplior quam Vena) vi caloris, opinor, ſibimet» ipſis incumbentia, quæ obturamenti cujuſdam modo Arteriæ ductui

» ſic offarcta tranſverſim erant, ut ſpiritui ſe transfundenti præclu-
» derent viam; continuo autem ad ſuperiora facto tranſgreſſu, tan-
» dem Cæliaca ſeſe obtulit ita dilatata, ut compreſſum pugnum ad-
» mitteret, quæ naturæ ſuæ modo vix annularis digiti craſſitudinem
» æquat, in quo ſinu ſanguis abunde ſtagnabat ater, grumoſus, in
» putredinem abeuntis imaginem præſeferens: à quo uno Arteriæ
» ſic depravato ſtatu profectam interitus cauſam nemo eſt qui du-
» bitet ». Attente perlegenda hiſtoria prima Obſervationum Anatomico-Medicarum Johannis Baptiſtæ Fantoni, in qua deſcribitur Aneuryſma Arteriæ Magnæ paulo ſupra Iliacas in viro carnoſi habitus, frequentibus animi deliquiis, & vagis ventris doloribus vexato, in quo poſt mortem infra locum Aneuryſmatis aderant craſſiſſimi polypi, qui ſanguinis fluxum, verſus Iliacas impediebant; ſed jam tempus eſt, ut ad alia procedamus.

PROPOSITIO XXXIX.

Demonſtratur adauctum, ac geminatum impetum ſanguinis, qui ab initio ſpurium efficit Aneuryſma, verum, & legitimum raro inducere poſſe, quin vel ſolito graciliores alicubi inveniat Arteriarum membranas, vel in locis peculiaribus, ut erodens liquidum ad cauſæ vim acceſſerit.

NOSTRA hæc Propoſitio habet duas partes, primam, in qua aſſumimus Arterias nonniſi raro per auctum impetum rectum, & reflexum ſua natura laxari, ac dehiſcere poſſe, ſecundam, in qua probare aggredimur, per geminatum hunc impetum facilius, ac frequentius Arterias ſcindi non poſſe, verumque producere Aneuryſma, quoties eidem inſita tubi gracilitas, vel erodens indoles circumfluentis, atque excurrentis liquidi pertinaciter non adjungitur.

Prima pars facile probatur cùm rationibus, tum experimentis à priori quidem; quia licet ponatur dirigi contra reſiſtentiam peculiaris Arteriæ utrumque ſanguinis impetum ſupra ordinarias leges adauctum, niſi Arteria fuerit exilis, atque extrema (ut in parturientibus, & diu, violenterque vomentibus interdum accidit) per ſolam iſtam vim impetus vix poterit diſſilire: eo quod in Arteriis conſiderari debet non ſolum reſiſtentia, quæ proficiſcitur ex propriis tunicis, ſed etiam illa ſuperaddita reſiſtentia, quæ proficiſcitur ex multiplici complexu

membranarum, glandularum, aut muſculorum, quæ ubique locorum ipſas Arterias circumvalidare ſolent. Unde etiamſi prædicta ſanguinis vis naturalem ſolius Arteriæ reſiſtentiam poſſet ſuperare, non ita facile reniſum circumpoſitarum partium vincere poteſt.

Experimentis etiam theſis noſtra probatur: etenim quoties amputato, aut ligato membro, vel in convulſis, aut oſſeis Arteriis apud hypochondriacos, & hyſtericas fortis pulſatio perſentita fuit, quæ licet pertinax ad annos perduraverit, nihilominus in apertum Aneuryſma nunquam tranſivit; ſpurium enim Aneuryſma cum ſola Arterioſi tubi diſtractione interdum diu perſeverat: Cujuſmodi fuit, quo Religioſus quadrati corporis, referente Panarolo loco ſupra citato, ante multos annos ſub axilla citra ullam rupturam, aut corruptionem detentus fuerat; ſecus vero ſpurium Aneuryſma optime cedit cum placida medela ſolutis vinculis in naturam redit Arteriæ.

Quantum vero ſpectat ad alteram Propoſitionis partem demonſtrandam, hoc ſane longe facilius aſſequi poterimus, ſi Auditores noſtri meminerint, quæ alias docuimus de inſita, ſed præternaturali Arteriarum gracilitate, & de adjunctis pravis humoribus ad alias cauſas.

Etenim ſi corpus Arteriam obſtruens, vel comprimens erodentes aliquas particulas de ſe promat, vel aliunde ex ſanguine, aut nervis in affectam Arteriam derivet (quod ſane ægro in corpore contingere facillimum eſt) quæ intra fibroſam canalis texturam veluti cunei penetrantes illam ſenſim diducant, ſimulque diſcindant, in Aneuryſma ſpurium ab initio, denique in legitimum tranſit, & adoleſcit. Quod nos octo abhinc annis vidimus in aperto cadavere cujuſdam Cauſidici affectione hypochondriaca vexati. Hic multos annos conſuetam Cæliacæ pulſationem ex ſpaſmo exortam paſſus fuerat, ſed poſtremis duobus annis pulſationi etiam tumor malo punico æqualis adjunctus fuerat, in eo ramus Cæliacæ Arteriæ, quæ primum ſola convulſione laboraverat, ſenſim fluidi impetu, & erodentis vi adeo dilatatus fuerat, ut marſupium formaverit cænoſo, ac polypoſo humore curſum ſanguinis in Arteriolas obſtruente plenum, quod poſtremo dehiſcens, & progreſſu temporis apertam verſum partem, quæ incolumi Arteriæ ſegmento finitima erat, exundante intra cavum Abdominis Arterioſo ſanguine ſubitam ægroti necem induxit. Exemplum aliud Aneuryſmatis ſpurii inchoati nempe à plenitudine ſanguinis

Aortam

Aortam diſtendentis, ac demum in legitimum adoleſcentis ob adjunctam fluidorum acritudinem, & erodendi vim clarum, ſi quod aliud extat apud Saportam De Tumore Præternaturali Lib. 1. cap. 43. de quo miror quomodo à Sennerto dubitari poſſit, an verum fuerit Aneuryſma.

Neque vero hic prætermittendum videtur, quod alias monuimus, circa inſitam Arteriarum gracilitatem, quæ cum in aliquibus corporibus conſueto minus robuſta ad reſiſtendum impetui ſanguinis reperiatur, facile fieri poteſt, ut e. g. in bajulis, tibicinibus, parturientibus ob adauctam, reſpirationis contentione, vim propulſionis ſanguinis major niſus in particulari Arteria determinetur, quæ minus valida, aut ſuapte natura, aut ex obice fiat ad reſiſtendum; unde neceſſario cogitur dehiſcere, ut in antecedentibus fuſius demonſtravimus.

Interim ſatis fuiſſe arbitramur, ſi rationes expoſuerimus, cur ex bajulis, cæteriſque violentos conatus exercentibus, nec non ex aliis qui obſtructas alicubi Arterias habent non omnes in vera incidant Aneuryſmata.

PROPOSITIO XL.

Quod Medici tanto ſtudioſius debent inquirere in ſcientiam incipientium ſpuriorum Aneuryſmatum, quanto hæc, ſi ſtatim cognoſcantur, minus difficulter, quam pleraque legitima, curari ſoleant.

CUM Aneuryſmata ſpuria initio adjunctam minime habeant diminutam reſiſtentiam Arteriarum ad conſuetum ſanguinis impetum, ſed auctam ſolum contentorum fluidorum vim; cumque probatum ſuperius jam ſit, auctam vim ſanguinis vix poſſe legitimum Aneuryſma producere, quin vel ipſius infirmitas Arteriæ, vel erodens liquidum acceſſerit, ſequitur, ut ſpuria Aneuryſmata, ſi ab initio cognoſcantur facilioris ſint medelæ, quam legitima, quia tunc probabiliſſimum eſt, nondum ſuperadditam eſſe labem in Arteriarum tunicis, ob quam major fibrarum debilitas, ſeu minor reſiſtentia induta ſit. Adnitendum itaque erit in principio iſtarum ægritudinum, ut cauſa tollatur adaucti impetus in ſanguine; quod facilius eſt aſſequi, quam reſiſtentiam ſolidis addere. Atque hinc profecto fit, ut paſſim curata obſerventur hujuſmodi Aneuryſmata in plethoricis, atque hypochondriacis, quorum

medela, ſi diu neglecta fuiſſet, fruſtraneus poſtea omnis labor extitiſſet; quia nimirum, ut ſupra demonſtravimus, Arteriæ ex aucto, & duplicato impetu ſanguinis una cum acceſſione liquidi erodentis non ægre debilitari ſolent. Idcircò etiam atque etiam Auditores noſtros monemus, ut quæ in ſequentibus tradituri ſumus, non tanquam obiter dicta, ſed veluti diu elaborata, & ad lydium experimenti lapidem revocata ſtudioſe velint excipere; fruſtra enim laboramus in curatione illorum Aneuryſmatum, quæ jam eroſas habent membranas, quas nulla acus rurſus poteſt conſuere.

PROPOSITIO XLI.

De differentiis, & ſignis Aneuryſmatum pendentium à vi cunei plenitudinis ſanguinis.

QUAMQUAM ſanguinis plenitudo cum ad extremum pervenerit, motus omnes in Animali reddere ſoleat languidiores, eo quod tollat in minimis vaſculis, & loculis neceſſarium illud ad concidendum, ac reſiliendum ſpatium, ſine quo liquidorum ſeparationes, & fibrarum diſtenſiones, contrariis urgentibus niſibus fieri non adeo facile poſſunt: quapropter ii ſegniores ad motum evadunt, quorum corpora ſaginata magis fuerunt; nihilominus cum plenitudo mediocris juncta magnis extemporaneis conatibus, vel membrorum compreſſionibus, & curvaturis, aut vitio inſitæ gracilitatis Arteriarum, multum faciat ad vaſorum dilatationes, & cauſa eſſe poſſit non infrequens Aneuryſmatis, ideo de hac nunc agendum ducimus.

Illud vero præ primis advertimus communi omnium Medicorum, & Chirurgorum obſervatione exploratum eſſe Aneuryſmatum cauſam, ut nos fateri poſſimus, ex centum Aneuryſmatibus ſponte, ſeu abſque ullo externæ cauſæ concurſu obvenientibus, plus media parte in guloſis, & bibacibus vidiſſe; reliqua autem in hypochondriacis, hyſtericis, & ſyphillide obſeſſis. Vide quæ docte, prudenterque ſcribit Marcus Aurelius Severinus De Noviſſimis Obſervatis Abſceſſibus Cap. VII. pag. 177, & apud eundem confer ea, quæ tradit Nicolaus Larcheus in Obſervatione quadam Aneuryſmatica data ad D. Marcum Aurelium Severinum, & loco citato adnexam pag. 289.

Sed quoniam ingluvies, juxta diverſa alimentorum potuumque genera, necnon reliquæ vitæ rationem, duplicem plenitudinem facere ſolet, unam ſanguinis laudabilis, hoc eſt ſale volatili-oleoſo præditam, alternam verò cacochymam, crudorum nempe ſuccorum ſale fixo acetoſo in phlegmate diſſoluto redundantem, ab utraque ſane proficiſcitur Aneuryſma, ſi præſertim inſita alicujus Arteriæ debilitas, vel ignota nobis occaſio malis ovis incubatum adjunxerit.

Et quamquam plenitudo optimi ſanguinis rariùs Aneuryſma ſoleat inducere, niſi conſtrictionem, ſeu compreſſionem alicujus Arteriæ, vel animi pathema prodromum, & comitem habuerit; idcircò malum hoc cognoſcitur, quia fortis pulſatio incipit in corporibus robuſtis, & laudabilem conſtitutionem, cum genarum rubore, & lacertorum validitate, præ ſe ferentibus, quibus tamen vel improviſus aliquis timor, vel pertinax mæror liberam per ipſa Præcordia circulationem præpediverit, aut vita ſedentaria, & compreſſio, vel curvatura alicujus membri cauſam dederit, cur particularis Arteria amplè, nimiumque diſtracta ſponte laxata fuerit.

Aneuryſma verò ortum à plenitudine cacochyma, faciliùs cognoſcitur, tum quia anteactum vitæ genus jam congeſtam humorum urgentium copiam plenè demonſtrat, tum vel maxime; quia ab ipſo ægro hîc illicque per corpus pulſationes quædam præſentiuntur: eo quod Arteriæ ſuis in finibus ob liquidorum copiam leviter obſtrui, & ob fibrarum irritationes convelli ſolent, ut intercepta ſanguinis ab Arteriis in venas immiſſio ejuſdem reverberationem intercepta ſanguinis ab Arteriis in Venas immiſſio ejuſdem reverberationem ad latera identidem efficiat, donec in particulari Arteria plenitudo iſta, validiori inductâ obſtructione firmiùs determinetur, & fundamenta ſpurii Aneuryſmatis jaciat; ſed à ſignis tranſeamus ad Therapeuticam, & ad peculiares ſpuriorum Aneuryſmatum ætiologias.

PROPOSITIO XLII.

Agitur de curatione Aneuryſmatum à vi cunei plenitudinis ſanguinis.

Ut juxta veriorem methodum procedat curatio prædicti Aneuryſmatis, diſtinguenda erunt illius tempora; etenim ſi Medicus acceſſitus fuerit incipiente malo, tunc ſecta ſemel, atque iterum Vena ad minuendam collecti ſanguinis molem, nec non exhibitis lenibus

ex caſſia, & tamarindo ſolventibus, una cum placidis diluentibus, ex juribus borraginis, ſonci, & ſimilibus, nec non nitro ſtibiato, totus eſſe debebit in rigida inſtituenda victus ratione. Quantum namque mero, & eſca immodica primum ſe compleverat æger ad morbum excitandum, tantundem etiam Cereris, & Bacchi parcitate longa uti debet, ita enim peritiſſimus Severinus de Noviſſimis Abſceſſibus Cap. VII. in ſcholio num. 8. ſe reſtituiſſe narrat Carolum IX, qui cum primum Aneuryſmate ex nimio ſanguine erupturum vidit, ſtatim abſtinentia repreſſit.

Neque nobis defuerunt exempla conſimilium morborum, qui ſi vetuſtatem attigiſſent, tamquam inſanabiles relinquendi fuiſſent: principio tamen rigidâ vivendi ratione, exercitatione corporis jejuno ventre, nec non aëris mutatione remiſerunt.

Si verò Chirurgus ſuſcipiat curationem confirmati, & jam in legitimum mutati Aneuryſmatis, tunc ſatis erit, ſi conatus omnes impendat in prohibendo, ne univerſus ſanguis nimiâ copiâ redundans, vel ſibi conſtruat impedimentum ad motum in præcordiis & cerebro, aut Aneuryſmatis cyſtim dirumpens ſubitam necem poſſit inferre; alterum enim contingere ſolet in antiquis, quamquam ſpuriis Aneuryſmatibus à plenitudine ortis; apud obſervatores Medicos adeò frequentes leguntur eorum hiſtoriæ, qui extemplo vitam cum morte commutarunt, in quorum cadaveribus, vel turgens dilatatorum in Cerebro, & Præcordiis vaſorum plenitudo, vel aliquo in cavo effuſus ſanguis occurrit.

Prohibetur autem potiſſimum humores turgere, ſi ſtatis temporibus vere nimirum, & autumno corpus ſanguinis miſſione extenuetur, cujus auxilii profectò indicatio non ex ſola ægri conſuetudine, aut Medici inconſulto arbitrio ſumenda erit, ſed ex ipſis incipientibus indiciis adauctæ molis ſanguinis: Hæc autem ſunt ſegnities ad motum, Præcordiorum anguſtia, Capitis gravitas, calor, aut dolor. Sæpe enim vidi aliquos, qui unum vitare cupientes malum, alterum funeſtius, nempe (ob nimiam ſanguinis detractionem) cachexiam, & hydropem incurrerunt. Adeò verum eſt, prudentiam in Medico potiorem eſſe ſuarum virtutum partem.

Deinde moderata quoque victus ratio, quæ ad tenuem potiùs quàm ad mediocrem inclinet optimum erit præſidium ad evitandam, ut ſuperiùs indicavimus, vaſorum plenitudinem; cum autem in

ſecundo hoc Aneuryſmatis ſtatu corporis exercitatio vitari debeat, ne nimiæ diſtenſioni affectæ jam Arteriæ cuneos addamus, eò magis neceſſarium arbitramur præſidium, quod à vitæ parcimonia proficiſcitur, in qua illud etiam diligenter cavendum, ne acetariis, acribus, acidis ſuccis utatur æger, cùm jam demonſtravimus, ſpuria Aneuryſmata acceſſione acrium ſuccorum, facile in legitima & omninò lethalia paſſim immutari.

Neque interim deſpicimus decoctiones aliquas vulnerarias, quæ ſectâ Venâ ad aliquot dies propinari poſſunt, ut vaſorum robur, ac fibrarum vis, quo fieri per Medicum poteſt, firmetur.

PROPOSITIO XLIII.

De variis ſpeciebus ſpuriorum Aneuryſmatum ab Arteriarum convulſione oriundis.

INTER Aneuryſmata ſpuria non infimum certe locum tenent ea, quæ à nervearum fibrarum ſpaſmo dependent; cùm enim Nervi hìc illicque hederæ ad inſtar Arterias circumligent, ita in earundem fibroſam compagem ad motum tunicarum adverſus Cordis impetum probabiliter reciprocandum, altè propagentur, ac penetrent, ſi contingat, quemadmodum in reliquis Nervis ſolet accidere, ut alicujus Arteriæ Nervus ſpaſmo afficiatur, tunc neceſſario ob ſuorum contractionem villorum, ipſa quoque muſcularis ejuſdem tunica convellatur oportet, ac proinde, ut Arterioſi tubi diameter ibidem conſtringatur, indeque ſanguis verſus Cor inflectatur, vel ſaltem verſus partem ſuperiorem Arteriæ, cæteraque contingant, quæ hinc evenire diximus Propoſitionibus antecedentibus.

Hujuſmodi autem ſpaſmodica affectio in Arteriis plures habet differentias, ſed duas præſertim; modò enim corripit fibras longitudinales, modò obliquas, ſeu ſpirales, nunc verò unam, nunc plures una, ſcilicet Arterias.

Quoniam Arteria, ut ſuo loco demonſtravimus, obliquis ſeſe mire decuſſantibus fibris inſtruitur, ſimulque longitudinalibus, fictas eas contractionum diſtinctiones nemo dixerit, qui tum in mortuorum Anatome, tum in vivorum de praxi diu fuerit exercitatus.

Similiter cum Nervi non in Aortam ſolum, ſed in ſingulis artuum flexuris, & potiſſimum intra Abdomen miros ob fines intra ſubſtan-

tiam Arteriarum diſperdantur, hinc ſane fit, ut interdum Arteriarum convulſiones nunc fiant circa Cor, nunc in Abdomine, & circa Uterum, nunc in ſingulis fere extremis oſcillis eorundem canalium. Quod aliquando obſervavimus apud nonnullos, qui multo ſale acri redundantes identidem violentiſſimas extremarum omnium Arteriarum pulſationes perſenſerunt, donec & quouſque tota quanta vagabatur per corpus uno in loco cumulata erodens materia (niſi cicurata fuerit) verum produxerit Aneuryſma. Legatur apud Paræum Lib. VI. Cap. XXVIII. celebris hiſtoria pulſationis inſignis omnium Arteriarum, cum æſtu totius corporis, cui tandem Aneuryſma ipſius Arteriæ Venoſæ ſucceſſit.

PROPOSITIO XLIV.

Traditur diagnoſis ex hiſtoria convulſionis fibrarum longitudinalium Arteriæ.

COGNOSCITUR verò fibras longitudinales Arteriarum ſpaſmo detineri, quia ægrotantes pulſationes quaſdam perſentiunt in Præcordiis una cum ſenſu moleſtiſſimo tractionis, ac divulſionis plurium Arteriarum à finibus verſus principium, quòd cum evenit, non dubito quin obliquæ etiam fibræ una convellantur, attamen vitium læſionis in fibris rectis potiſſimum apparet; & quanquam rariſſima ſit hujuſmodi morbi ſpecies, eam nihilominus pluries vidi, ſed præſertim primò in muliere hyſterica, quam ſedulò per intervalla paroxyſmo detentam obſervavi, in quo mirabile occurrebat ſymptoma palpitationis Cordis, & magnæ palpitationis ampliatarum Arteriarum temporalium, & carpi cum dolore ex earundem contractione, ſeu verſus Cor retractione. In his autem effectibus probabile admodum eſt, ſuperiores Aortæ ramos convulſionem per longitudinem paſſos fuiſſe, unde conſtrictis hiſce tubis non ſolum conhibebatur elutriatio ſanguinis ab Arteriis in Venas, ſed quod in iliaca contingit affectione, antiperiſtaltico excitato motu fluidum contentum repercutiebatur ad Aortam, & Cor, ubi palpitationem, & angorem ciebat. Mulier hæc mutatione tum aëris, tum variorum, quibus ejuſdem animus agitabatur, objectis, optimè convaluit.

Novi etiam juvenem fuſci coloris, & melancholicum, qui in oppido Bracciano Medicinam exercebat: hic poſt multa animi pa-

themata, & varium acido-acrium ciborum abuſum in quandam Præcordiorum, & Axillarium Arteriarum affectionem inciderat, quæ non ſolum Cordis palpitationem cum ſonitu, ſed vehementem pulſationem in utroque carpo una cum ſenſu violentiſſimæ, & dolore contractæ Arteriæ identidem æqui temporis intervallis inducebat: crevit morbus ad uſque probabilem ſuſpicionem dilatati juxta Cor magni alicujus vaſis: is cum variis ex ſero, ſuccis, chalybe, cardiacis, purgantibus, aliiſque medicamentis, ac ſanguinis miſſione ſe maceraſſet, venit Romam inter initia veris, ac me potiſſimum ſuper curatione conſuluit. Ipſe audita morbi hiſtoria, ſuſpicabar, ichores acres, quos brevitatis gratia dicimus melancholicos, tum in Corde, tum in Arteriis Axillaribus fibras præſertim longitudinales pungere, atque irritare; hinc enim perturbato, ac diminuto per contractionem diametro Arterioſi canalis perturbabatur libertas trajectionis ſanguinis ab Arteriis in Venas Axillares; unde reflexio, atque repercuſſio ejuſdem ſanguinis ad ſuum principium. Damnatis idcircò cæteris pharmacis laudavi pertinacem uſum ſucci pomorum redolentium in jure cum balneo aquæ dulcis, nec non oleo amygdalarum dulcium; & vini abſtinentia. Poſt annum ad Urbem rurſus rediens æger iſte mihi ingenue faſſus eſt, ſe ſolo ſucco pomorum per duos menſes ſumpto integre convaluiſſe. Adeo verum eſt cum initia, tum remedia magnorum morborum, plerumque eſſe puſilla.

Hinc tamen à minus in Arte peritis tamquam per Corollarium notatum velim, palpitationes Cordis, & varias Arteriarum pulſationes niſi quamprimum opportune curentur, in vera tranſire Præcordiorum Aneuryſmata, nulla deinde curandi methodo cedentia.

PROPOSITIO XLV.

Exponitur diagnoſis, & curatio ſpuriorum Aneuryſmatum ex convulſione circularium ſpiralium fibrarum Arterias comprehendentium.

HÆC affectio ut plurimum corpora valetudinaria corripit nervoſis affectionibus obnoxia, cujuſmodi præſertim ſunt hypochondriacorum, atque hyſtericarum; In iis enim vel Nervorum ſuccus acer factus ad Arteriarum ſpaſmos deſcendit aptiſſimus, vel ichor Nervis infeſtus per Arteriolas in fibras tunicæ majorum Arteriarum delatus ſpaſmodicam affectionem, ratione ſuperius allata, creat.

In Cæliaca verò Arteria frequentiſſime hujuſmodi accidunt Aneuryſmata, ut experimentis paſſim Docti referunt, quos inter Riverius de Melancholica hypochondriaca, & nos etiam allatis exemplis ſuperius demonſtravimus, & ratiò potiſſima eſt, quia hujuſmodi canalis eſt obliquus, & variis Nervorum plexibus, quaſi habenis cingitur, ac moderatur; unde cum apud hypochondriacos fermenta primæ digeſtionis à naturali dulcedine ſint devia, fibroſas, nervoſasque (quæ plurimæ in Abdomine exiſtunt) partes nonnihil convulſas perpetuo ſolent detinere, quemadmodum aperte demonſtrant alvus adſtricta, ventris tormina, tenſiones, ructus, borborygmi, & ſimilia: cumque ex chylo auſteris, ac peregrinis ſalibus ſcatente, lympha, & ſuccus nerveus conſimilis pariter indolis ſoleant rurſus gigni, hinc ſane evenit, ut paulatim res eo perducatur, ut membranæ etiam extra inteſtinorum cava poſitæ convelli incipiant, donec fibroſa Arteriæ Cæliacæ compages una convellatur; id quod primum ex identidem recurrente moleſta, ac poſtmodum continua, gravique pulſatione innoteſcit, quæ ubi ad annos nullis cedens remediis pertinaciter producitur, tumoremque in ſtomachi fundo, preſſionibus pulſatilem ſecum fert, certo certius in verum migravit Aneuryſma, quod tandem rumpitur, & necem ægrotantibus affert, ut admotis exemplis ſuperius confirmavimus.

Sed cum certiſſimum ſit, hujuſmodi mala, ſi ab initio prudentem expertumque Medicum nanciſcantur, non ægre curari poſſe: Idcircò dabimus hîc exemplum de victo inter initia hujus generis Aneuryſmate.

PROPOSITIO XLVI.

Deſcribitur exemplum ſanati ſpurii Aneuryſmatis Arteriæ Cæliacæ, & inferioris Aortæ.

ILLUSTRISSIMUS Marchio Litta Mediolanenſis juvenis ſtudioſus, & melancholicus ſenſim ob affectionem hypochondriacam eo pervenit, ut de alio nihil magis conqueretur, quam de magna pulſatione Arteriæ Cæliacæ, & inferioris Aortæ, quæ non tantum tangenti manui obvia erat, ſed ægrotanti adeo moleſta, ut anhelitum, & Cordis angorem identidem induceret. Plura ad hanc rem tam Mediolani, quam Romæ adhibuerat pharmaca, ſed invicto ſemper morbo. Tandem cum ejuſdem

ejuſdem ſalus doctiſſimis practicis DD. Baglivo, & Palillo commendaretur, meum etiam exoptarunt conſilium: Cœpta itaque curatio eſt primo per emollientia admiſto oleo amygdalarum dulcium per octiduum in jure ſumpto, tum extra & intra fotibus, & clyſteribus; deinde aquâ nucerianâ tepenti diluculo ſumpta acrium ſalium ſolutio, & elixiviatio, nec ſine fructu, tentata eſt; denique balneo aquæ dulcis paulo, quam ſolemus tepidiori abſoluta fuit medela. Serum porro irritans fuſum per cutis meatus diſcuſſum, ac per urinæ vias fuit eliminatum, neque ſane abs re alicui videbitur blandum ſudorem promovere iis in morbis, cum diluta, & ſatis fluida reddita fuerit cauſa, quæ vires accepit ab inertia corporis, atque à vita ſedentaria, per quam in ſtudioſis major Arteriæ Cæliacæ, & Iliacarum curvatura efficitur, majorque proinde præbetur anſa ſiſtendis, ſeu determinandis actibus circa illas in ichoribus. Poſt aliquot annos reviſimus Nobilem hunc ægrotum, qui acidulis chalybeatis omnino convaluit.

Similem, licet diverſa in parte, vidit Roma morbum, felicemque exitum in Juriſconſulto D. Carolo Vernino Auditore Eminentiſſimi Cardinalis Nerli. Hic cum eſſet bilioſi, ſummeque mobilis corporis, & ingenii, ſenſim tenſione quadam in crure dextro corripi cœpit, quæ Arteriæ primo pulſationem, dein tumorem induxit, quod ſane mali genus multis accerſitis Chirurgis Aneuryſma indubie creditum, & appellatum fuit. Et quoniam in diverſa abierunt curantium conſilia, relicta truci, & periculo plena ſectionis, vel uſtionis viâ, peritiſſimus tunc temporis Chirurgus Magnanus una cum Excellentiſſimo D. Denza illius Medico primum fotibus, deinde balneis aquæ dulcis, nec non interioribus diluentibus, & lacte aſinino curationem ad umbilicum perduxerunt; ſubſedit enim, & evanuit tumor, indeque ægrotus iſte per ſexdecim annos ſanus vixit, & acuto dumtaxat malo correptus deceſſit.

Plura adhuc ex convulſionibus ſuborta vidimus Aneuryſmata in delicatis nutricibus, quæ cum ſupra vires infantibus lac præbere ſtuduiſſent, ſæpe alicubi Arteriarum pulſationibus cum dolore correptæ fuerunt, quæ niſi lactare deſiiſſent, in tabem, & vera Aneuryſmata perductæ fato cedere debuiſſent.

Sed quoniam frequentiſſime accidit, ut Aneuryſmata Auricularum, & Ventriculorum Cordis à convulſione incipiant, ea ratione moveor ad ſubnectendas hìc Propoſitiones, quæ modum explicent

K

generationis iſtorum Aneuryſmatum, nec non methodum, qua ab initio feliciter curari poſſunt.

CAPUT V.

De Hæreditaria ad Cordis Aneuryſmata conſtitutione; & de Cordis prolapſu.

PROPOSITIO XLVII.

Exponuntur exempla hæreditariæ ad Cordis Aneuryſmata conſtitutionis.

Cum apud Hippocratem clara extet doctrina propagationis morborum à parentibus in filios, cum ex fluidorum vitiis, præſertim de morbis num. primo per hæc verba: *Et quia Animal ſecundum parentes enaſcitur tot humorum ſpecies, & ſanorum, & morboſorum in ſe habet;* tum etiam ex ſolidorum culpa ut de morbo ſacro num. 5. *ex lienoſo lienoſus, ex tabido tabidus naſcitur*, nemo inficiabitur Cordis vitia à parentibus in filios propagari poſſe. Profecto hujuſmodi labes, quandoque inuritur, ſeu traducitur à primordiis generationis, ſcilicet cum radix Venæ Cavæ, Auricula, & Ventriculus dexter languidiori, & laxiori fibrarum nexu coaleſcit, ſiniſtris interim parietibus cavorum Cordis multo validioribus, tunc enim adoleſcente ſenſim Præcordiorum mole, dilatatio dextrorum cavorum, leves ob cauſas incipit manifeſtari, nimirum, vel ob violentos corporis animique motus, vel ob aliquem acrium ciborum abuſum.

Iſtius autem hæreditariæ affectionis non leve ſignum eſt pulſatio quædam in dextero Cordis latere, quam affecti alioquin ſani percipere afferant, poſt violentas corporis exercitationes, aut poſt crapulam.

Hujus profecto rei clarum nobis præbuit teſtimonium nobiliſſima quædam familia, in qua quatuor ſeſe ordine excipientes generationes, Proavum nempe, Avum, Patrem, & Filium, peſſimo hoc mali genere vexatos fuiſſe nobis innotuit.

Proavus quidem generoſiſſimus alioquin vir cum plane ignoraret læthalem ſuæ affectionis naturam, apud amicos interdum ludere ſolebat, ſe duplici Corde à natura donatum fuiſſe, ictum enim in

dextera thoracis parte identidem perſentiebat; Hic autem manifeſtato poſt aliquot annos dexteri Ventriculi Aneuryſmate deceſſit.

Hunc deinde ſecutus eſt ejuſdem filius nihilo certe minus Parente ſuo generoſus, ac prudens, qui variis per Europam itineribus, ac publicis, privatiſque muneribus diſtractus affectione tandem hypochondriaca detineri cœpit, cujus graviſſimum erat ſymptoma frequens Cordis palpitatio; cui cum Præcordiorum angor, anhelitus; ædematoſus pedum tumor, ſepulta quædam pulſatio dextero thoracis in latere, nec non magna Venarum Jugularium fluctuatio adjungeretur, paucis dubium fuit, quin dextera Cordis cava Aneuryſmate fuiſſent obſeſſa; aliquis enim minus in praxi Medica, & Anatome exercitatus, huic opinioni aniliter repugnabat, donec aperto hujus ægri cadavere, inventa fuerunt prædicta cava ſtricto pugno capaciora.

Hic vero me temperare neutiquam poſſum, quin empiricis quibuſdam iſtius Magnatis curantibus iraſcar, qui cum illum palpitatione Cordis primum tentari obſervaſſent, ſpiritibus, volatilibus, & aromaticis ad diſcutiendos, ut ipſi putabant, flatus, maxima cum ægrotantis pernicie ignaviter utebantur; Ii enim ſpiritus diſtractionem fibrarum Cordis mirum quantum accelerarunt.

In tertia pariter generatione vivit adhuc juvenis quadragenario major, qui cum quadrageſimalibus præſertim cibis veſcitur, pomeridianis horis moleſtam ſentit in prædicto pectoris latere pulſationem, quæ uſque adhuc quiete corporis, & ſomno paulatim recedit. Utinam huic etiam par finis non ſit futurus.

In quarta demum generatione filiolum fratris ſuperius deſcripti juvenis ante quatuor annos puerorum epilepſia mortuum, Anatomico cultro ſubjecimus, & in eo hæreditariam hanc Præcordiorum labem offendimus.

Quod in dexteris Cordis cavitatibus nos hactenus obſervavimus fieri poteſt, ut in aliis etiam canalibus accidat.

PROPOSITIO XLVIII.

Agitur de aucta mole totius Cordis cum Aneuryſmate, & productione, ſeu caſu ejuſdem ſupra diaphragma.

ADEO ſunt diverſa, & gravia Cordis mala, ut frequenter vel ipſius augmento molis una cum Aneuryſmate laboraſſe deprehendatur; Neque autem intelligimus hîc pro molis augmento ſolam

cavorum dilatationem, ſed fibrarum craſſitudinem, & ſoliditatem una cum advoluto adipe, qui baſim Cordis ſolito majorem, ac ponderoſiorem faciens, univerſum hoc viſcus gravius reddit, quam ut à ſolita ſuorum vaſorum reſiſtentia ſuſpendi, æquarique poſſit.

Hoc ſane malum non Cordi dumtaxat, ſed ſingulis pene viſceribus quandoque ſolet accidere, ita & nunc Hepar, nunc Ventriculus, nunc Lien, Pancreas, Uterus, aut Renes vitio ſtagnantium, aut interemptorum fluidorum in ſolito majorem molem augeantur, indeque eorundem viſcerum prolapſus, ac deſcenſus proficiſcerentur.

Neque hìc ſane Lectorem noſtrum fatigabimus longo cauſarum, ac ſymptomatum, ſeu ſignorum examine, quibus in hujus mali cognitionem venire poſſit; ſatis enim felicius, ac facilius hæc omnia aſſequi poſſe cenſemus ſedula exempli hiſtoria quod omnium cauſarum ſymptomatum, atque extiſpiciis enarrationem comprehendens, ſingula explicabit, quæ ad theoriam, ac praxim docendam ſunt neceſſaria.

Apud Obſervatores Medicos, quantum hactenus legere potui, umbratiles dumtaxat iſtius mali hiſtoriæ reperiuntur, quemadmodum eſt ea, quæ à Petro Marchetto traditur ſuarum Obſervationum Chirurgicarum Obſerv. XLIX. per hæc verba:

« Venetus quidam annorum quadraginta temperamenti calidi, & » humidi, crapulæ deditus de difficultate reſpirationis, & hypo» chondriorum anguſtia conquerebatur, qui multis adhibitis fruſtra » remediis Patavium cum veniſſet, poſtera nocte morte repentina » extinctus eſt.

» Hujus aperto cadavere in hypochondriorum regione nihil qui» dem præter naturam ſe prodidit. Verum in thorace Cor adeo » amplum obſervavi, ut tria naturalis magnitudinis æquaret, ventri» culis itidem ampliſſimis, cujus capſulæ, ubique preſſius adhærebat, » ſuperiori, ac lateralibus partibus, pleuræ etiam annexum; infe» riori vero diaphragmati, nec ſolum membranoſæ ejuſdem parti, » ſed ob ejus molem carnoſæ quin etiam; ex quibus conjicere non » præter rationem fuit, præfatam gravem reſpirationem, non aliunde » ortum duxiſſe, quam à pulmonum, & diaphragmatis compreſ» ſione, quæ & cauſa fuit doloris hypochondriorum, & potiſſimum » diſtenſio ejuſdem.

Neque ab iſta admodum abludit hiſtoria, quam legimus apud

Miſcellanea Naturæ Curioſorum decade prima tom. V. obſ. XL. in qua maximum Cor ſupra diaphragma demiſſum cum dilatatione ingenti Venæ Cavæ.

Sed quoniam utilitas, quæ magna ex obſervationibus ducitur, tota quanta eſt ex integra, & abſoluta venit hiſtoria, quæ non ſolum poſtremum ægri ſtatum, ſed naturalem ejuſdem conſtitutionem, occaſiones unde is ægrotare cœperit, primas, & mox ordine ſuccedentes ſingulos morborum gradus proponat, ac rimetur, denique ſi æger deceſſerit minutam cadaveris tradat inſpectionem, alias enim rudis, informis, atque empirica dumtaxat mali notio conſurgit, quam interdum ignoraſſe ſatius, quam notuiſſe ducendum eſſet, melior enim male pictâ tabulâ quæcunque raſa eſt.

Propterea neceſſarium ducimus unam abſolute, & non perfunctorie delineatam obſervationis ſchedam proponere, ut inde omnium complexum tam cauſarum, quam ſignorum iſtius mali poſſimus eruere.

CAPUT VI.

De Cordis Aneuryſmatibus.

DOCTRINA hæc ſummopere neceſſaria videtur, non tantum, quia frequentius malum eſt Aneuryſma cavorum, & vaſorum Cordis, quam vulgus Medicorum ob raras ab iis tentatas cadaverum ſectiones hactenus putaverit, ſed potiſſimum, quia occultæ multorum malorum cauſæ ſunt inveſtigandæ, quæ in ipſis Cordis cavis dilatatis, vel obſtructis repoſitæ ſunt. Puto ſiquidem nonnulla ſuffocativa aſthmata, contumaces Cordis angores, ac fluctuationes frequentes, pectoris hydropes, ac præſertim ſubitaneas mortes uno ex fonte, inæqualibus videlicet, atque repente diruptis vaſis Cordis, pendere, ut pluries attentata cadaverum ſectio me docuit. Quare ut materies tanti momenti dilucide tractari poſſit ſequentibus inſiſtemus.

PROPOSITIO XLIX.

Demonſtratur Cordis cava, & majora vaſa difficulter per ſimplicem eroſionem interoris ſuperficiei dilatari poſſe.

UT pateat veritas iſtius Propoſitionis, notandum eſt, ſanguinem nullibi velocius, & rapidius, quam per majora vaſa, & cava Cordis

moveri. Unde fieri nequit, ut cum primum in fluidis erodentia ſalia emergere, atque vim exerere incipiunt tamdiu ibidem ſeparata, atque à cæteris ſejuncta partibus commoventur, nec impetu univerſi ſanguinis abrepta, nec multigenis ejuſdem particulis lenibus, ac temperatis diluta, ac retuſa, donec Cordis fibris exeſis, atque abraſis, interiorem ejus ſuperficiem diſſolvant.

Id autem præcipue Medicorum experimentis paſſim confirmatur. Abſceſſus enim, exeſiones, vel ulcera Cordis in extrema maxime ſuperficie, aut intra muſculares tum vaſorum, tum Cordis fibras; raro intra cava contigiſſe obſervant; quia nimirum liquida erodentia in magnis cavis raro, & nonniſi in mox morientibus ſeparata, pura, ac quieſcentia, quemadmodum in Pericardio, aut minimis Coronariis vaſculis reperiuntur.

Deinde quotieſcumque Cor exterius eroſum, aut abſceſſu tentatum fuerit, non proinde legimus, aut vidimus Aneuryſmate laboraſſe, niſi una ſimul magnorum canalium, & orificiorum obſtaculum acceſſerit, ut inferius demonſtrabitur.

PROPOSITIO L.

Aneuryſmata Cordis & majorum vaſorum facilius per diuturnam vim repercuſſi ſanguinis accidunt.

Ad evidenter Propoſitionem hanc demonſtrandam ſatis eſſet advertere ex communi omnium Practicorum, quos apud Bonetum in ſepulchreto Anatomico legere poteris, & ex propria obſervatione Aneuryſmata Ventriculorum, Auricularum, Venarumque Cavæ, & Pulmonicæ nullibi facilius inveniri, quam apud illos, qui diuturna Cordis palpitatione, vel pertinaci aliquo aſthmatis, aut catharri genere, vel terrifico, diuque detinente gravi ipſius animi pathemate vexati fuerunt; etenim in iis omnibus (quæcumque ſit, & quomodocumque operetur, cauſa) impeditur libertas trajectionis ſanguinis in eadem vaſa, & cava repercutitur; igitur erit in propatulo per vim repercuſſi ſanguinis hujuſmodi cava facile diſtendi poſſe.

At enim vero, ut hanc hypotheſim dilucidius, ac diſtinctius exponamus opportunum cenſemus, ſingulos prædictos morbos, qui plerumque Aneuryſmatum Cordis ſunt prodromi, accuratius per-

pendere, ut illorum natura diſcuſſa atque explanata, nihil reliqui fiat, quod nobis tenebras offundat.

Primò itaque extra dubitationis aleam poſitum eſt, palpitationem eſſe frequentiorem cauſam Aneuryſmatum Præcordiorum, in quantum in palpitatione, non ſemper, vel ſolum aucta Cordis ſyſtole, ſed perpetuò impedita libertas excurſus ejuſdem ſanguinis à Cordis Ventriculis in arterias vel à majoribus Arteriarum radicibus in proximos ramos conſpirat (unde in omni palpitatione pulſus exiles, inæquales, & ſæpe intermittentes, non magni, pleni, & æquales tanguntur) fieri idcircò non poteſt, quin cùm rectus impediatur magnus motus ejuſdem ſanguinis idem repercutiatur, ac reverberetur ab Arteriis in Ventriculos, à Ventriculis in Auriculas, & ab iis in radices Venarum Cavæ, ac Pulmonicæ (impetus enim repercuſſi ſanguinis viget etiam contra leve impedimentum flexilium valvularum) ſi itaque diu, pertinaciterque hujuſmodi pathemata protrahantur, id neceſſitate mechanica continget, ut fibræ cava Cordis, Auricularum, & radicum Venarum texentes in locis minoris reſiſtentiæ divulſionem atque diſtractionem patiantur; quia nimirum iis in Cavis, & canalibus duo concurrunt contrarii nixus, ſeu ictus ſanguinis, qui ad continentiam partium divulſionem conducunt: prior nixus eſt impetus rectus ſanguinis, qui ab inſtrumentis reſpirationis, atque à vi contractiva Venarum & Cordis dependens, arietat cum poſteriori ictu, qui à vi repercuſſionis proficiſcitur.

Secundò in diuturno pariter aſthmate, aut catarrho cum ſit aliquod impedimentum, aut in viis, aut in inſtrumentis ſanguinem per pulmones ducentibus, contra verò ad liberiorem reſpirationem, & ad ipſam anacatharſim promovendam, neceſſarium ſit, ipſa reſpirationis inſtrumenta validis conatibus identidem urgere, prædicti duo contrarii niſus vigebunt in ſanguine & vaſis Cordis: quare ob eandem rationem fibræ Cor, Auriculas, & canalium caudices texentes diſtrahentur.

Denique in gravibus, diuque detinentibus animi pathematibus peculiaris, ſed non abſimilis inverſus mechanicus operandi modus occurrit in Præcordiis; cùm enim æqualibus temporis intervallis juſtâ normâ, atque ordine projici ſemper debeat ſanguis in ſtatu naturali à Cava in Auriculam, ab hac in Ventriculum dexterum, Arteriam Pulmonicam, ac à Pulmonibus in lævas capacitates uſque ad Arteriam

magnam, aliaſque inde natas Arterias; ſi ex vi pathematum animi extemporaneus, & inordinatus fiat hujuſmodi motus (ut fieri poteſt ex Nervorum ſpaſmo contractis, criſpatisque vaſis, ac fibris) ita ut contractio, circumpreſſio, & niſus ſolidorum contra fluidum ſanguineum non procedat à caudice Venæ in Auriculam, & ab Auricula in Ventriculum, atque in Arterias, ſed è converſo habeatur ab Arteria in Ventriculum, vel à Ventriculo in Auriculam, & Venam; tunc neceſſariò confundantur oportet motus iſti; & invicem arietent in fluido cum divulſione certa fibrarum prædicta cava comprehendentium.

Hìc autem notandum eſt ſupradictam doctrinam de varia, & abnormi contractione vaſorum, & cavorum Cordis, quam ex animi pathematibus fieri expoſuimus, vigere etiam in quocunque alio morbo, in quo ichor valde ſtimulans inæqualiterque impactus irritet texturam fibroſam vaſorum, & muſculorum Cordis: quod in diuturnis Præcordiorum affectibus, etiam citra ullum animi conſenſum poteſt accidere. Hujuſmodi autem exleges atque abnormes Cordis, Arteriarumque motus ſæpe vidimus ſeri colluvie excitatos; qui quidem motus vel copioſo ſudore, vel plerumque uberi diureſi, ceſſare ſolent, niſi interceptum in Præcordiis ſerum hydropem cum Aneuryſmate pectoris inferat.

PROPOSITIO LI.

Oſtenditur nihil facilius eſſe ubi acrium humorum viget apparatus, quam ut ſanguine jam reverberari incipiente, Cordisque cava divellere, ejuſdem Cordis, majorùmque vaſorum villi una ſcindantur, & ex utroque vitio Aneuryſma excitetur.

QUÆCUNQUE ſit, & ubicunque operetur cauſa coarctationis, aut obſtructionis viarum ſanguinis in Corde, & majoribus tubulis, qua humores repercutiuntur, ſi corripiat, ac detineat corpus, vel intemperatum, vel nativâ acrium, atque erodentium humorum copia refertum, tunc facili negotio, dum cauſa coarctans, vel obſtruens vim ſuam exerit in punctis C. D. E. nimirum in principio orificii Arteriæ Magnæ, vel in Pulmonicis Arteriis, aut alio quovis in loco ſtygiæ liquoris particulæ per vaſcula intra penitiorem ſubſtantiam delati ſciſſionem minimæ texturæ Cordis, & vaſorum hìc illicque in

in punctis A, B, &c. juxta minorem locorum reſiſtentiam moliri poſſunt.

Id quod ex eo clarius demonſtratur, quod Aneuryſmata Cordis ut plurimum accidunt corporibus hypochondriacis, hyſtericis, aut ſyphillide affectis, in quibus morbi initio ſola irritatio in fibris, vel obſtructio in canalibus facilè contingit, progreſſu verò temporis acrium humorum copiâ redundante adjungitur eroſio, & diſciſſio villorum, qui minùs reſiſtentem faciunt texturam partium, in quas decumbunt.

Patet autem ulteriùs veritas iſtius Theſis ex contrario etiam argumentandi genere; etenim quotiescunque pathematibus occupantur Præcordia, quæ à phlegmate nonnihil tenaci, & acido fiant, non acri, & erodente proficiſcantur, quemadmodum ſunt ſubitæ quædam leucophlegmantiæ cum ſpirandi difficultate, vel catharri ſpecies, quæ à nimietate ingeſtorum dependent, ſed præſertim chloroſes, in quibus non raro palpitationes vitio craſſitudinis, ac ponderis ſanguinis vibrationi renitentis, non autem vitio irritationis, ac reverberationis fiunt; ſanè ipſa minimè eveniunt Aneuryſmata, quæ alioquin tam facilè contingunt apud illos, qui acribus, & erodentibns liquidis redundant, ut paſſim obſervavimus.

Itaque ſi viribus ſanguinem trudentibus, ac reverberantibus, Cordique cava inſtar cunei diſtrahantur, ſuccenturiatur vis altera villos ſcindens, multo facilius Aneuryſma canalium, & cavorum cordis exorietur, ut propoſuimus.

PROPOSITIO LII.

Qui fiat, ut Aneuryſmata Cordis frequentius contingant in Auriculis, & in magnarum Venarum veſtibulis, quàm Ventriculis, & magnis Arteriis Cordis.

Quod aſſumpſimus in Propoſitione, ſcilicet Aneuryſmata Cordis frequentius in Auriculis, & Venis, quàm in Ventriculis, & Arteriis accidere, probatione minimè egere videbitur apud illos, qui circa cadaverum ſectiones, & Auctorum obſervationes verſati fuerint, nihil enim utrobique magis eſt obvium.

Ratio autem iſtius eventus tota deducenda eſt ex minori reſiſtentia Auricularum, & caudicum Venarum habito reſpectu ad reſiſtentiam

texturæ validæ, ac multiplicis Ventriculorum præſertim ſiniſtri, unde ſanguis repercuſſus à magnis Arteriarum orificiis in Ventriculos, & deinde in Auriculis, & Venis, majorem ſemper diſtractionis vim exercere debebit in locis, ubi minor eſt fibrarum reſiſtentia, cùmque Ventriculus dexter, utraque Auricula, & utrumque veſtibulum Venarum graciliora ſint texturâ Ventriculi ſiniſtri, exinde fit, ut ſiniſter Ventriculus rariſſimè amplietur, ſecus autem reliqua Cordis cava frequentiſſimè dilatata inveniuntur.

Accedit ad faciliorem, vel omnium, vel aliquorum ſinuum Cordis dilatationem ipſa in primordiis generationis laxa, & languida totius Cordis, vel particularis in Corde compages, quam in multiplici cadaverum extiſpicio non raro ſpectavimus.

Hæc verò cauſa eſt, ut quemadmodum in reliquis noſtri corporis vaſculis, membranis, & loculis multum facit naturalis fibrarum parcitas, & laxatas ad fluidorum ſtagnationem, & ad alia, quæ hinc ſequuntur creanda mala, ita in Corde, Cordique appenſis canalibus, ipſa laxitas, & gracilitas ſtaminum multum poteſt conducere ad prædictorum Aneuryſmatum generationem, ut ex antedictis evidenter deduci poteſt.

PROPOSITIO LIII.

Agitur de Arteriis, ac Valvulis Præcordiorum oſſeam duritiem nactis, quæ ſæpe apud illos inveniuntur, qui ex Aneuryſmate deceſſerunt.

FREQUENTIA occurrunt exempla Arteriarum & valvularum in oſſeam materiam converſarum in iis, qui Cordis Aneuryſmate laborarunt. Celebris legitur hiſtoria apud Paræum Lib. primo de tumoribus Cap. XXVIII. de Veſtiario, qui ex Aneuryſmate Arteriæ Venoſæ repente dum pila palmaria luderet, rupto vaſe corruit. Diſſecto cadavere, Arteriæ corpus in amplitudinem dilatatum cum interna ipſius tunica oſſea inventum fuit. Ille dum viveret micantium impetu Arteriarum omnium pulſum, ingentemque toto corpore calorem ſe percipere aſſerebat.

Nos pariter in cadavere Illuſtriſſimi Johannis Baptiſtæ Palaggi Canonici S. Petri in Vaticano, unam oſſeam, duas verò ex valvulis ad oſtium Aortæ cartilagineas vidimus, indeque mirè anguſtatum

iter ſanguinis à Corde in eandem Arteriam ; in eodem offendimus quoque Venam Cavam, Auriculam, & Ventriculum dexterum ita dilatatos, ut pugnum admitterent, ubi non citra admirationem ſiniſtra Cordis cava admodum valida, & nulla dilatatione affecta notavimus; Nobilis autem hic vir, cùm eſſet in humanis ſingulari morum ſuavitate, atque ingenti eruditione ornatus hypochondriaca affectione detinebatur, una cum reverſiva Cordis palpitatione, pulſusque inæqualitate, atque intermittentia, quibus erat obnoxius, cum præſertim animam, vel corpus vehementer exercuiſſet; ſuffocativo identidem aſthmate, ac vertigine vexabatur.

Veniam interim ſpero dabit Lector ſi maximæ, & forſitan citra exemplum iſtius ægroti conſtantiæ meminerim; hic enim cum menſe Januarii 1695. poſt epilepticos paroxyſmos repentè dexteræ manus gangrænâ correptus eſſet, & jam per brachium ad humerum ſerpentem videret conſilia noſtra de amputando brachio fortiſſimè excepit, & plusquam viriliter ſuſtinuit. Etenim D. Marium Cecchinum magnæ famæ Chirurgum, qui brachium jam ſecturus erat, enixè precabatur, ut ferrum in ſanam non emortuam partem adigeret, elatoque ut eſſet animo precabatur: me quoque adſtantem, aliosque quà Presbyteros, quà neceſſarios nutibus, voce, oculis, hilaritate alloquebatur, ut plus doloris à nobis, quàm ab ægro ſenſum fuiſſe palam diceretur; ſupervixit autem uſque ad æquinoctium Vernum anni 1698, quo tempore ſuffocativo aſthmate correptus brevi è vivis diſceſſit.

Obiter hîc Lector monendus, quàm facile, ubi vaſorum circa Cor dilatationes exiſtunt, humores colligantur inducendis gangrænis aptiſſimi: vide caſum apud Hildanum Centuria II. Obſervationum XCIX. cujuſdam mulieris, quæ morbo admodum intricato palpitatione ſcilicet Cordis, tuſſicula, ac reſpirandi difficultate diu detenta, denique ſiniſtræ manus ſphacelo correpta nullo auxilio, nec quidem ipſa ſectione juvata; diem ſuum obiit. Aperto cadavere monſtruoſa Venæ Pulmonicæ dilatatio reperta fuit, quam graphicè delineandam judicavit Auctor. Ratio autem cur ex magnorum vaſorum Aneuryſmatibus frequentiſſimè ſphacelus oriatur, partim deducenda videtur ex principio illo erodente, atque arſenicali, quod ut Aneuryſmatis, ita & gangrænæ cauſa eſſe poteſt, partim quoque ex perturbatis motibus mixtionis, & progreſſionis partium ſanguinis, ob

vitiatos canalium diametros, unde vitale illud ſpirituum, ſeu oleoſum ſanguinis volatile neceſſariò deprimitur; & hebetatur.

Omiſſis cæteris cauſis, quæ primo morbum hunc in Illuſtriſſimum Palaggi procrearunt, rationem tantum attingemus, qua Aneuryſma fuit excitatum; hoc autem ex duabus potiſſimum cauſis procreatum fuiſſe judicamus, ex oſſeis nimirum, cartilagineisque Arteriæ Magnæ valvulis, atque ex vehementibus animi, corporisque exercitiis. Quod enim ad primam attinet, valvulæ prædictæ partim oſſeæ, partim cartilagineæ propria duritie præpediebantur, quominus tempeſtive flecti, moveri, atque alternatim ad parietes trunci Aortæ, applicari poſſent ad aditum ſanguini ex Ventriculo aperiendum, & rurſus ab iiſdem ſecedere ad ejuſdem ſanguinis in Ventriculum reditum occludendum; quo ſanguinis motum per Aortam ſummopere turbari, debilitari, atque inverti neceſſe fuit; hujuſmodi autem motus perturbatio, quoties altera adjungebatur cauſa, animi nimirum, atque corporis violentæ exercitationes, maxime augebatur; ex his enim major ſanguinis copia urgebatur in Præcordia, quamobrem ſanguis, cohibito ac perturbato ipſius motu, in lævum Ventriculum neceſſariò fuit repercuſſus; ac proinde ſanguinis reditum per Venam Pneumonicam turbari, ac præpediri neceſſe erat, ac Pulmones jam craſſæ lymphæ copia laborantes magis ab aucta ſanguinis ſtagnantis quantitate opprimebantur. Ex quibus omnibus facile intelligitur quomodo Cordis palpitationes, aſthma, atque enormis dextrorum cavorum Cordis dilatatio fuerint inducta; ad quam quidem dilatationem inducendam præter memoratas cauſas non parum conſpirarunt fibrarum languor, ac debilitas, quæ in hoc ægroto graciliores apparuerunt, atque humorum acritudo.

Primum, licet impedimentum aliquod curſui ſanguinis poſitum ſit ad oſtium Aortæ, non idcircò tamen dilatationem ſinuum ſemper contingere in ſiniſtris Cordis cavis, ſed juxta minorem fibrarum reſiſtentiam in dextris plerumque ſolere accidere; cum vero in ſiniſtris accidit fere ſemper in Auricula, non in Ventriculo obſervatur, ut patet in caſu relato à Joſepho Boneto Anatomiæ Practicæ Lib. II. Sect. VII. Obſerv. XLIX. ex Daniel Horſtii animadverſione, in quo cum valvulæ ſemilunares in levo Cordis ſinu oſſeæ deprehenſæ fuiſſent, ſiniſtra Auricula major dextera apparuit.

Secundum, quæ cauſa membranas, ac tendines oſſea duritie cogit,

eandem ad Aneuryſmata inferenda conſpirare. Etenim prædictæ partes, oſſeæ evadunt inopia humoris alkici, quo delinitæ, atque emollitæ fabricæ laxæ minus compactæ, ac flexiles in ſtatu naturali conſervantur; deſtitutæ autem àreſcunt, rigidæ, ac duræ fiunt.

Ob eandem partium temperatarum lenium, atque oleacearum inopiam, eodem tempore, quo ſolida obdureſcunt, humores acriores fiunt; ſalium enim particulæ in ipſis innatantes ſimul coeunt, coacervantur, ac figuntur; quæ quidem ſalia vaſorum, ac Cordis fibras lacerant, atque exedunt, unde eorundem dilatatio, atque Aneuryſmata.

PROPOSITIO LIV.

De Cordis Aneuryſmate ex diuturnis animi pathematibus.

Nova certe minime erit apud eos, qui longa praxi exercitati fuerint, origo Aneuryſmatum Cordis, ex diuturnis animi pathematibus. Nos quidem hoc eodem, quo ſcribimus, anno multos vidimus, cæteroquin ſuapte natura languidos cum viros, tum mulieres ex gravi, diuque premente timore ipſius nutantis terræ in Cordis Aneuryſmata incidentes, alios novimus ex zelotypia, ac ſubitis timoribus, eodem mali genere detentos. Celebre legitur apud Andream Ceſalpinum Catoptri. Lib. VI. Cap. XX. exemplum Aneuryſmatis totius Cordis, atque Arteriæ Pulmonicæ in B. Philippo Nerio, qui ſæpius in palpitationem Cordis incidebat ex vehementi extaſi, quæ magna animi ſimulque Cordis eſt affectio.

Cauſa verò cur animi pathemata, ſi magna, ac diuturna fuerint, dilatationes vaſorum Cordis ſolent inducere (præternaturales diatheſes, quas in membranarum, fibrarumque labore, ac laxitate alias poſuimus) quærenda eſſe videtur tam in fluidis quam in ſolidis ab ipſis animi perturbationibus circa Præcordia maximopere alteratis.

Quod ſpectat ad fluida, quis ignorat ex hujuſmodi animi motibus, ſanguinis, ac reliquorum motus perturbari, ac proinde recrementa acriora fieri, & intra corpus ſubſiſtere? quæ deinde facili negotio in Præcordiis intercipiuntur, ubi noviter inductum ſtructuræ vitium inveniunt.

Hoc autem vitium facile intelligi poterit, ſi ea perpendantur, quæ circa uſum inſignium Nervorum, quos ad duas potiſſimum

Cordis Arterias ferri oſtendit Anatome, & graphice delineat Clariſſimus Williſius De Medicamentorum Operationibus Sect. VI. Cap. III. p. m. 104. & ſi revocentur in memoriam, quæ ſuperius docuimus Prop. XLI. in qua demonſtravimus Aneuryſmata Cordis facilius per diuturnam vim repercuſſi ſanguinis accidere; variè enim convulſis, atque inordinatè motis, & conſtrictis per Nervos Arteriis Cordis, inordinatus, & repercuſſus contingat oportet motus ſanguinis per Præcordia, ut clarè oſtendunt Cordis palpitationes, angores, pulſus inæqualitates, & ſimilia, quæ frequenter apud gravibus animi pathematibus detentos obſervantur phænomena, quæ ſi diu perſeveraverint, neceſſe eſt, ut acrium ichorum congeriem in locis infirmioribus promoveant, & quæ hinc ſequuntur Aneuryſmata paulatim inducant.

PROPOSITIO LV.

De Aneuryſmatibus Cordis à violentis motibus, ſed potiſſimum à contentione inſtrumentorum reſpirationi inſervientium exortis.

NON infrequens horum Aneuryſmatum cauſa eſt violentia contentionis muſculorum pectoris, & diaphragmatis. Vivit adhuc Artifex pileorum, qui ob nimiam, ac pomeridianam præſertim trudendi vim cum brachiis contra pileorum tomenta, inſuper carbonis fumum aqueis remixtum vaporibus excipiens, in Arteriæ Pulmonicæ dilatationem paulatim incidit. Sunt inſuper Concionatores, & Tibicines, qui nativa corporis gracilitate, præſertim ſi bibaces fuerint, facili negotio à Cordis Aneuryſmate corripiantur.

Sed nulla magis obvia eſt horum cauſa malorum, quam complicatio alimentorum acro ſulphureorum, & aromaticorum cum violentia motuum venereorum; tunc enim dum vaſa à contentis liquidis plus juſto diſtrahuntur per vim pulſionis, & contentionis muſculorum infra & ſupra diaphragma, nec non inæqualem vaſorum Cordis criſpaturam inter amoris illecebras contingentem, neceſſario retardatur, ac reverberatur in Præcordiis ſanguinis fluxus, qui cum ſit ſuapte natura acris, & ſulphureus fibrarum manipulos diſſolvit, disjicit, & erodit.

Sed quoniam rara quædam hujuſce cauſæ hiſtoria duos ante annos nobis occurrit; quam ad uſque ægrotantis extiſpicium exactiſſime perſecuti fuimus, ideo Lectorem paulatim hîc morabimur. Sit itaque

PROPOSITIO LVI.

Exemplo demonſtratur Aneuryſma Venæ Pulmonicæ, Auriculæ, & Ventriculi ſiniſtri pendens à ſanguine acri, atque erodenti.

Illustrissimus Abbas Pennonus Montis Faliſci, quadraginta annorum, filius viri aſthmatici, & catarrhis obſeſſi, habitus carnoſi, rubro ſuffuſci coloris, Dianæ, ac Cereris miles ante quinquennium per triennium cum tenaciori lympha copiam ſanguinis per tuſſim fere ſingulis menſibus citra ullum incommodum, præter ſenſum pruritus in trachea, ab ore rejicere ſolebat, quam tamen excretionem poſt duos annos pulvere Haly Abbatis, & ollæ Saxoniæ ſuppreſſam excepit: paulo poſt profunda pulſatio ſub mucronata cartilagine, quæ quieſcente corpore minor ac fere nulla, magna vero in quovis animi, vel corporis motu perſentiebatur; inſuper anhelitus in quavis corporis, vel animi perturbatione, nec non facilis hyeme in catarrhum proclivitas cum moleſta interdum humida tuſſi. Crevit progreſſu temporis morbus, ita ut tandem pulſatio, dum æger quieſcebat magna, dum movebatur maxima una cum Cordis angore, ac fere lipothymia perſentiretur, & anhelitus etiam in quiete eo uſque fatigaret, ut ipſe horizontaliter decumbere raro poſſet. Pulſus omni peccabat æqualitatum genere, uſque ad ſæpe recurrentem intermittentiam, nulla interim apparebat pulſatio, ſeu undulatio Venarum jugularium, nullaque coſtarum, aut omoplatæ cernebatur elevatio.

In hoc rerum ſtatu conſtitutus æger, vario extra Urbem remediorum genere tractatus fuit, & potiſſimum ſanguinis miſſionibus, quæ cum illum è veſtigio alleviare viderentur, ſpretâ cauſâ, ultra neceſſitatem repetebantur. Exinde pedum œdemata, leves vertigines, atque hypochondriorum tenſiones, anhelitum adaugentes, ſed flatuum coarctationes admodum cedentes ſupervenerunt. Mox Romam perductus à ſene quidem, ſed iſtorum malorum minime perito Medico, ita empirice curatus eſt, ut poſt diverſa exhibita ſolventia brevi crura etiam, tandemque femora intumuerint, diminutiſque urinis pectoris hydrops adjunctus fuerit & cum ab Aneuryſmate ſimul & orthopnea circa veſperam, & per totam noctem præfocari videretur, ipſe quoque, qui olim per epiſtolas ægro

conſulueram, accerſor, qui cum illum toto corpore tumidum, facie liveſcente, pulſus aſphixiâ, & orthopnoico ſuffocativo anhelitu oppreſſum intuitus fuiſſem, vix effeci, ut ſacris ille muniretur pharmacis, ſequenti namque die grumoſo, nigro, fetidoque per os rejecto ſanguine vitam cum morte commutavit.

Et quamquam iſtius extiſpicium cadaveris anili affinium ſcrupulo prætermiſſum fuerit, cujus nunc defectus in cauſa eſt, ut nos citra evidentiam philoſophari cogamur; nihilominus ſimilium exemplorum lumine ducti probabiliſſimum exiſtimamus in hoc ægroto ex cohibita hæmoptyſi illius cauſam, nempe lympham ſubacrem, & erodentem niſu circulationis ad ſiniſtrum Ventriculum reducendam in veſtibulo Venæ Pulmonicæ, & finitimæ Auriculæ ſubſiſtere, ibique interiorum tunicarum villos exedere cœpiſſe, donec Aneuryſma productum fuerit. Quod præcipue ſigna habet Cordis angorem, lipothymiam, anhelitum, pulſationem ſub mucronata cartilagine; quia nempe Cor ipſum à ſuis vaſis pendere, & mole ſolet aliquantulum decidere.

Ex iis autem, quæ in hiſtoria expoſita ſunt, nonnulla tamquam per Corollarium deducenda eſſe videntur.

Primum quidem, hæmoptyſim ſalutarem, qua olim æger præſervabatur, probabiliter excitatam fuiſſe ab erodente ſanguinis lympha, quæ ab Arteriis potiſſimum Pulmonaribus in veſiculas ac tracheas ſuffuſa membranas erodendo viam ſanguini aperiebat, cum quo ea moles utiliter effundebatur, quæ majori evidentium ſalium copia ſcatebat, quemadmodum in critico hæmorrhoidum fluxu paſſim ſolet contingere; ſuppreſſâ vero viſcidulorum pulverum uſu hæmoptâ (quod angue & cane pejus cavendum erat) neceſſario ad ſiniſtra Cordis cava refluere coactum eſt morboſum liquidum, ubi jam ad dilatationem proclives tubos exedendo eorundem reniſum debilitare potuit. Hoc enim fere perpetuum in hæreditariis aſthmaticis obſervatur, laxitas ſcilicet tunicarum vaſorum revehentium à Pulmonibus in Cor, quia imbecillitate vaſorum diametri, oblatâ occaſione, facile dilatantur. Quin imo adeo verum eſt, pleraſque ſpirandi difficultates, quæ in corporis præſertim motibus ſolent urgere, inferri ab ipſo Aneuryſmate Venæ Pulmonicæ, ut Celeberrimus Petrus Poterius ſcripſerit Cent. III. Obſervationum Cap. XXII. per hæc verba: « Quædam eſt reſpirandi difficultas, quæ per intervalla deambu- » lantibus accidit. In hac fit præceps virium lapſus, propinquis tenentur

» tenentur niti adminiculis, alias humi corruerent; hi ut plurimum
» derepentè moriuntur. In hac Vena Arterioſa in ſiniſtro Cordis
» Ventriculo diſrumpitur, & ſanguine effuſo ſpiritus illico ſuffocantur.

Secundum, inchoatum hoc Aneuryſma non magnis, ac frequentibus ſanguinis miſſionibus, quæ ſanguinem enervant, & ad erodentia ſalia acuenda conducunt, ſed potius blandis diſſolventibus, ac vulnerariis curandum fuiſſe, ceruſa nempe ſtibii, ſanguine hircino, ſyrupo de terebinthina, diluto ſalſæ, & conſimilibus; hiſce namque remediis memini, me alium, cui ab empirico ſuppreſſa fuerat Pulmonum hæmorrhois, eadem redeunte, feliciter curaſſe.

Tertium Corollarium ipſe erit hydropis ortus, quem alias diximus raro magnis interioribusque Aneuryſmatibus non adjungi, cum vaſa tum ſanguinea, tum lymphatica premantur, & exedantur, indeque ſerum, & lympha perpetuo in cava influat.

PROPOSITIO LVII.

Inquirere mechanicam rationem, ob quam in dilatationibus radicis Cavæ, Auriculæ, & Ventriculi dexteri ipſæ Venæ jugulares viciſſim dilatentur, fluctuent, mirisque modis agitentur, & concidant.

Ex dilatatione Auriculæ, ac Ventriculi Cordis dexteri duo præcipua contingunt, maxima conſideratione digna, quæ potiſſimum jugularium alternam dilatationem efficiunt. Primum quidem hiſce cavis ſumme dilatatis, atque ampliatis longe major ſanguinis copia in iisdem congeritur. Deinde orificium caudicis Venæ Cavæ amplius quoque fit, quam ut poſſit ab appoſitis valvulis omnino præcludi. Hinc propterea fit, ut contracto Corde ſanguis ex dextero Ventriculo non ſolum in Pulmones per Venam Pulmonicam impellatur, ſed cum præ nimia copia, tum etiam ob non ſatis clauſum oſtium Venæ Cavæ per illius rimas hiantes rurſum per univerſum tractum Venæ Cavæ ſuperius repellitur, ac repercutitur, atque ex ipſo recte in jugulares vehementius fertur, quam in cæteros Cavæ ramos, quod illæ in directum ſitæ ſint ad lineam hujuſce motus. Quamobrem cum ob auctam ſanguinis molem, & cum ex conflictu ſanguinis per eaſdem jugulares ex capite verſus Cor contrario motu refluentis; ex quo veluti quidam æſtus in euripo excitatur, ac fluctatio, jugulares eo loco neceſſario diſtenduntur, ac dilatantur à ſanguine quaqua-

M

verſum urgente; quæ quidem dilatatio magis conſpicua fit in collo, quod ibi præter communia integumenta, nec muſculi, nec aliud quidquam occurrat, quod eum poſſit vel comprimere, vel occultare; ceſſante autem Cordis ſyſtole ſanguis rurſus expedite deorſum ex jugularibus refluit in Cavam, unde eædem detumeſcunt, atque alterne ſubſident.

Hoc ſane ſignum tanti eſt pro demonſtrandis dilatationibus dextrorum Cordis cavorum, dummodo ſit continuum, etiam dum æger decumbit, & nullo thoracis motu agitetur, angaturque cum reverſiva Cordis palpitatione, perenni angore pendere, ac pulſatione, ut mirum ſit, quam ſæpe contra aliorum ſententiam Medicorum (certo credentium dilatationem in ſiniſtris Cordis cavis) confidenter dextros ſinus Aneuryſmate laborare pronunciaverim; de quo equidem ſigno apud Auctores altum eſt ſilentium, licet alioquin aperientibus naturæ volumina in cadaveribus ſtatim ſeſe offerat.

Sed noſtræ huic hypotheſi objici poteſt quotidiana obſervatio virginum chloroſi affectarum, apud quas hujuſmodi pulſatio Venarum ſingularium frequentiſſime animadvertitur abſque ulla dilatatione dextrorum Cordis cavorum. Profecto non ſemel rem hanc animo mecum agitavi, tandemque diſcriminis rationem reperi; in virginibus enim iſthæc pulſatio tunc præcipue obſervatur, cum eædem in motu per acclivia augent ſanguinis recurſum per Venas in Cor, unde cum in iiſdem ſanguis ponderoſior, craſſiorque evaſerit, ſimulque vaſa, partim obſtructa, partim compreſſa, & convulſa, libere per Pulmones circulationi renitantur, idcirco apud eas quoque fit ut conſtrictio dexterarum cavitatum Cordis partem cruoris verſus Cavam repellat, indeque uſque in jugulares reverberet; in ipſis vero, qui dilatatis hujuſmodi cavis laborant perennis eſt etiam in quiete hujuſmodi jugularium pulſatio. Quod ſi vero accidat, ut puellæ etiam quieſcentes eodem malo afficiantur, tunc ſi diu perſeveret, & chalybeatis, ac viperatis non cedat, ambigi debet de prædicta dilatatione (ut nos interdum obſervavimus) craſſitudo enim ſimulque acrimonia ſanguinis temporis diuturnitate fibras Cordis partim infarcit, partim exedit, unde ſenſim infirmantur, & dilatantur.

Si vero hujuſmodi Venarum jugularium pulſatio virum, vel mulierem corripiat nulla de cætero obſtructione, aut chloroſi affectos,

diuque perſeveret cum reliquis ſignis dilatatorum Cordis cavorum, Medicus tuto de illarum partium Aneuryſmate poterit pronunciare.

Dum hæc in publicum edituri iterum corrigebamus, occurrit nobis obſervatio D. Homberg adnexa hiſtoriæ Academiæ Scientiarum Pariſienſis anni 1704, pag. 159. Hiſtoria autem ita ſe habet:
« Matrona annorum tringintaquinque ſex annos Pulmonum malo
» affecta me conſuluit. Hujus ſymptomata erant dirum aſthma,
» frequens, & magnum capitis malum, cum perpetuâ vigiliâ, &
» doloribus pectoris: cum vel minimum ſe dimoveret, aſthma adau-
» gebatur accedente violentâ Cordis palpitatione, quæ interdum
» perſeverabat per horam, vel ſexquihoram; aliis etiam paſſionibus
» vexabatur, quorum non memini, & quæ invicem ſuccedebant,
» unde nobis mulier ſæpe morti proxima reddebatur. Per id tem-
» poris, quo eadem majori vexabatur palpitatione, atque aſthmate,
» ſimul patiebatur magnam, ac ſenſibilem Venarum colli, & bra-
» chiorum pulſationem paulo diverſam ab illa, qua Arteriæ detineri
» ſolent; quæ quidem Venarum pulſatio exacte ſequebatur Cordis
» motum.

Hujus vero Venarum motus rationem ipſe allaturus, præmittit cadaveris diſſectionem, per quam Cor duplo majus inventum fuit, & ſubſtantiæ flacceſcentis: cava ſolito erant ampliora, & graciliora: aderant in utroque Arteriarum trunco polypi Cordis parietibus adhærentes, & ad duorum pedum longitudinem, præſertim per Aortam diſtributi. His poſitis Auctor comminiſcitur Venarum pulſationem pendere potuiſſe ex ſanguine, qui cum citra obſtaculum deſcenderet in Cor, cum nullus in Venis polypus adeſſet, ſed libero ejuſdem itineri repugnarent polypi Arteriarum, neceſſario dexterum Cordis Ventriculum implebat, & convulſivas contractiones, & palpitationes ciebat, unde ſanguis in Venis contentus, facto impetu in valvulas repellebatur in cavum, & ob fortem repulſionis impreſſionem communicabatur Venis Cordi vicinioribus pulſatio ſimilis illi, quæ ſentitur in Arteriis: & quoniam pulſationes iſtæ producebantur à convulſis Cordis contractionibus, illas exacte ſequebantur.

PROPOSITIO LVIII.

Solvitur problema unde oriatur, ut in antiquis Aneuryſmatibus paulatim pulſatio decreſcat tandemque prorſus obſcuretur, ac deficiat.

QUONIAM rem hìc afferimus, quæ fortaſſe aliquibus ſuperficie tenus eam conſiderantibus fidem non faciat, ideo duo graviſſima Celebrium Virorum teſtimonia producimus, Marci Aurelii Severini, ac Friderici Ruyſchii, qui in magnis Aneuryſmatibus hoc peculiare phænomenon obſervarunt, quod nos quoque in iis, quos videre contigit eodem mali genere diu obſeſſos, probe notavimus. Hoc quidem eo clariori aſteriſco advertendum eſt à Chirurgis, quod pulſatio Aneuryſmatis ſignum adeo exploratum, ac pathognomonicum vulgo habeatur, ut ſine illa Aneuryſmata exiſtere nullo modo poſſe credantur; quo errore imperiti decepti ſæpe æquo artis ludibrio, atque ægrorum pernicie Aneuryſmatis tumorem minime pulſantem, ferro, vel igne temere aperiunt, cujus infauſti caſus exempla apud Dekkers, & Ruyſchium legi poſſunt, quibus nos etiam horrendum experimentum ſuo loco addemus.

Interim vero ad propoſitum redeuntes iſtius deficientis indicii cauſam non unam eandemque omnibus viſam eſſe Scriptoribus advertimus. Etenim Marcus Aurelius Severinus de Obſ. Nat. pag. 178. ex putrefactione ipſius Arteriæ à ſanguine diffuſo, & corrupto intra vicina ſpatia pulſationem remittere aſſeruit, quam ſane cauſam mirabili enarratâ hiſtoriâ probare ſtudet. Fridericus vero Ruyſchius ſuarum Obſervationum XXXVIII. idem ſolvere ſatagit problema per reſiſtentiam ictui ſanguinis, inductam à congerie concreti intra Aneuryſma cruoris.

Sed quamquam ipſe non dubitem, quin una ex cauſis langueſcentis pulſus interdum ſit objecta, & ſemper aucta grumoſi, & polypoſi corticis reſiſtentia impetui ſanguinis illuc à Corde propulſi; tacere tamen non poſſum, hanc reſiſtentiam ſatis per ſe ſolam plerumque non eſſe, niſi eidem adjungatur diminutio virium Cordis ſanguinem propellentis, præſertim cum experimento compertum ſe habuiſſe narret in deſcripto Aneuryſmate præcitatus Ruyſchius pag. 52. quod pulſatio, quæ vehementiſſima eſſe ſolet, in totum aliquot hebdomadibus ante mortem ceſſaverat. Etenim ſi ponatur Cordis

vigorem eundem perſeverare, neceſſario ictus ſanguinis extrorſum trudens poterit per id temporis dimovere ea obſtacula, quæ ex polypoſo fornice oppoſita ſunt, cum oſſa elevare, atque ſæpe etiam disjungere ſoleat.

Sed præter allatas rationes, eo etiam argumento moveor, quod ad infringendum ſanguinis impetum in tunicas Aneuryſmatis, ejusque pulſationem imminuendam, nullum præſtantius occurrit auxilium ſanguinis miſſione; miſſo enim ſanguine ſtatim pulſatio in parte affecta longe debilior obſervatur; quod ideo evenit non modo, quia imminuta ſanguinis copia, cum is à Corde impellitur, minus ſpatium occupat, ſed etiam maxime, quia Cordis robur detracto ſanguine neceſſario langueſcit, tum ob imminutum, atque hebetiorem ſpirituum animalium illapſum, tum etiam quia cum Cordis Ventriculi ſanguine minus turgent, parcius ac debilius idem ſanguis in Arterias Coronarias truditur.

PROPOSITIO LIX.

Enodatur problema, quì fiat, ut in magnis circa Cor Arteriarum Aneuryſmatibus omnes Animalis Arteriæ ſolito appareant exiliores, & plerumque etiam inæquales; ſi vero Arteriam Artuum occupaverit Aneuryſma, exilitas atque inæqualitas ſentiatur in Arteria, quæ poſita eſt infra partem Aneuryſmate obſeſſam.

Solutio iſtius problematis tota pendet ex ſcientia cauſarum, & modi, quibus magnitudo, atque æqualitas pulſus in ſtatu naturali fieri ſolet. Tria vero ſunt, ut alias docuimus, quæ ad ordinatum ſanguinis motum conducunt; determinata ſcilicet cruoris moles, & fluiditas; determinata vis, ſeu potentia Cordis; ac tandem determinata canalium figura, diameter, ac reſiſtentia. Sed ne inutiliter, & forte etiam ad nauſeam ea hîc repetamus, quibus pulſuum inæqualitas minime vitio vertenda, figuram tantum, ac diametrum Arteriarum conſiderabimus, quæ ſi ampliores, vel anguſtiores, quam naturalis corporis conſtitutio expoſcit, fuerint, utique ſanguinis motum plurimum turbabunt, depravabuntque; niſi enim Cordis impellentis viribus adamuſſim reſpondeant, ſanguinis propulſi motum vel intercipient, vel præpedient, vel repercutient, vel

retardabunt, vel accelerabunt; quod fieri nequit, quin Arteriæ inæqualibus pulſibus micent.

Quapropter ſi qua parte Aortæ truncus per Aneuryſma dilatetur, ſanguis è Corde per ipſius ductum impulſus, ubi ad folliculum tumoris pervenerit, ſtatim ex hydroſtaticæ legibus retardabitur, utpote ex anguſtiori via in amplius ſpatium pervadens; quare hebetior, ac ſegnior cæteras Arterias præterfluens, minores, ac languidiores earum pulſus efficiet.

Hoc ſanè probe docent flumina, quæ cum à ſtricto fine rapidiſſimè debacchantia in prægrandem, latumque alveum, vel ſubterraneam, magnamque cavernam excipiuntur, illicò de velociſſimo ſuo motu multum ſolent amittere, ita ut pro ratione amplitudinis alvei minori deinceps velocitatis momento devolvantur. Sed ad oculum id ipſum nobis oſtendunt conici, & oblongi quidam cyathi, ita formati, ut identidem amplioribus nodis diſtincti anguſtentur, ac dilatentur, per quos quidem inclinatos cyathos immiſſus liquor, alternè pro ſpatiis anguſtioribus, aut latioribus decurſis, acceleratur, vel retardatur.

Cum vero Aneuryſma peculiares aliquas Arterias occupaverit, puta Axillares, aut Popliteas, tunc inæqualitas, ac parvitas pulſus in ea ſolum Arteriæ parte perſentitur, quæ infra locum Aneuryſmaticum poſita eſt. Sic apud Oculatiſſimum Harvæum Exercitatione I. De Motu Cordis pag. 36. hiſtoriam legimus cujuſdam habentis Aneuryſma propè deſcenſum Arteriæ dexteræ Subclaviæ in axillam, in quo pulſus ejuſdem brachii exilis admodum erat, derivato nimirum, atque intercepto motu, ſeu influxu ſanguinis intra tumorem.

Atque hinc ſanè deducenda eſt ratio, cur Medici non uni dumtaxat carpi pulſui, nec unico tactus examini fidere debent, cùm revera, ut Celſus ait, mille res illum poſſint variare, quem frequentiſſimè ſolet perturbare vitium in ſola figura, & diametro Arteriæ, quæ momento temporis ſi per affectionem aliquam convulſivam Nervorum, aut Muſculorum ipſi adjacentium prematur, varium, inæqualemque pulſum reddere ſolet. Facit ad rem noſtram, quod per fraudem nonnulli, vitium Præcordiorum ſimulare ſtudentes moliri ſolent, dum minus peritis Medicis carpum porrigunt ad explorandum; tunc enim bicipitem brachii muſculum violenter, quantum poſſunt tendere, ac convellere ſatagunt, quo fit ut Arteria

Axillaris, & quæ ad manum deſcendit, ipſa quoque inæquabiliter à ſubtenſis maſculi fibris conſtringatur, proindeque inæqualiter celer ejuſdem carpi pulſus evadat. Tanti profectò eſt noſſe varietatem cauſarum præternaturalium effectum, ſimulque pravorum, callidorumque aſtutiam ingeniorum, ut utriſque ignoratis, ſapiens etiam Medicus turpiter aliquando decipiatur.

Sed audio verſatum aliquem, & Practicum nobis oggerentem, in Aneuryſmate Venæ Cavæ, Auriculæ, & Ventriculi dexteri tantum abeſſe ut pulſus fiant inæquales, & parvi, ut magni, tenſi, æqualesque plerumque tangantur, ac propterea non in omni Aneuryſmate pulſum exilem atque inæqualem evadere.

Verum nos minimè ignoramus, & libenter fatemur id evenire, ſed nihil ad rem noſtram facit; ſecus enim res ſeſe habet, ubi Aneuryſma Arterias & Cordis ſiniſtra cava occupat, atque ubi Venæ Cavæ radix, vel dextera Cordis cava dilatantur; cum enim primum contingit Aneuryſma ex pulſus inæqualitate innoteſcit, quemadmodum demonſtratum eſt; cum ſecundum, pulſus ut plurimum magni, & æquales obſervantur: cujus ſymptomatis rationem, & cauſas ſequenti Propoſitione oſtendemus.

PROPOSITIO LX.

Exponitur mechanica ratio cur dilatatis radice Venæ Cavæ & Auricula, ac Ventriculo dextero pulſus plerumque magni, & æquales appareant.

EQUIDEM experimento conſtat, ampliatis ſupra naturalem diametrum expoſitis in Propoſitione dextris cavis, niſi malo adjungantur ſiniſtri Cordis ſinus, aut Aorta, ſemper pulſus eſſe magnos & æquales, quibus ſanè pulſuum conditionibus peritos etiam quandoque Medicos eouſque deceptos vidi, ut nulla dilatatione Cavam, ipſique adjunctos ſinus laborare, pertinaciter contenderint, quod nulla appareret pulſus inæqualitas; cum alioquin poſt ægri mortem de meæ veritate prædictionis abunde fuerint revicti.

Cauſa verò, ob quam in prædictis malis magnitudo, atque æqualitas pulſus (dummodo nulla ſit in ſiniſtris cavis, & canalibus culpa) plerumque obſervatur, tota poſita eſt in eo, quod data dilatatione radicis Cavæ, & Auriculæ dexteræ, ſolito minor evadit circumpulſio;

atque elutriatio ſanguinis à Cava in dextera Cordis cava; laxatis enim Cavæ fibris, ipſarum vis infringitur, qua ſanguis in Ventriculum truditur, quoties igitur enervatus fuerit fibrarum tonus, & ampliatum venoſi canalis cavum, neceſſariò lentior ſanguinis pars ibidem ſubſiſtet, quæ deinde neceſſitate pariter mechanicâ remorabitur ſanguinis recurſum à minoribus minimisque Venis in Cor; proindeque orificia Arteriarum pigro ad circulandum ſanguine ſolito magis opplebuntur, atque idcircò ſolito minus expedita erit, & libera trajectio ſanguinis ab Arteriis in Venas, id quod cauſa erit, ut dum ſanguis à Corde ſingulis pulſationibus in Arterias truditur, etiamſi minima ſit moles fluidi, quæ pellitur, pleni pulſus apparebunt, cum Arteriæ conſueto tumidiores exiſtant, neque ſanguinis molis æqualis ei, quæ à Corde intra Arterias infunditur, ab Arteriis in Venas poſſit effundi.

Idem ſanè non raro experimur in thoracis hydrope, & leucophlegmatia, in quibus pulſus fiunt magni, & æquales, non quidem ob ſanguinis bonitatem, aut magnam Cordis vim, ſed ob impeditum liberum circuitum ſanguinis ab extremis Arteriis in extremas Venas, oppoſito circa Cavam, vel Cavæ ramos obice.

Sed urgebit aliquis ſciendi cupiditate excitatus, unde poterit Medicus certam, vel ſaltem minus dubiam diagnoſim deducere dilatationis Cavæ, & dextrorum Cordis cavorum. Hanc ſane ſpartam ſuo loco illuſtrabimus, demonſtraturi præter Cordis angorem, ingentem pulſationem, & palpitationem, aliud quoque ſymptoma concurrere, quod pathognomonicum ſignum meritò dici poteſt: hoc certè eſt vehemens quædam pulſatio, & fluctuatio Venarum jugularium, quæ ab aliquibus pro Carotidum pulſatione perperam accipitur: cujus rei cauſas Propoſitione LIII. ſupra demonſtravimus.

PROPOSITIO LXI.

Rationem inquirere, cur in magnis Aneuryſmatibus interna ſuperficies dilatatæ Arteriæ cænoſo ac polypoſo ſanguine corticis inſtar ducto incruſtetur.

CERTUM eſt in magnis Aneuryſmatibus, atque in iis præſertim, quibus Arteria maximè dilatatur, aut foramine pertuſa attollitur in folliculum, inveniri quendam veluti fornicem polypoſo-grumoſum,

qui

qui ſuperſtitem Arteriæ membranam diſtenſione alioquin attenuatam, diverſis compaginatis laminis incruſtat, ac mirè tuetur.

Hanc ſanè pſeudocarneam cyſtim primus vel detexit, vel ſaltem ſcriptis, quantum ſciam, promulgavit inſignis Gulielmus Harvæus Exercitatione III. De Circulatione Sanguinis pag. 215. per hæc verba : « Aneuryſma ab exeſis Arteriæ tunicis, non tunicam Arteriæ » dilatatam ; ſed circumpoſitam ex membranis, & carne cyſtim » præternaturaliter factam, pro continente habet. »

Eandem poſtea rem, quibus apud cadavera videre non contingit, ad oculum delineavit Obſervatione XVIII. anni primi Centuriæ I. Obſervationum Naturæ Curioſorum Germaniæ, in qua exhibetur icon Aneuryſmatis cum duobus involucris, ſeu geminis foliis concreti, & in fibras producti ſanguinis. Proſtat pariter elegans iſtius rei deſcriptio apud Clariſſimum Fridericum Ruyſchium Obſerv. XXXVIII. ubi inter ea, quæ in magno pectoris Aneuryſmate à ſe viſa fuerunt, narrat inventum corpus, quaſi lamellatim diſpoſitum, ſeu ex innumerabilibus tunicis craſſis, carnoſis, ac ſatis tenacibus ſibi invicem impoſitis conflatum, inter quas tunicas ſanguis copioſus, & coagulatus deliteſcebat, quæ ſane obſervatio à nobis ad unguem in hujuſmodi extiſpicio cadaverum pluries reſpondit. Legatur noſtra Aneuryſmatis obſervatio in Veſtiario deſcripto Cap. II. de Aneuryſmatibus ex contuſionibus Propoſitione XXII.

Hoc itaque per experimenta demonſtrato ſymptomate, reliquum eſt, ut ejus cauſas inveſtigemus, unde nimirum iſthæc oriatur accretio polypoſo-grumoſæ ſubſtantiæ intra Aneuryſma, ubi cum tam vehemens appareat ſanguinis niſus extrorſum urgens, ac trudens, difficile forſitan alicui videri poterit, quomodo tanta copia craſſi humoris colligatur : cujus tamen eventus rationem facilem reddent nonnulla, quæ hîc ſubnectenda ducimus, tamquam indubia ex theorematibus operationum Animalium.

Primò ſanguinem eſſe fluidum non ſimplex, ſed heterogeneum, compoſitum nempe ex diverſis partibus qua ſolidis, qua fluidis, craſſis, ac ſubtilibus, in cujus ſubſtantiam bis ſaltem in die rivulus ſubtenacis chyli, & quidem largâ copiâ ſolet infundi ; qui profecto chylus in ſtatu naturali ſanguini permiſtus ejus inteſtino motu, ac continuo particularum attritu, & colliſione attenuatur, in minimas partes comminuitur, ac volatilis efficitur.

N

Secundò præmonemus, ad attenuandum chylum cum ſanguine multa fuiſſe à natura comparata, ſed omnium maxime ipſorum vaſorum determinatas figuras, certos diametros, & validos motus, ſeu vires periſtalticas, quæ ſi aliquando vitiari contingat vaſorum affectiones juxta gradum in ſolidis admixti vitii, enormia quoque fluidorum vitia in corpore manifeſtentur oportet; ſed præcipuè neceſſario turbatur exacta illa in ſanguine fluidi cum ſolido, craſſi cum ſubtili, permixtio, ita ut in locis affectis eæ fluidorum partes ſubſiſtant, quæ ponderoſiores, quæ fibroſiores, quæque verbo ad motum per ſe proſequendum minus ſunt expeditæ.

Duobus his præpoſitis perinde quaſi facibus, obſcura cæteroquin problematis enodatio clareſcit; etenim cum certum ſit in Aneuryſmate, quo idem majus eſt, eo magis tria hæc apud Arteriam vitiari, figuram videlicet, diametrum, & præcipue motum periſtalticum, qui ſciſſis, aut eroſis fibris, canalem aptum ad reſiliendum, ſeu ad contrahendum conſtituentibus, eo in loco debilitetur, prorſusque tandem tollatur neceſſum eſt; quare ſanguis, liquor nimirum heterogeneus, & chylo ſcatens cum à Corde impulſus, folliculum Aneuryſmatis penetraverit, illico ſegnius moveri incipit: partim quia ex anguſtiori Arteriæ diametro, in latiorem folliculum influit; quo fit ut ex hydraulicæ legibus retardetur: partim etiam quia folliculi tunicæ, ſeu portionis Arteriæ dilatatæ abſciſſis, atque exeſis fibris contrahi nequeunt, atque præterfluentem ſanguinem, in proximas Arterias ordine impellere, atque accelerare, ſeu ſaltem motum ex Corde conceptum propagare: imminuto autem ſanguinis motu, particulæ chyli non adhuc probe ſubactæ, variæ aliæ quamplurimæ ſpecifice cæteris graviores, ab iis ſecedunt, atque inter ſe coëuntes concreſcunt in fibras, ex quibus variæ lamellæ poſtmodum contexuntur polypi materiam referentes. Ex his autem Aneuryſmatis fornix progreſſu temporis attollitur.

Et quoniam partes, quæ citius à ſanguinis torrente alicubi ſubſiſtendo ſecedunt, ſeu quietem adipiſcuntur, duplicis præſertim ordinis eſſe ſolent, chyloſæ nempe, ſeu crudæ, & nimium excoctæ, terreæ, uberique tartaro redundantes, ea quidem ratione evenit, ut in cyſtide Aneuryſmatica ſimul inveniantur admixti laminis polypoſis, (quæ nutritiæ, & chyloſæ partes ſunt) nigerrimi ſanguinis grumi, qui nihil aliud ſunt, quam aggregatum particularum ſanguinis

nimium excoctarum, ſeu capita dixerim mortua, terrea, ſalina & tartarea vetuſti ſanguinis.

Neque vero alicui, etiamſi in ſubtiliori Anatome, & animalium operationum profunda inquiſitione, minus verſato ardua videbuntur ad intelligendum, quæ propoſuimus circa polypoſi fornicis, & grumorum congeſtionem in Aneuryſmate, dummodo motus torrentium, & fluminum à Clariſſimo P. Benedicto Caſtelli in aureo Libello De Menſura Fluentium Aquarum expoſitos haud ignoret; is enim Auctor Corollario V. demonſtrat, in torrente turbidam aquam vehente, ſi retardetur motus, & ingreſſus ejuſdem intra alveum fluminis, tunc quidquid turbidi, craſſi, & majoris ponderis eſt in fluentia præcipitatum, ibi ad fundum cænoſo, ac fere dixerim polypoſo præcipitato incruſtabitur, ac elevabitur.

Ex iis autem, quæ hactenus probavimus, duo effecta in magnis Aneuryſmatibus paſſim obſervata tamquam Corollaria elucеſcunt.

Unum eſt, polypoſum iſtum fornicem incruſtatum undique dilatatis, ruptisque Arteriæ membranis fungi aggeris munere, & membranarum vicem gerere, easdemque firmare, quominus impetuoſus cruoris torrens in proxima cava, & vicina ſpatia, citam inducturus mortem irrumpat. Eouſque natura in ſtatu etiam præternaturali prodigioſa eſt, atque induſtria, ut quemadmodum brevi collapſuros antiquitate parietes adnata, ac ſerpente undique hædera fulcit; ita pariter Animalium vitam citiſſime profundendam, vel per ipſos retinere morbos viriliter ſatagat.

Alterum vero, in magnis, Cordique proximis Aneuryſmatibus productum eſſe malum illud, quod ſemper progreſſu temporis accedit, nimirum leucophlegmatiam, atque hydropem, qui quidem morbi in tantum ſubnaſcuntur, quia dato vitio dilatationis, & defectus circumpulſionis in Arteria Pulmonica, vel Magna, ſtatim vitiatur exacta miſcela, vibratio, & confuſio chyli, lymphæque cum ſanguine; unde paulatim ſerum, ac fibroſæ fluidorum partes à ſubtilioribus facile ſecedunt, & in locis, ubi etiam in ſtatu naturali momentum impulſus à Corde accepti, neceſſario elanguet, cujuſmodi ſunt pedes, & crura, minimo negotio ſubſiſtunt, ſeu leucophlegmatiæ ſubnaſcuntur, indeque aſcites etiam, ac pectoris hydropes oriuntur, quia multiplicatis, & acrioribus in dies factis humoribus, vaſa omnia lymphatica viſcerum tumefiunt, obſtruuntur,

N 2

atque eroduntur ; quæ ſane hinc genita hydropis ſpecies tanto cæteris gravior, atque inſanabilior eſt, quanto minus ab arte, vel natura ſolidorum vitia corrigi poſſunt : quin imo aliquando lugenda prorſus mihi viſa eſt miſerrima iſtorum ægrotantium conditio, qui Medicos minus peritos, & cautos nacti, iiſdem plane remediis quibus hydropes ex primitivo fluidorum vitio enati curari tuto ſolent, ubi morbus dilatatione Arteriarum, atque enormiter, exeſis earundem tunicis progignitur, compendio, ac violenter ad interitum ducti fuerunt. Adeo verum eſt nullam ſæpe meliorem, quam incertam eſſe Medicinam. Parcat, precor, Lector ingenuitati ſcribentis; nam ipſe ut Epimetheus loquor :

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

DE EXTERNIS
ANEURYSMATIBUS
MANU CHIRURGICA METHODICE PERTRACTANDIS

CUM NONNULLIS CIRCA ANEURYSMATA INTERNA
AC TRIBUS ALIIS RARIORIBUS CHIRURGICIS
OBSERVATIONIBUS

ATQUE ŒSOPHAGOTOMIÆ OPERATIONE È GALLICO SERMONE
IN LATINUM VERSA

OMNIA CUM TABULIS ARCHETYPIS

OPUS

CAROLI GUATTANI

CLEMENTIS XIV. PONT. MAX. Secretioris Chirurgi : Pariſ. Real. Academ. Chirurg. Membri : Litterar. cum Pariſ. Scient. Acad. commercium habentis : Inter Arcades Avicennii Eurotæi : In Rom. S. Spiritus, ſanctiq Gallicani Noſocomiis Prim Chirurg. Prof., atque in iiſdem Lithotomiæ, & Chirurg. operat. ac Anatomes Lectoris Publici.

AD EXEMPLAR EXCUSUM
ROMÆ MDCCLXXII.

Audeamus, quod credi non poteſt auſuros nos, eo ipſo quod difficillimum videtur, facillimum erit.

T. Livius Decad. III. lib. v. cap. xxiv.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIV.

PONTIF. OPT. MAX.

CAROLUS GUATTANUS

PERBELLE accidit, CLEMENS PONTIFEX MAXIME, ut quemadmodum à Pontificio Archiatro, Viro ſane Anatomicarum, Medicarumque rerum peritiſſimo, Joanne Maria Lanciſio, in ſuo lucubratiſſimo de MOTU CORDIS, ET ANEURYSMATIBUS Opere, jam plene, cumulateque expoſitum fuerat quidquid ad internorum Aneuryſmatum cognitionem, naturam, curationemque ſpectabat; ita Pontificis quoque Chirurgo, etſi longe impari doctrina prædito, alteram, quæ adhuc intentata ſupererat, externorum Aneuryſmatum provinciam aggredi, eamque

pro viribus illuſtratam prælo committere, reſervatum quodammodo videretur.

Dolet quidem, ac vehementer dolet; hanc à me primum lethalis hujuſce morbi perſanandi rationem triginta fere ab hinc annis excogitatam, nunc demum in Orbis aſpectum prodire: heu namque quot miſeros, qui adhuc uſura lucis fruerentur, deſertos, ſoloque prognoſtico derelictos,

Abſtulit atra dies, ac funere merſit acerbo!

Nemo autem, ut arbitror, miretur, ſi quod in ſuo concinnando Opere prælaudatus Lanciſius conſumpſit, eodem circiter mihi temporis ſpatio opus fuerit: In nova ſiquidem Chirurgicarum operationum conſtabilienda methodo, & priuſquam incipias, conſulto, & poſtquam conſulueris, serioſe facto opus eſt; nec ratiocinio dumtaxat, verum diuturnis partis morbo affectæ obſervationibus, experimentiſque res eſt conficienda. Num ne potiùs quis jure miretur, quod opellam tenuem laborum meorum fructum dicare Tibi, Beatissime Pater, ampliſſimoque tuo nomini inſcribere non reformidem? Sic eſt. At cuinam ſubditus homo optimæ ſaltem voluntatis erga Patriam, & Concives teſtimonium præbeat, niſi Clementiſſimo Principi, qui verus omnium Parens amantiſſimus, eos præ cæteris diligit, ac ſinu fovet, qui

in

in Reipublicæ utilitatem omnes induſtriæ nervos intendunt? A quo præterea patrocinium famulo implorandum eſt, niſi à Domino ſuo?

Accedit etiam celſiſſimam, cæloque proximam dignitatem, qua unus in terris pollens, ac potens es ad me tuendum valere ab invidis alienæ famæ, qui malevolentiæ felle ſuffuſi, de novis inventis minime ſolliciti, ea, quibus ipſi ſunt impares, ut ait Hippocrates in Epiſtola ad Dionyſium, tamquam exigua, & ſupervacanea traducunt. Quis vero, præter Pontificatus apicem, virtutum omnium genera in Te uno ſita non videt, revereretur, & colit, quæ optimum Principem conſtituunt; Humanitatem intelligo, Temperantiam, Facilitatem, Amorem, Juſtitiam, Fortitudinem, Providentiam? Quæ adeo Tibi omnes hominum ordines arctiſſimo amoris vinculo obſtrinxerunt, ut ob novam hanc ſupremi Sacerdotii dignitatem, non tam ipſi Tibi, quam ſummæ ſuæ felicitati gratulentur. Populi vero benevolentiam non ſola facilitate, ut alii, ſed ipſa virtutis ſeveritate, & juris, legumque obſervantia, ut de Catone, viro graviſſimo, auctor eſt Tullius, Tibi propemodum conciliaſti. Quod ſi verum eſt, quod Plato duxerat, tum denique beatas fore Reſpublicas, quum aut docti, aut ſapientes homines eas regere cœpiſſent; o quam beatos nos fore putandum eſt! imo etiam nunc beatiſſimi ſumus; jamque luculentiſſimum

O

non nobis tantummodo, ſed univerſo terrarum Orbi doctrinæ, ac ſapientiæ tuæ ſpecimen præbuiſti; cùm ſuſcepto calamitoſis temporibus gubernaculo, mirabili quadam cunctandi ratione plurima, ac difficillima expediſti negotia, felicior ſane præſtantiſſimo illo Romanorum Duce (Fabio), de quo ſcriptum legimus:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Hæc, quæ de virtutum tuarum gloria ſic leviter monui (nam quæ reperiri Te ſatis digna poteſt oratio?) clare, ni fallor, oſtendunt, me non temere, atque fortuito, ſed quodam veluti jure auſpicem Te, ac Patronum expoſtulaſſe. Ad hæc noſti, Beatissime Pater, ut novit Urbs univerſa, me auguſtiſſimo huic Orbis Terrarum loco, Apoſtolicæ nimirum Sedi, adeo multa debere; ut ſi quando mea curandorum morborum ratio, ex Anatomicis, & Chirurgicis profecta ſtudiis, à quibus ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe, ſaluti hominibus fuit; eorumdem in primis fructum debeam acceptum referre eximiæ Anteceſſorum tuorum liberalitati, ac munificentiæ erga me prope ſingulari. Ea namque factum eſt, ut in exteras gentes iter ſat longum conficere, totamque Italiam, Galliam, & Belgium peragrare potuerim. Dulce mihi profecto eſt meminiſſe felices, fauſtosque Francorum Armorum exitus, quorum Vexilla ſecutus anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo

ſeptimo, cum in expeditione ad Loffeld, ſub quo atrociter pugnatum eſt, tum in ardua, difficillimaque Bergæ ad Zomam obſidione ſauciis curandis militibus operam dedi. Sed magis, magisque lætor memoria repetens, quot, & quam clariſſimos Chirurgiæ Rectores, ac Magiſtros in diuturna illa peregrinatione datum mihi ſit cognoſcere, ac familiares habere; ut enim reliquos omittam, in Galliam profectus Lutetiis familiares habui Excellentiſſimum Virum Franciſcum De La Peyronie tunc Galliarum Regis Chirurgum, cæterosque inclytæ famæ Pariſienſis Chirurgiæ Profeſſores, Petit, Le Dran, Winslow, Morand, Foubert, Puzos, Moreau, Queſnay, Garengeot, Hevin, La Faye, Louis &c. Manet alta mente repoſta felix illa dies, qua cùm diſſertationem coram præfatis, aliisque compluribus Lutetiæ Chirurgis in eorumdem Academia publice perlegiſſem, haud multo poſt ejuſdem albo me adſcriptum cognovi: quo quidem munere nihil accidere mihi poterat aut ſplendidius ad laudem, aut ad lætitiam jucundius. Nec ſine encomio prætereami, quos in Belgio colui perilluſtres Viros Senacum tunc temporis Saxoniæ Ducis, exinde demum Chriſtianiſſimi Regis Medicum; De La Martinierre, Franciſci De La Peyronie digniſſimum ſucceſſorem; nec non peritiſſimum Andouillé claſſis illius Gallicæ in expeditione Chirurgum primarium. Vixi Rothomagi cum Claudio Nicolao Le-Cat

magni nominis Chirurgo. Uſus Lovanii familiaritate ſum celebratiſſimi Anatomici Van-Roſſum. Moſcatum novi Mediolani; Bertrandum Auguſtæ Taurinorum; Bononiæ Molinellum; Patavii demum Anatomicorum omnium facile Principem Joann. Baptiſtam Morgagnum, ex quorum ore in privatis colloquiis multos carpebam Chirurgicæ facultatis flores,

Qualis apes æſtate nova per florea rura.

Quæ quidem eo libentius dico, quo clarius omnes intelligant, me infinitis pene nominibus devinctum, ob omnino ſempiterna beneficia, de quorum magnitudine, ſi hoc potiſſimum tempore nihil publicis teſtarer monumentis, apud æquiſſimum quemque rerum æſtimatorem immemor videri poſſem, aut parum gratus. Habes igitur, Beatissime Pater, quæ, & quantæ rationes, omnesque graviſſimæ, fuerint, quare opus hocce meum, qualecumque demum fuerit, Tibi ſiſtere debebam. Unum reſtat, quod ampliſſimo illud patrocinio tuo foveas, mihique ad Sanctiſſimos Pedes provoluto Apoſtolicam Benedictionem impertiaris.

GUATTANI PRÆFATIO

AD LECTOREM.

Opusculum ſi ſcriniis meis excidere paſſus ſum, non codicem, non commentarium, ne illico poſcas tabellam, benevole Lector, neque me, priuſquam cauſam dixerim, præcipiti ſuffragio condemnes obſecro. Urget ſcio tam doctos, quam indoctos ſcribendi, edendique opera ſua cacoethes, urſitque ſemper homines natura, ſi Tullio credimus, non tam ad diſcendum, quam ad docendum proclives; idque ex eo factum eſt, ut in immenſum aucta librorum multitudine, cum aliarum diſciplinarum, tum potiſſimum Chirurgiæ ſtudia nullum jam finem habere poſſe videantur. Verum cum non niſi perpaucis datum ſit, facultates, quibus veluti glebæ adſcripti ſunt, novis inventis augere, atque illuſtrare; ex his ingentes materiarum tractatus non ſine magno verborum apparatu, perſæpe cum Polydædala eruditione conſarcinant, commentarios, collectiones, promptuaria, lexica improbo forſan, ſed inutili labore componunt. Parcam ſane multis, quin & digniſſimos laude puto tam veteres, quam recentes rerum Chirurgicarum Scriptores, qui ut obſcuris lumen adderent, ambigua explanarent, maculas, quæ vel incuria, vel ruditate temporum auctoribus exciderunt, abſtergerent, in alienis ſcriptis perpoliendis, ordinandisque plurimum inſudarunt. Profecto quis magno in pretio non habeat opus De rara Vulnerum medicatione, *à celeberrimo Magato conſcriptum? Ingenuus homo ſponte, libenterque fatetur, ſe nova Romæ, & fortaſſe, ut arbitror,*

in Xenodochio S. Spiritus curandorum vulnerum percepta methodo, ut hanc in melius corrigeret, ad tractatum illum conficiendum operam contuliſſe. Ut poſtea mutarem conſilium (*ipſiſſima ſunt ejus verba*) hinc accidit : Dum Romæ commorarer, præcipuos Urbis Chirurgos novam hanc curationem vulneribus adhibentes intuebar, novitate rei permotus &c. *Quis laudandum non putet Hieronymum Marinum ejuſdem Xenodochii Lithotomum, mihique apprime notum, qui veteri deſpecta ſuppoſitæ Carunculæ in uretra perſanandæ methodo, novam, ac magis aptam excogitavit? Hos non perfunctoriam, ſed utilem, ac neceſſariam in ſcribendo operam collocaſſe, cæcus eſt, qui non videat, amens, qui diſſimulet.*

Illos increpo ineruditiſſimos fures, qui ad aliquid per ſe conſcribendum impares, ex alienis hortulis hinc inde rapere, mutataque anſa alienis poculis, ut ait Seneca, ne poſſint agnoſci, aliena pro ſuis venditare non erubeſcunt. Ex his alii ſolo rerum ordine immutato, ſæpe ſæpius in præpoſterum, tranſcribere, ac denuo idipſum opus recoquere. Nonnulli armamentarium Chirurgicum inutiliter augere. Quidam cerebrina remedia concipere, ad quæ intelligenda, tamquam ad Oracula Delio natatore opus ſit. Nec deſunt, qui contra diverſas medendi, curandique methodos membranas inſipienter impleant : quaſi uno, eodemque ſemper immutabili modo ſingulis in caſibus ægrotis præſto eſſe poſſimus. De hac univerſali medendi ratione ſi mihi obiter, quod ſentio, dicendum eſt, libere dicam, nil intentatum majores noſtros reliquiſſe; ab iis enim propoſita ſunt Olea: Unguenta: Cataplaſmata : Cerata : Balſama : Vulneraria in genere: Pulveres : Poſcæ : Aquæ cum medicatæ, tum thermales : ſimplices tam calidæ, quam frigidæ : fila arida : nec partem morbo affectam exſugere prætermiſſum eſt. Numquam tamen hoc Theorema Geometricum, quod ſuadere nituntur moderni Chirurgiæ reformatores, conſtabiliri potuit; nec ullatenus judicio meo conſtabilietur, donec

cauſæ morbi efficientes, corporis habitudo, cælum, anni tempeſtates, ægrotantis ætas, morbi demum poſitura ſedulo inſpiciantur, maximaque in ratione habeantur.

Tales ergo viros, quorum opera volumine quidem magna, ſed rebus ſane exigua, in dies publicari cernimus, Carteſio, Philoſopho in primis acuto, opinionem injeciſſe puto, typorum inventionem potius quam utilem humano generi noxiam fuiſſe, ac pernicioſam. Profecto non juvant, non delectant, nemini placent, niſi Bibliopolæ, cui lucrum licet miſerrimum quandoque parant. Illos e contrario omne tuliſſe punctum cenſendum videtur, qui omiſſa eorum tractatione, quæ jam ab aliis obſervata ſunt, ea, quæ reſtant invenienda, explicandaque enixe curarunt. Veros proinde Chirurgicæ facultatis illuſtratores decet appellare, ut nonnullos hic recenſeam, Lotterios, Pibrakios, Drakios, Petitos, qui & Placcam ad Arteriæ Intercoſtalis Hæmorrhagiam comprimendam; & machinulam, qua lingua exciſa cohæreſcere iterum ac conjungi valeat; & extractionem ſecundi Dentis molaris Mandibulæ ſuperioris, qua ſinus Maxillaris Ozæna facile perſanetur; & Oſſium Cavorum Terebrationem puris educendi gratia comparatam, aliaque aptiſſima hujuſcemodi remedia excogitarunt, omniumque primi doctiſſimis lucubrationibus explanarunt. Hac potiſſimum de cauſa diffuſos in illos materiarum tractatores, atque compilatores odium velut ſempiternum exercuiſſe conſpicimus florentiores Europæ Academias.

Mihi vero in Chirurgia idem obtigiſſe gratulor, quod olim Eleuſynam videntibus: nam ut illa ſemper aliquid ſervare ſolebat, quod reviſentibus oſtenderet, ita quotieſcunque ad artis meæ arcana perſcrutanda acceſſi, ſemper aliquid obſervavi, quod nec ab aliis, nec à me ipſo viſum, aut perceptum antea fuerat. Quapropter ut aliquid de penu meo prodiret, quod ſi re ipſa humanæ ſocietati nil commodi, atque utilitatis afferret, meum ſaltem alios juvandi animum oſten-

deret, facile à me impetravi, ut hanc Chirurgiæ partem, quæ hactenus velut in puteo Democriti demerſa latuit, e tenebris eruerem, ac pro modulo ingenii exornarem. Tuum igitur erit, humaniſſime Lector, judicare, reprehendendus nec ne ſim, quod ab inveterata Scriptorum conſuetudine recedendum mihi putaverim. Id unum affirmem, me in hoc qualicunque concinnando libello, tamquam ad unicum finem, ad amplificandam, explanandamque morbos externos perſanandi artem reſpexiſſe.

Quare in hoc lætandum mihi jure videor, quod haſce obſervationes, quantulæcunque demum eæ ſint, non in aëre, ut Plautinis verbis utar, piſcatus fuerim, vel in Armariolo pomeridianis horis ad oblectamentum, ſeu potius ad vanitatem effinxerim; quoniam illas in celeberrimo æque, ac publico Sancti Spiritus Noſocomio innumera per experimenta diutius comprobavi, cujus veritatis teſtes ſunt locupletiſſimi, quotquot in eodem Chirurgiæ dant operam, ſtudioſi adoleſcentes. Cæterum non parum alacritatis, animique ſuſcepi, ut fœtum hunc in lucem emitterem, cùm obſervaſſem, poſtquam felicem, fauſtumque tam in brachio, quàm in poplite habuerit exitum Aneuryſmatis vinctura, ſi quis hoc laboraret morbo, illico ab unoquoque ſive rerum Medicarum gnaro, ſive ignaro, vincturam tuba cani, inclementerque ſæviri in Chirurgum, ſi forte vita Ægrotus periclitatus fuerit, quia operationem omiſerit. Numne igitur Aneuryſmatibus quibuſcunque vincturam adhibendam putemus? Poterat paulatim in artem irrepere claſſicus hic error, ac fatalis Ægrotantium ſaluti (quemadmodum fatalem fuiſſe jam nonnullis, interdum curantis imperitia, quandoque nimia animoſitate infra patebit) ſi principiis obſtare nemo ſategiſſet. Nunc autem de varia Aneuryſmatum externorum qualitate edocti, cautius, ut ſpero, in poſterum Vinctura utentur Chirurgiæ Profeſſores, cæteri tam immani furore imperitiam non increpabunt.

Quod

Quod ſi ſcire aves, unde in me originem duxerit prurigo in univerſa Chirurgia, quæ tam longe, lateque diffunditur, hanc unam excipiendi gremio, ſerioque excolendi materiam; dicam libentiſſime ſtimulum excitaſſe caſus quoſdam, qui a primis uſque temporibus mihi ſeſe obtulerunt obſervatione digniſſimi, quorum primus in lictore extitit, ictu parvæ igneæ Balliſtæ, quæ vulgo Piſtola *nuncupatur, in flexura cubiti vulnerato. Hic ad Noſocomium Sancti Spiritus adductus cùm eſſet, lectoque acceptus, conſueta methodo ad diem uſque ſeptimum feliciter curatio vulneris proceſſit. Sequenti vero mane cùm ad inviſendum progrederer, quis crederet? nuntiatum mihi eſt, proxima nocte lictorem occubuiſſe. Rei novitate permotus ad Cadaver gradu facto, ut tam repentinæ mortis cauſam inveſtigarem, confeſtim novi Hæmorrhagiam inopinate obortam ex Arteria Brachiea prope venam Baſilicam diſſecta proficiſcentem illum miſerum necaſſe. In ejuſdem diſſectæ Arteriæ latere, quod magnitudine tritici acinum æquabat, adhuc hærere comperi eſcharam, quam illuc glans plumbea intulerat, & cujus ſejunctio Hæmorrhagiæ cauſam præbuerat. Eodem fere tempore Græcus Antiſtes, cui in venæ diſſectione cùm læſa fuiſſet Arteria Brachialis, vita functus eſt, nullo læſioni adhibito remedio. Poplitis Aneuryſma quandoque velut abſceſſus cultro diſſectum eſt non ſine Ægrotantis interitu. Quidam haud diſſimili laborans aneuryſmatico vitio, appoſito cauſtico, ſimul ac eſchara ſeſe disjunxit, interiit ſanguinis fluxu. Eodem fato ſuccubuit miſer alter, cui Poplitis Aneuryſma ignito ferro eſt apertum. Præter hos funeſtiſſimos curationum exitus, quos meismet oculis vidi, innumeros addere hîc poſſem, quos vel reſcivi, vel in Apologiis, ac criticis, quæ in dies evulgantur, Chirurgorum concertationibus perlegi. Huic tanto malo præſenti libello occurrere conatus ſum, & quamvis me iis præſidiis vix mediocriter inſtructum, longeque ab illa ingenii felicitate, quæ ad hoc perficiendum requiritur, abeſſe intelligo; juvit tamen periculum facere tam præclaræ*

P

lium fuerit, quemadmodum Chirurgis omnibus ſemper ipſe auctor ero, ut præſtare ſatagant.

Quum autem ego ſolam Arteriam vinculo adſtringere, non vero nervum, nec etiam venam ſuadeo, me ab æquo, rectoque diſcedere, haud quaquam puto, etſi mihi ſatis perſpectum fuerit, nonnullos eſſe, vel ſumma auctoritate pollentes viros, inter quos clariſſimus Molinellus, qui hanc venæ, nervique ab Arteria remotionem, aut nullius, aut minimi certe momenti eſſe in hac Aneuryſmatis operatione arbitrantur. Me vero a ſententia mea nullatenus abducunt præclaræ licet ipſius Molinelli circa Brachii Aneuryſmata obſervationes, quæ, niſi fallor, ad meum amplectendum potius, quam repudiandum conſilium unumquemque impellere debent. Et re quidem vera ſi intento animo Symptomata intueamur, quæ duas ab eo allatas operationes exceperunt, illa profecto graviora longe ac periculoſiora fuiſſe deprehendemus, non iis dumtaxat, quæ Cubiti a me deſcriptæ, ſed iis etiam, quæ Genu mox deſcribendæ operationi ſupervenere. Si ratio autem habeatur temporis, intra quod ægrotantes ſanitati ſunt reſtituti, inter meas, ac Molinelli obſervationes diſcrimen maximum intercedit; cùm Molinelli ægrotantes tres fere integros menſes ante ſanationem contriverint, ex meis autem, qui Brachii Aneuryſmate laborabat, vix diebus exactis triginta tribus ſanitati redditus fuerit; qui vero patiebatur Poplitis Aneuryſma, quod ſane mirabilius eſt, ſtatim atque diem attigit quinquageſimum primum, valetudinem priſtinam recuperaverit. Jam vero ſi a Nervi, Venæque vinculo repetendi non ſunt pernicioſi hujuſce operationis effectus, a ſola forſan Arteriæ conſtrictione iſtos exoriri putandum erit? Abſit profecto, ut abſurdum hoc ſtatuamus. Natura enim utrinque plures Anaſtomoſi inter ſe junctos ab Arteriæ trunco emiſiſſe ramos videtur, ut repugnante licet vinculo trunci, ſat nihilominus liber per ſurculos laterales humoribus tranſitus concederetur. Hinc immanem dolorem, ac omnimodam ſenſus, motuſque amiſſionem a nervo repetere neceſſe eſt, rationique conſentaneum eſſe videtur, non impeditum ſanguinis venoſi circuitum ad inhibendam nimiam articuli tumefactionem, arcendamque Gangrænam plurimum facere.

Me pariter nequaquam præterit, quoſdam eſſe ex Chirurgiæ Profeſſoribus, qui ſuperius Arteriæ vinculum dumtaxat præcipiant, de

inferiori nihil ſolliciti, putantes forſan in compreſſione ſatis præſidii eſſe ad profluentem ſanguinem cohibendum. At turpiter hi profecto falluntur, non ſecus ac egomet in prædicto ægrotante deceptus ſum. Sanguis enim, quem ab inferiori vinculo prodiiſſe admonebam, extra omnem dubitationis aleam ille ipſe fuit, qui per ſurculos laterales ad male revinctam delatus erat Arteriam. Equidem inficias ire non poſſum, exiguos admodum in naturali ſtatu eſſe ſurculos illos, nec ſingulos ad magnam ſanguinis copiam vehendam aptos. Quum autem complures ſint, exiguitatis vicem penſante numero, cruoris vim non ſpernendam ſuppeditabunt, quemadmodum quiſque facillimo experimento diſcere poteſt, ſi facto vinculo, confoſſoque infra illud Arteriæ trunco, ut ipſe in Brachio ſæpius expertus ſum, aquam tepidam ſiphonis ope deſuper in Arteriam injiciat; eam enim ex inflicto vulnere illico proſilientem conſpiciet. Ad hæc Aneuryſmate jam a longo tempore correpto trunco, præpeditoque per hunc libero cruoris tranſitu ab arterioſo ſanguine, per laterales ſurculos fere unice permeante, extenduntur iſti paulatim, atque incrementum ſuſcipiunt. Quapropter & numerus eorumdem, & adaucta capacitas eam inferiori ipſius trunci ſedi vim ſanguinis impertiuntur, ut pro viribus illi obſiſtendum vel inferiori vinctura ſit. Licet enim compreſſio & ipſa hæmorrhagiis adverſetur, cùm tamen faſciarum auxilio abſolvenda ſit, quemnam latet ab hac, ut optato perfungi munere valeat, laterales etiam Arterias, venasque omnes ita eſſe coanguſtandas, ut ſanguinis tranſitus præpediatur? Ex hoc enim, ni fallor, derivanda non minus eſt celeris illa oborta Gangræna, quæ noſtrum ſuſtulit Ægrotantem, quam ex ſuperiori nimis elata Arteriæ Vinctura, ob quam plures lateralium ramorum Anaſtomoſes interciderint; ideoque ad arcendam quoque Gangrænam, vel inferiori uti vinculo, neceſſarium prorſus videtur.

HISTORIA II.

Nullas igitur negligens obſervationes, quoties præſto hæ mihi adeſſent, mecumque ſedulo ea omnia reputans, quæ nuper in medium attuli, in animum induxi meum circa Poplitis Aneuryſma novum periculum facere, ſed ad illud curandum dumtaxat aggredi, in quo ſuperius enumeratæ qualitates, conditionesque reperirentur, ſicut

cum eis, eamdemque molem faciebant. Quæ omnia mihi ſatis exploratum, atque perſpectum reddere videbantur, ſpurium hoc eſſe Aneuryſma, cui denique Febris adjungebatur vehementiſſima, validique, ac præſertim procedente nocte ingraveſcentes, accedebant dolores.

Die conſtituta, præmiſſisque idoneis cautionibus, cultro tumorem ſecundum longitudinem profunde ſecui, ablatoque omni concreto ſanguine, Arteriæ lacerationem tantam offendi, ut ſuperiorem integrum ejuſdem tractum vinculo adſtringere non antea potuerim, quam mihi per ipſum femur digitis, ferroque iter aperuiſſem. Ad inferiorem autem vinciendam Arteriæ ſedem me conferens, mirabundus inveni illam expanſionis inſtar Aponeuroticæ haud ſecus Femoris oſſi adhærere, ac Aortam Vertebris aliquando adnecti conſpicimus, quod mihi impedimento fuit, quominus hanc ſecundam vincturam ſatis accurate perficerem. Laxato nihilominus torculari, nil ſanguinis ex ſuperiori vinculo effluxit, & parum ex inferiori, etſi magnam mihi moleſtiam attulerint muſculorum Arteriæ, quæ in tam longa diſſectione neceſſario præciſæ, copioſum fundebant ſanguinem; eumdem vero ſola compeſcui preſſione, non tantum, quod uniuscujusque Arteriæ vinctura præcipi, quam præſtari facilius poterat, verum etiam, quod ægri vires tam diuturnæ, tamque gravi perferendæ operationi pares futuræ non videbantur. Ingenti igitur tumoris cavo filamentis ſiccis repleto, idoneisque pulvillis inferiori vinculo admotis, affectam partem circulari faſcia obligavi, atque ita operationi finem impoſui, torculari, remiſſo licet, laxoque, attamen in ſua ſede relicto, ut illico pro re nata conſtringi poſſet. Poſtridie etſi torcular haud eſſet adſtrictum, Gangrænam articulus minitabatur irreparabilem, quæ die proximo Ægrotantem de medio ſuſtulit.

ANIMADVERSIONES.

QUUM ego eventus ita infelicis cauſas perpenderem, multa hîc ſeſe mihi objecerunt incommoda, quibus ab Aneuryſmatico Poplitis tumore ſummotis, rationi conſonum videbatur, fore, ut in illo Vinctura, eo, quem optamus, ſucceſſu expediri, ac perfici poſſet. Hinc tantum abfuit, ut ex celerrima Ægrotantis nece animo conciderim, quinimo majores ex illa mihi acceſſerunt ſtimuli, & me

multo magis ad eamdem operationem iterum inſtituendam, repentinus hic obitus inflammavit. Conſtrictionem igitur hanc proſpere ceſſuram cognovi in illo Aneuryſmate, cujus tumor a cæteris ambientibus ſejungi, atque in inſulam redigi eouſque poſſet, donec utrinque, ſuperne ſcilicet atque inferne, integra, & ſana Arteria detegeretur, quemadmodum mihi alias in Cubiti flexione contigerat; in quem finem Aneuryſmaticus tumor nec nimis vetuſtus, nec amplus nimis debebit eſſe, nullo tamen veri, nothique facto diſcrimine, quum etiam nothus eiſdem dotibus gaudere poſſit, ob cellularem membranam, quæ ſacci munere in hujuſmodi caſibus aliquandiu perbelle fungi obſervatur.

Tumoris igitur Aneuryſmatici cum Integumentis cohæſio, ob quam is non potuit uſque ad extremum utrumque ſine ſacci apertione a reliquis omnibus ſegregari, primum incommodum fuit, quod in hoc ægrotante ſe mihi objecit. Secundum detrimentum profectum eſt a nimis longa Arteriæ ruptura, quæ, longiorem partium abditarum patefactionem requirens Chirurgum ſemper plures ſecare cogit Arterias muſculares, ex quibus erumpens ſanguis, aut opus interturbat, aut ſaltem longe diuturnius id efficit, ut ſilentio prætercam, ex tam immani vulnere uberrimam Puris prolixo tempore manantem copiam ab Ægrotante difficile ferri poſſe, atque ob elatiorem, quæ neceſſario hoc in caſu fuit Arteriæ vincturam, laterales plerasque illius Anaſtomoſes interire. Valde exporrectam autem Arteriæ rupturam hoc in loco accidere poſſe ſatis oſtendit Tab. I. Fig. I. quam eo conſilio ad vivum delineandam curavi, ut vera maximæ a me umquam deprehenſæ lacerationis menſura unicuique innoteſceret. Tertium obſtaculum, quod mihi ſe oppoſuit, fuit mutua Arteriæ, oſſisque femoris conglutinatio, quæ non tantum integri ſacci a reliquis ſeceſſum omnino prohibet, ſed etiam oſſis denudationem, ejuſdemque cariem nonnunquam infert, quo fit, ut Aneuryſmatis Chirurgia longe diuturnior, difficilior, minusque tuta reddatur. Quartum impedimentum in ejuſmodi caſibus a profunditate exoritur, ubi vincienda Arteria reconditur, cum ob tumoris molem, tum ob majorem Genu ipſius inflexionem, atque rigiditatem a tolerato dolore natam. Hinc enim curviſſimæ licet acus tranſvectio, ideoque Arteriæ vinctura perquam difficilis, & incommoda efficitur, eoque magis ſi nervum, venamque a vinculo amovere, ac liberare conſi-

exercitationis, ſi forte alios rebus omnibus inſtructiores commovere, & ad eamdem ſuſpiciendam cogitationem poſſim excitare.

Videre hîc igitur poteris, candide Lector, ſi vel ſaltem curioſitate ad perlegendum opus acceſſeris, quid de Poplitis, Inguinis, ac Femoris ſub ligamento Falloppiano, ſuræ, manus, pedis, aliiſque compluribus Aneuryſmatibus internis obſervare mihi opportune contigerit, quæ cuncta ad faciliorem captum cum ſchemate data opera junxi. Ne autem quid deeſſet, quod locupletare, ac quodammodo perficere hoc opus poſſet, diſſertationem de Aneuryſmatibus in Brachio, ac femore jam primum a me anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto editam hîc adjungendam cenſui. Hac uſus ſum opportunitate, ut Œſophagotomiæ operationem tranſcriberem, quam in Gallica editione tomi tertii Regiæ Chirurgiæ Pariſienſis Academiæ impreſſam fortaſſe perlegeris. Demum tres in calce operis non inutiles obſervationes ſubjunxi, quas, ſpero, fore non moleſtas. Nec me arguas, ſi Practicorum ſelectiſſimas, quæ ſparſim hinc inde habemus, de Aneuryſmatibus lucubrationes, præter unam Joannis Trulli Verulani, atque in Urbe Chirurgi, Lithotomique præclariſſimi a Marco Aurelio Severino in ſuo libro de efficaci Medicina, & Chirurgia relatam, quam, mutato ne quidem verbo, tranſcribendam hîc putavi, huc non attexerim. Quantum enim abeſt, ut clariſſimorum Virorum opera, famam, atque æſtimationem ſilentio hocce meo deſpexiſſe videri velim; tantum ex adverſo ab inſtituti mei ratione devium eſſet, atque alienum eorum ſcripta hîc exhibere, cùm eam ab initio mihi dixerim legem, ut mea tibi offerrem dumtaxat, non aliena. Vale.

GUATTANI
DE
POPLITIS ANEURYSMATIBUS.

FELIX, fauſtusque exitus, quem olim habuit Vinctura Aneuryſmatis, a me jampridem in Cubiti flexione inſtituta, animum mihi, alacritatemque addidit ad eamdem etiam in Poplite ſuſcipiendam, eoque magis, quod hæc, & illa occurrens frequentius, & majoribus ſcatens difficultatibus, periculisque, ſi optatum nacta fuerit eventum, longe majorem humano generi utilitatem ſit allatura. Pluribus igitur, diverſisque antea factis in Cadaveribus experimentis, exploratisque in anteceſſum lateralium arterioſorum Vaſorum Anaſtomoſibus, a celeberrimo Winslowio jam plenè, cumulatèque deſcriptis, quas in Genu eaſdem propemodum, atque in Brachio deprehendi, & quas adverſus hunc ipſum morbum, veluti propugnaculum, ac munimentum a natura conditas arbitror, in Viro ſanguine mediocriter prædito, & quadrageſimum quintum ætatis annum agente, Aneuryſmatis in Poplite oborti operationem aggreſſus ſum.

HISTORIA I.

ANEURYSMATICUS tumor a medio femore ad ſuram mediam porrigebatur, ac in altum ſe attollens, valdeque utrinque ad latera expanſus nullo amplius agitari Arteriæ pulſu valebat, & licet non magna eſſet rubicunda alteratio Integumentorum, hæc tamen a ſubjectis muſculis deduci, divellique minime poterant, ſed unam

revera III. kalendas Majas anno 1756 mihi adamuſſim contigit in Sancti Spiritus Noſocomio, ubi meæ curæ commiſſum reperi Veſpillonem quemdam nomine Andream Boturrium Romanum. Is vigeſimum quintum agebat adhuc ætatis annum, temperamento præditus moderate ſanguineo, corporis habitu gracili, pluribusque Venereæ luis cicatricibus inquinato. Ad opus igitur in eo me conferens, illud ſuſpiciebam tanto libentius, quod Æger idipſum avide expetere videbatur. Felix autem hujusce operationis eventus, ſimulque deſiderium, quo ego flagrabam, ut ad utilitatem publicam, artisque incrementum hæc pariter operatio inter alias cooptaretur, ſedemque in Chirurgia ſtabilem inveniret, mihi in cauſa fuerunt, cur integram litteris illius hiſtoriam mandaverim, eoque magis, quod a nemine, ſi Joannem Trullum, cujus quoque hiſtoriam inferius integram conſulto deſcripſi, ac Saviardum exceperis, id hactenus fuiſſe factum cognoſcerem. Cùm vero Saviardi Aneuryſma ſupra Femoris medietatem collocaretur, vulneri originem deberet, & vel ipſe anceps hæreret auctor, Truncum ne cruralis Arteriæ, an præcipuum hujusce ramum occupaviſſet, a meo Poplitis Aneuryſmate longe extitiſſe diverſum putandum eſt. Et revera probabilius videtur, Arteriæ cruralis ramum, potius quam truncum, illic fuiſſe Aneuryſmate affectum, tum quod præcipua hoc in loco occurrat arterioſa propago, tum etiam quod ita elatum cruralis Arteriæ vinculum ſanationi officere debuiſſet, aut ſaltem ejuſmodi incommoda procreare, quorum Saviardus in ſua relatione minime oblitus eſſet.

Mihi igitur Ægrotans ſignificavit, hunc morbum originem in eo duxiſſe a parvis doloribus in ipſo Poplite exortis, quos acerbiores reddi obſervaverat, dum artem exercens ſuam modo ingentia deferret pondera, modo attolleret lapides ſepulchrorum, modo ab iis cadaverum arcas extraheret; brevique temporis intervallo ſe cognoviſſe natum hoc ipſo in loco tuberculum, quod ſenſim ad amplitudinem tranſverſorum octo digitorum excrevit. Pulſatio in illo haud amplius percipiebatur; durum id erat, tactuique renitens, at figura ovali donatum, nullamque cum mobilibus adhuc integumentis, aut cum Femoris oſſe cohæſionem præ ſe ferebat; dolores tamen movebat Ægrotanti valde crudeles, quos etiam valida febris, atque ingens totius articuli intumeſcentia comitabantur. Opportunum igitur exiſtimavi initium facere a mitigandis doloribus, lenienda febri, ac totius articuli,

articuli, tumoriſque aneuryſmatici, quoad ejus fieri poſſet, imminutione. Quapropter præmiſſa ſectione venæ, eductaque idonea ſanguinis copia, vaſis cruralibus uſque ad inguen ſecundum eorum longitudinem mediocrem admovi pulvillum, quem ſatis valida vinctura firmavi. His auxiliis, nec non iterata ſæpius venæ ſectione, perfecto vitæ regimine, clyſteribusque mihi tumorem hunc adeo compeſcere datum eſt, ut III. Nonas Majas operationi manus admovere decreverim, quam ſequenti ratione exſecutus ſum.

Translato Ægrotantis cubili in medium Conclave Chirurgicorum morborum, quemadmodum ſemper in more poſitum mihi fuit, quo Adoleſcentes Chirurgi melius videre, majoremque inde fructum capere poſſent, dictum Ægrotum in illo pronum conſtitui, ac idoneorum Miniſtrorum auxilio, femore, crureque firmatis, ad ſanguinis curſum in crurali Arteria inhibendum Petiti torcular ſuperiori femoris ſedi curioſe admovi. Hinc ipſius genu articulo, quam a morbo fuerat, ulterius flexo, ſuper integumenta, quæ oblique ſuſtuleram, incurva novacula inciſionem decem fere digitos longam in directum peregi, una cum tegumentis adipem etiam ſejungens, donec inſulatum redderem, quantum in me fuit, aneuryſmaticum Saccum, qui adamuſſim ovi anſerini figuram, ac magnitudinem referebat, per cujus medium cum iſchiadicum majorem nervum decurrere animadverterem, omnem adhibui curam, ut illum ſimul cum Vena crurali intactum, atque inoffenſum relinquerem. Eodem poſtea tumore duce, incurvæ novaculæ, digitorumque auxilio, iter mihi ad ipſius ſacci extrema adaperui, quo integram utrobique arteriam detegerem: tum dicatam huic operationi, inſtructamque quadruplici cerato filo recurvam acum ſub ea tranſmittens, primam, ſuperioremque Arteriæ eidem Vincturam prope tumorem injeci. Eadem methodo, eisdemque legibus ad inferiorem inſtituendam Vincturam memet deinceps contuli, ſed ut illam perficerem, opus mihi fuit Muſculi Gaſterocnemii initia deducere, Solariſque muſculi plurimas deſtruere fibras, eo ſemper conſilio, ut evitatis cæteris, Arteriam ſolam vincirem, quemadmodum mihi, Supremo favente Numine, revera contigit.

Refecto deinde ſecundum longitudinem Aneuryſmatis ſacco, ejusque cavo ſanguineis grumis, quibus ſcatebat, depleto, ac potiſſimum polypoſis quibuſdam tenaciter ſibi adhærentibus ſtratis,

Torcular paulatim laxari juſſi, atque ab utroque vinculo, ne minimâ quidem ſanguinis gutta exeunte, illud iterum modice adſtringi volui, quo cohiberetur arterioſi ſanguinis impetus non ſolum in ſuperiorem Vincturam, ſed in laterales etiam Arterias, a quibus, tantam ejuſdem ſanguinis vim amittere illico nequeuntibus, tumere pars, & non parum hinc excandeſcere, atque immani dolore corripi poſſet. Ingenti autem ipſius Sacci cavo tenuiſſimis, molliſſimisque lineamentis repleto, & membro idoneis pulvinulis, linteisque defenſivo aliquo madidis communito, illud faſcia in orbes ducta modice adſtrinxi, ad Torcular uſque cum ea perveniens, ut liceret mihi leniter comprimere valde extenſum quemdam pulvillum, quem ideo cruralium Vaſorum funiculo juxta illius longitudinem oppoſueram, quo nimirum ſanguinis curſum eo melius, tutiusque ibidem cohibere poſſem, ac retardare. Cautio mihi pariter fuit, ne faſciæ orbes potiſſimum circa Genu nimium conſtringerentur, ut lateralium Arteriarum, Venarumque compreſſionem effugerem, etſi oſſis ipſius inæqualitates, atque tubercula propagines iſtas quodammodo tueantur. Reſupinato denique Ægrotante, crureque affecto ita collocato, accommodatoque, ut ſubjecto pulvinari Poples incumberet, mandavi, ut Cubile ſuæ ſedi priſtinæ redderetur.

Nihil etiam de ratione alendi Ægrotantes hujuſmodi, quod in omnibus iis, qui magnis quibuscumque operationibus patuerunt, una mihi, eademque ſervata, ac ſemper ſervanda eſſe videatur, eaque mea quidem ſententia poſita ſit in exhibenda quovis trihorio Patera juſculi, modo ſimplicis, modo ex vitulina, gallinaceaque carne confecti, & ad ſummum tenuiſſimis aliquot albiſſimi panis cruſtulis ſaturati.

Quum autem ad veſperum Ægrotantem febri correptum offenderem, idoneam ei detrahi curavi ſanguinis copiam, a qua mirifice remittente febri, ille noctem exegit non admodum irrequietam, vel hoc potiſſimum nomine, quod partis affectæ dolor haud maximus extitiſſet. At mane diei proximi tumefactionem inveni totius Articuli longe adauctam, digitosque pedis nonnihil frigidos. Quibus incommodis ut obviam irem, Torcular paululum laxavi, atque articulo linteamina impoſui vulneraria, vinique ſpiritu roborata decoctione madentia. Nulla enim, ut mea fert opinio, utiliori ratione amovetur neceſſitas, quæ aliter ſæpe incideret, adimendi Vincturam

eo maxime, quia ſit vel adſtricta nimis, vel nimis laxa, quam Torcular adhibendo, quod facili negotio pro re nata laxari, adſtringique poteſt.

Horis vero quarti diei antemeridianis cum ſuperpoſitum apparatum ubique eſſe mobilem animadverterem, illum auferre tandem decrevi, quo facto incredibili voluptate perfuſus ſum, dum maximum hocce vulnus oculis perluſtrarem, eo quod viam optimam videbatur arripuiſſe ad ſuppurationem, cui morem ut gererem, meque adjutorem etiam præberem, filamentorum ope ei blandum impoſui, vulnerariumque digeſtivum ex Veneta Terebinthina, ovorum vitellis, hypericique oleo, linteisque decocto Vulnerario madentibus, ac faſcia, quam continentem vocant, adfectam partem obduxi.

Hac methodo feliciter perveni ad undecimum diem, quo inferius vinculum ſua ſponte cecidit, eamdemque ultra proferens die duodecima etiam ſuperiori vinculo una cum putrefacto ſacco elabente, ulcus optimè abſterſum, emundatumque redditum eſt. Illud autem decem tranſverſos digitos longum fere omnem a decidente ſacco relictam latitudinem conſervabat, & ob ſuperadditam labrorum tumefactionem, majori etiam donatum erat profunditate, quam illa fuerat, quæ Saccum aneuryſmaticum coërcebat. Uno verbo ulcus hoc ejuſmodi erat, ut ad illius adſpectum omnes horrore perfunderentur.

Benigna perſeverante, ac ſuaviſſima digeſtione, quæ meo quidem judicio verum ſpecificum eſt, quod cito, tutoque morbos depellit, pedetentim ad diem decimum ſeptimum ventum eſt, quo nullo amplius effluente ſanguine Torcular omnino removi, atque ut vires valde abundanti huic digeſtioni ſufficerent (quod in diuturnis, magnamque puris copiam fundentibus morbis perpetuo ſpectandum eſt), jam alendo Ægrotanti aliquanto magis indulſeram; at nihilominus juſculi vulnerarii Pateram ei præbibendam quotidie exhibui.

Inter feliciſſimum Ulceris hujusce decurſum ſub noctem diei ſecundi & vigeſimi Ægrotans inopinato graviſſima correptus eſt ſpirandi difficultate, quæ aliquot momentis perſtitit, eam illi afferens anhelationem, anxietatemque, ut ne verbum quidem enunciare, ac eloqui poſſet; atque inſuper albeſcente jam proximo die, quædam cum pulſuum, tum ulceris alteratio nobis in conſpectum ſe dedit, quibus incommodis opportuna adhibita curatione ſublatis, Æger ipſe

confeſſus eſt, illam ortum duxiſſe a nimia comeſtione panis, rerumque aliarum, quæ ſibi inter manus inciderant.

Eamque hanc methodum, quam inſtitueram, conſtanter tenens, ubi jam ulceris parietes, totusque articulus omni carebant tumefactione, licet a lateribus effluentis puris optima facies eſſet, atque conditio, ab ulceris tamen fundo limpidum, tenuemque prodire humorem cognovi, & eum quidem ita copioſum, ut direćte officeret ſanationi. Quapropter, cum illi pro viribus obſiſtendum, repugnandumque eſſe arbitrarer, inutilia prorſus balſamica, atque exſiccantia deprehendens medicamenta; & Ruyſchianæ Centuriæ quadrageſimam primam obſervationem minime oblitus, animum ad compreſſionem adjeci, quam ſiccis, mollibusque filamentis a lateralibus pulvillis, conjungenteque faſcia firmatis præſtiti, ex qua compreſſione ſecundum, fauſtumque eventum adeptus, nequaquam eam removere decrevi, niſi duobus, vel tribus, quatuorve diebus exaćtis, pro majori ſcilicet, minorive liquoris copia, quæ ex ulcere proſiliret.

Hisce cautionibus non ſolum prædićti liquoris fluxum penitus deſiiſſe lætus agnovi, ſed totum pariter ulceris fundum jam repletum inveni, plagamque æquabilem ovali figura præditam, atque ita coanguſtatam deprehendi, ut VII kalendas Julias cicatrice parti prorſus obdućta e Noſocomio Æger egredi poſtulaverit, a quo etſi claudicans, attamen neque baculo, neque alio fulcimento adjutus, ſed ſuis tantum pedibus inſiſtens domum conceſſit. Exinde vero officii ſui partes optime ſemper implevit, ſuoque adhuc munere præclare fungitur, ac nullum aliud reliquum illi incommodum eſt, præter mediocrem claudicationem.

ANIMADVERSIONES.

Felici, fauſtoque hujusce operationis eventu, quem mihi propoſueram, me attigiſſe finem exiſtimo, in ſpem arrećtus hac eadem duce, vel illas tandem aliquando inveniendas eſſe medendi vias, quæ iis pariter caſibus opitulentur, in quibus ego operationem hanc etiamnum valde ancipitem eſſe, ſatis ſuperque perſpećtum habeo; interea temporis ſat mihi fuerit quæſtionem hanc ſolvendam proponere; num videlicet in iis Poplitis Aneuryſmatibus, quæ requiſitas

non poſſident qualitates, utilius futurum ſit Femoris amputationem ſuſcipere, an Ægrotantem ſolis naturæ viribus credere, cum exempla non deſint Aneuryſmatum, quæ ſine ullo Chirurgico auxilio ſenſim fuere ſua ſponte in priſtinum reſtituta, atque ipſemet tres hujuſmodi hiſtorias in medium proferre poſſim.

HISTORIA III.

PRIMA hominem quemdam reſpicit, cui celeberrimus meus Anteceſſor Petrus Ciaſconus ſubeundam obtulerat amputationem; eam vero ille reſpuens a Noſocomio diſceſſerat. Is autem cùm annis deinceps viginti elapſis ad cognitionem meam deveniſſet, affectam ejuſdem partem videre, ac diligenter ſcrutari volui, ſed illum jam ſenem factum, atque ab Aneuryſmate perfectè ſanum deprehendi, nullam præterea reperiens in ipſo Poplite cicatricem, quæ prægreſſam in eo ruptionem, ſuppurationemque monſtraret.

HISTORIA IV.

SECUNDA virum exhibet, qui ſuo vitæ inſtituto plauſtris regendis ſe addixerat. Huic autem cùm Poplitis Aneuryſmate correptus eſſet, Chirurgus de abſceſſu dumtaxat cogitans, acuto illud inſtrumento confodit, ſed errorem ſuum odoratus, valide cohibente, comprimenteque faſcia, exeuntem ſanguinem illico compeſcere ſtuduit. Verumtamen paucis exactis diebus inchoatam reperit ſuppurationem, cui pro viribus ſuppetias ferens ex animi ſui ſententia rem expedivit. Ægrotans enim priſtinæ valetudini jam optime reſtitutus ad vetus ſuum miniſterium ſeſe iterum contulit, ac deinceps integrum quinquennium eo functus eſt, quo elapſo in febrem implicitus deceſſit. Noſocomii adoleſcens Chirurgiæ ſtudioſiſſimus, eorum, quæ acciderant, pulchre gnarus, præteritique temporis memoriam repetens, Poplitem ſolus diſſecuit, ac Arteriam talem invenit, qualis Fig. II. Tab. I. exhibetur, eam enim ad veritatem expreſſam delineandam curavi. Hìc ſane opportuniſſima ſe obtulerat occaſio oſtendendi lateralium Arteriarum augmentum, quemadmodum in ſua elegantiſſima Tabula accurate præſtitit accuratiſſimus Molinellus, atque eam ob cauſam ego ſemper præ oculis habeo Militem quemdam, cujus jam Aneuryſma, & ipſum in Poplite perſanatum, tradere aggredior.

HISTORIA V.

TERTIA igitur hiſtoria Militem continet, qui Februario menſe anno 1746, hoc eſt antequam Roma Pariſios verſus ipſe diſcederem, ex Arce S. Angeli ad S. Spiritus Noſocomium delatus eſt, ut illi vincirem formidabile Poplitis Aneuryſma, a quo (tanta doloris erat immanitas) ad ultimam pene deſperationem compulſus fuerat. Sed quoniam illud æquali, & majori forſan amplitudine donatum offendi, quàm alterum fuerat a me primò deſcriptum, a quo ſatis jam eruditus eram, ei Femoris amputationem objeci. Hanc autem ille perpeti, & perferre renuens e Noſocomio domum ſuam remigravit, atque ego in Galliam profectus ſum. Biennio poſt Romam reverſus, ac illius notitiam exquirens, mihi eum vitæ adhuc eſſe participem nunciatum eſt, ac præterea, quoniam claudicaret, ſcipioni innixum incedere; at nihilominus per varia oppidula deambulare, ut tenues quaſdam, atque ad oblectamentum factas merces diſtraheret. Hunc igitur tandem aliquando aſſecutus, in eo ſatis amplum etiamdum tumorem inveni, quod univerſum Poplitem adimpleret, atque inde etiam non parum extuberaret, aſt nullo amplius dolore affectum, nativoque colore præditum, durum tamen, atque tactioni quammaxime renitentem. Sed Æger interea loci ſuas priſtinas amiſſas vires non modice recreaverat. Is vero deinceps, complures annos in eodem opificio occupatus, totam fere Ditionem Eccleſiaſticam peragravit, Romamque inde redux memet convenit, tamquam omnia mihi, quæ ſibi obtigerant, enarraturus, meoque uſurus conſilio. Narravit igitur in quodam Eccleſiaſticæ Ditionis oppido ſibi tumorem findi cœpiſſe, puroque effluente ſanguine, poſt hebdomadas aliquot, illi cicatricem obductam eſſe. Verum non minimam priſtinæ duritiei partem in eo relictam; dumque is ad conſueta munia rediret, tumorem duobus in locis iterum adapertum, ſolumque pariter ex illis ſanguinem effluxiſſe; hos tamen hiatus occluſos fuiſſe modo, modo autem reſeratos dicebat, donec omni abſumpta inflatione integram affecta pars cicatricem duxiſſet, ſola ſuperſtite articuli rigiditate, a qua claudus quidem efficiebatur, ſed ita tamen, ut ſine baculo incederet. Paucis vero ab hinc annis, purulenta oborta apertura, receſſum peperit fiſtuloſum, cum oſſis carie conjunctum, atque hoc in ſtatu ille in præſens vitam traducit.

Quod attinet ad amputationem, quatuor huc uſque fuerunt amputationes Femoris, quarum data occaſione ingentium Poplitis Aneuryſmatum ego periculum facere non dubitavi, ſed omnes infelicem exitum habuere, licet temperamentum, ætas, ſatisque validæ ægrotantium vires mihi omnia fauſta pollicerentur. Ex quatuor hisce ægrotantibus duo deceſſerunt, etiamſi optime ſe haberet ulcus, ſuperveniente die ſeptima ſupra decimam uni, alteri verò die ſeptima, atque vigeſima inopinato, funeſtiſſimoque ſymptomate Convulſionis, quæ ab inferiori, ut jugiter conſuevit, mandibula initium capiens, & ad collum deinde, ad dorſum, ad pectus, univerſumque truncum porrecta, Ægrotantes hosce, ſpiritu intercluſo, peremit.

Duos reliquos interfecit aliud æque mortiferum, ac frequentiſſimum ſymptoma, nimirum Hæmorrhagia. Hæc enim nocte operationi ſuccedente, qua febris ut plurimum excandeſcere ſolet, utrosque invadens, illos quidem poſtea dimiſit; ſed nocte proxima iterum eosdem adorta ita illorum vires attrivit, ut, exeunte die tertio, animam uterque exhalaverit. Hîc autem mihi prætereundum non eſt, me in curatione Ægrotantium iſtorum omnimodam cautionem, ac diligentiam adhibuiſſe; cùm enim in priori Ægrotante hæmorrhagiam ſequenti mane quieviſſe agnoſcerem, avellere pertimeſcens eos grumos ſanguinis, quos abſciſſis vaſis innaſci, eademque occludere notum eſt, a reſolvendo apparatu chirurgico mihi eſſe temperandum exiſtimavi; ſed ob revertentem lethalem hæmorrhagiam, heu nimium deceptus, in altero Ægroto apparatum hunc ſine ulla hæſitatione protinus abſtuli. Verum mirifice obſtupui, cùm firmas, immobileſque ſingulas vaſorum cernens Vincturas, ac ne minimam quidem inde emanantem cruoris guttam conſpiciens, nil aliud mihi reliquum eſſe cognovi, quàm modo ademptum priſtinum apparatum inſtaurare. Quisnam ex recenti adhibita cautela ſibi ſatis perſpectum eſſe non judicaſſet, a reverſuro hæmorrhagiæ fatali ſymptomate ægrotantem hunc immunem futurum? Id ego pariter pro certo habebam; verumtamen longe mea me fefellit opinio; nam tertio die, cùm jam enormi prægreſſa nocte ſanguinis fluxu correptus eſſet, ejuſdem viribus penitus concidentibus, etiam ipſe non ſecus ac alteri obtigerat, Deo, naturæque conceſſit.

ANIMADVERSIONES.

QUUM iſtæ quatuor amputationes omnes infeliciter ceſſerint, e re videretur eſſe plurimas illis, graviſſimasque profecto animadverſiones ſubtexere, quod equidem libenter ipſe præſtarem, niſi intra anguſtos breviſſimæ diſſertationis limites orationem meam cohibere coactus eſſem; ideoque hoc unum dumtaxat in præſens conſiderabo, a tribus nimirum fontibus eſſe id potiſſime repetendum. Et primo quidem ab interioribus illis cauſis, quæ pepererunt Aneuryſma, inter quas, ut mihi videtur, non infimum locum obtinet Venerea lues, cujus ego non obſcura in hujuſmodi ægrotantibus veſtigia ſemper offendi. Secundo a tempore, quo Femoris amputatio inſtituitur, & quod jugiter illud eſt, cui jam ad menſes complures, aut etiam annos, ſine ulla fere intermiſſione productæ, moleſtiſſimæ proceſſerunt vigiliæ, animi affectiones, & atrociſſimi cum febre ſæpius conjuncti, copulatique dolores. Tertio denique a fere omnimoda in humoribus circumeuntibus fibroſæ partis carentia, in illis exorta, tum quod ob plurimas, easque neceſſarias venæ ſectiones pene omnis abſumpta, ac e corpore educta fuerit fibroſa pars, tum etiam quod, quidquid ejus reliquum eſt, ad duri Aneuryſmatici tumoris polipoſam concretionem faciendam, augendamque inſumatur.

Ex paucis hiſce intelligere expeditiſſimum eſt, nervoſum ſyſtema per ſeipſum, & abſque eo quod reſecti Femoris ulcus in cauſa ſit, magis irritabile evadere, ac longe ſenſibilius eodem tempore reddi poſſe, gignendæque opportuniſſimum convulſioni, a qua duo priores Ægrotantes occubuerunt. Nec magis arduum videtur, cauſam eam aſſequi, unde mortifera, atque ex facili inopinato recurrens hæmorrhagia deducenda ſit: Hæc enim, ni fallor, poſita eſt in illa ſanguinis qualitate, qua ſemper gaudent Ægrotantes ejuſmodi, quando ſe Chirurgiæ imperio, & poteſtati ſubjiciunt. Sanguis enim ipſorum ita diſſolutus eſt, ac tenuis ita, aquoſusque, ut a valido febris invadentis impetu exagitatus, nullo negotio per unumquemque vel anguſtiſſimum præciſum Vaſculum exilire, frequentesque, & irreparabiles hæmorrhagias efficere valeat, quod etiam celebratiſſimus Sharpius in eximio Chirurgicarum operationum Tractatu Gallicæ editionis pag. 19 ſupra centeſimam ſapienter admonet.

Ex quatuor tandem amputationibus hiſce ſatis efficere poſſe videor, eas

eas præſidium illud non eſſe, a quo merito adduci in ſpem valeamus, illius ope nos ægrotantes ejuſmodi allevaturos. Cùm igitur jam oſtenderim, Vincturam fugiendam eſſe, quotiescumque Poplitis Aneuryſma, quas nuper attuli, conditiones omnes non poſſidet; cumque a me demonſtratum pariter fuerit, ſoli naturæ creditos quoſdam, ſecundæ fuiſſe valetudini redditos, rationi conſentaneum videtur eſſe, ut in hujuſmodi caſibus, qui Vincturæ opportuni nequaquam ſunt, nulla tentetur Femoris amputatio, verum ægroti ſolis naturæ viribus relinquantur.

ALIÆ ANIMADVERSIONES.

SED conſiderationes, inquiſitionesque meæ non hîc ſibi finem impoſuerunt. Has enim proferre uſque eo ſtudui, quoad diverſi Aneuryſmatici caſus memet perducere potuiſſent ad Chirurgiam in hoc pernicioſo corporis affectu illuſtrandam, & ad meum una inſtruendum animum, quem unicè componere volui ad utilitatem Ægrorum hoc decumbentium morbo, in quo tamquam plane inſanabili ars Medica, atque Chirurgica curationem omnem abjecit, unique Prognoſi acquievit.

Multa fuerunt tentamina, atque pericula, quæ meæ ſeſe menti obtulere varietatem ſpectantia Aneuryſmatum, ex quibus alia diverſam ab aliis naturam obtinent, nec omnia uno, eodemque ex loco efflorescunt. Quum vero ea potiſſimum Aneuryſmata inſpicerem, quæ in articulis oboriuntur, in ſuſpicionem adductus ſum, quiete cubilis, ac extenuatione totius corporis, nec non ſimul cohibendo ſanguinis curſum in Arteria ad affectum locum tendente, ac denique linteorum beneficio ipſummet gradatim comprimendo tumorem aneuryſmaticum, fieri poſſe, ut non ſolum illius augmentum prohiberetur, ſed tractu temporis paulatim in ſerum ſua ſponte converſo, & ad permeandum idoneo reddito ſanguineo grumo, ipſius quoque tùmoris omnimoda reſolutio tandem aliquando contingeret.

Vinctura methodica, quæ in dies magis, magisque affectam partem comprimeret, unicum mihi videbatur eſſe præſidium, quod ad allatas omnes indicationes implendas valere poſſet: Sed quoniam in ea facienda complura ſe mihi objiciebant impedimenta, quæ a me felici ejusdem ſucceſſui putabantur adverſa; ego in ancipiti

hærebam, eſſetne mihi ab illa jugiter abſtinendum, an aliquando executioni illa mihi mandanda foret. Verumtamen ut ad eam ſuſcipiendam, perficiendamque excitarer, anno 1757, ſuſpenſo, incertoque pendenti mihi auſpicato ſe obtulit Emin. Cardinalis Herbæ, in ſancti Spiritus Noſocomio tunc Generalis Magiſtri, vulgo Commendatoris, Auriga, qui non longe a ligamento Fallopii in cruralis Arteriæ initio ſpurium gerebat Aneuryſma, quod pulſatione præditum erat, ingentisque pomi molem æquabat, & de quo fideliſſime hiſtoriam ſuo loco tradam. Quum igitur hoc in caſu, ſi non ad ſanandum illud, ſaltem àd cohibendum illius velociſſimum augmentum nullum mihi ſuppeteret auxilium cita vinctura opportunius, eamdem ſine ulla dubitatione ſtatim aggreſſus ſum.

Hujusce vincturæ felix fauſtusque ſucceſſus, & documenta, quæ pro Arteriæ abolitione adeptus jam fueram non ſolum ex infradeſcriptis obſervationibus, potiſſimumque ex illa Fig. II. Tab I. ſed etiam ex alio Inguinis animadverſione digniſſimo Aneuryſmate, quod anno 1762 optime perſanavi, prius aperitioni, dein comprimente vinctura, quæ tunc in uſum vocata unum ab animo repulit ex præcipuis obſtaculis, quæ timueram, quemadmodum ex illius hiſtoria patebit, quam deinceps quoque narrabo; hæc inquam incitamento mihi fuerunt, ut etiam in Poplite, prima quaque data occaſione, vincturam hanc me fore inſtituturum decernerem.

HISTORIA VI.

FREQUENS hujusce morbi procreatio effecit, ut circa menſis Auguſti finem anno 1765 deferretur ad ſancti Spiritus Noſocomium, ac numero II. Noſocomioli collocaretur, inter Ægrotantes meæ curationi creditos, Antonius Valena, qui Bajuli munere fungebatur. Hic igitur ſanguineo pinguique donatus temperamento, & quadrageſimum agens ætatis annum, ſpurio Poplitis affectus erat Aneuryſmate, quod magnitudinem, & figuram habebat ingentis ovi anſerini, quodque durum, tactuique in qualibet ſui ſede renitens, febri, dolore, valido pulſu, ac cruris, pedisque intumeſcentia ſimul afficiebatur.

Hoc in ſtatu cùm membri tumefactio acceſſiſſet, haud opportunum duxi ſuſcipere, quod ſtatueram, priusquam ſymptomatum imminutioni vacaſſem, quòd pertimeſcerem, ne male cederet operatio,

Articulusque gangrænæ periculo objiceretur, ideoque decrevi, ut Æger in lecto quietus aliquandiu maneret, ut rigida uteretur diæta, utque aliquot ſanguinis miſſiones antea perferret.

Hæc providentia adeo utilis fuit, ut non tantum ab incremento Aneuryſma ceſſaverit, verum etiam, vertente Septembris menſe, illius quoque dolor penitus evanuerit, ac ſenſibiliter pulſus magnitudo aliquantulum, crurisque, ac pedis intumeſcentia non parum ſane remiſerint. Quum autem nulla mihi juſta ſuppeteret excuſatio, quominus Pontifici Maximo in ſua ruſticatione comes adeſſem, opportunum exiſtimavi, hoc Aneuryſma ita favorabiliter conſtitutum relinquere ad meum uſque reditum, qui contigit VII kalendas Novembris. Poſtquam igitur Romam reverſus ſum, quum tumorem quidem in eodem ſtatu inveniſſem, ſed omnem fere deletam eſſe cruris, pedisque tumefactionem cognoſcerem, in animum induxi meum ad prædictam faſciarum compreſſionem illico accedere, quæ ſequentem in modum peracta fuit.

Adhibitis prius ad dies aliquot nonnullis linteis poſca identidem madefactis, idoneo linamento obtegere incepi univerſam tumoris molem, duosque oblongos pulvillos in centro tumoris ita invicem decuſſavi, ut ſuperius utriusque extremum in ſuperiori, inferius autem in inferiori ſede ipſum genu complecteretur, alioque oblongo pulvillo, & eo ſimiliter poſca madido juxta cruralis Arteriæ longitudinem ad Inguen uſque protento; madefeci quoque omnia lintea, quibus totam genu periferiam, totiusque femoris extenſionem obduxeram. Valida deinde, longaque faſcia, tres digitos, nec amplius lata, uſus ſum, primoque ipſius gyro ſuper tumoris centrum incepto, tam infra, quàm ſupra illud, ita faſciam trajeci, quemadmodum fieri ſolet, quando hic Articulus vinciendus eſt, eamque toties per tumorem ipſum circumduxi, quoties opus fuit, ut is a Vinctura opportune claudi, & æqualiter comprimi quoque poſſet. Hanc ideo conſtrictionem per femoris longitudinem ad Inguen uſque ſum proſecutus eadem methodo, & ad eam tutiorem reddendam, nonniſi facto prius circa corpus duplici gyro, illi finem impoſui. Cautio potiſſima, qua ſum uſus, ea fuit, ut ſaltem prima vice partem non nimium conſtringerem, atque ad æqualem illius compreſſionem obtinendam curavi diligentiſſimè, ut quilibet inſtituendus faſciæ circuitus præcedentem jam peractum circuitum aliquanto magis contegeret,

quàm faſciæ illius dimidia latitudo fuiſſet, quod ſane in quacunque occaſione chirurgica, ubi hæcce ſe nobis offeret indicatio, perpetuò faciendum eſt.

Hisce peractis, Ægrotanti præſcripſi ſufficientem ſanguinis miſſionem, illique auctor fui, ut rigida uteretur diæta, ut hilaritate animum demulceret, ac præſertim, ut in omnimoda quiete affectum Articulum conſervaret; tandemque præcepi, ut ſuper tumorem, ita faſcia obvolutum, ſpiritus vini ex alto demitteretur. Hanc autem ligaturam ego tamdiu intactam reliqui, quoad ſuo fungi videbatur officio. Solet enim, ſi probe confecta fuerit, ad octodecim ſaltem, aut etiam viginti dies perdurare.

Ubi autem eam removere coactus ſum, has adhibui cautiones. In eadem ſcilicet inſtauranda, ſemper curabam, ut illa fieret aliquanto arctior ea, quæ proximè facta eſſet. Moderatam præterea venæ ſectionem inſtitui, potiſſimùm vero, quotiescumque aut crus, aut pes vel minimum intumeſcerent, quæ venæ ſectio me liberabat ut plurimum a renovanda vinctura, ſi ea forte nonnihil ſtrictior fuiſſet, quàm Ægrotanti expediret. Ad pulvillos denique, ac lintea madefacienda poſca, non vini ſpiritu utebar, idque eo conſilio, ut nimiam prohiberem cutis incaleſcentiam, quæ ſuperveniens curationis progreſſum non parum remorari potuiſſet.

Hac uſus patientia, methodique aſſiduitate tumorem, etſi duritiem, ac pulſum is jugiter conſervabat, magis magisque in dies decreſcere lætus vidi, atque ita quidem, ut, a primo die compreſſionis ſubducto calculo, tribus adamuſſim exactis menſibus Ægrotantem perfectæ ſanitati reſtitutum a Noſocomio diſcedere ſumma animi voluptate conſpexerim; ut libentiſſime quoque conſpexerunt Collegæ mei, cæterique ſtudioſi Adoleſcentes, qui ibidem Chirurgiæ operam navant. Etenim nihil illi in diſruptæ Arteriæ ſede reliquum fuit, præter calloſitatem quamdam, quæ fabæ grandioris vix magnitudinem adæquabat. Et licet ſtatim fere atque e Noſocomio digreſſus eſt, ut ſibi victum compararet, Bajuli munere fungi iterum cogeretur, ſemper videlicet in motu eſſet, & pondera ingentia geſtaret, nullumque alimentorum delectum facere poſſet; exinde tamen nihil incommodi paſſus eſt, ſi quandam cruris, pedisque intumeſcentiam exceperis, a qua nulla afficiebatur moleſtia. Ad hæc, anno 1766, iis, quæ tunc temporis graſſabantur, febribus correptus quum eſſet,

quum tertiana duplici laboraret, ad Noſocomium reverſus eſt, ibidemque amiſſam valetudinem perfecte recuperavit, abſque eo quod affectus Poples, ex aucto per febrem ſanguinis motu, perturbationem ullam acceperit. Quum igitur nec ambulatio, nec labor, nec auctus a febri humorum circuitus Poplitem quadantenus exaſperaverint, rationi conſentaneum videtur omnimodam vel in Articulo ſeſe per vaſa movendi redditam humoribus libertatem fuiſſe.

HISTORIA VII.

Aliud ſimile Aneuryſma perſanatum fuit eadem methodo in quodam Damiano nothæ originis filio, & Sandapillarii, ſeu Veſpillionis artem exercente, qui quadrageſimum primum agens ætatis annum, & conſueta corporis altitudine, ſanguineoque, ac melancholico temperamento donatus, lecto affixus fuit num. V. inter Ægrotantes meæ curationi traditos, IV. Idus Auguſti, anni 1767. Aneuryſmatis volumen erat jam ſuperius deſcripto majus, vividoque dolore, febri, valido pulſu, & cruris, pedisque tumefactione ſtipatum, tactui tamen non ita durum, quum ex adverſo potius mollitiem aliquam præ ſe ferret. Quum ex eo quæreretur, a quanam cauſa ejuſmodi tumor obortus eſſet, reſpondit ex valido niſu, quem in penultima tranſactæ quadrageſimæ hebdomada Articulus fecerat. Dum enim Cathedram Sacræ Confeſſioni dicatam ab uno Eccleſiæ loco in alium transferret, ſe quamdam in Poplite perſenſiſſe veluti divulſionem, ex qua dolor emerſerat, ſed ita tolerabilis, ut conſuetos labores ad Pentecoſten uſque continuaverit. Ab hoc autem tempore ad illud, quo ad Noſocomium delatus eſt, quod tumoris naturam ignorabat, etſi augmentum illius videret, nullis, niſi ad leniendum dumtaxat dolorem, remediis quibuſdam vulgaribus uſus erat.

Primis igitur octo diebus ſat mihi fuit, Ægrotanti in lecto quieſcenti rigidam imperare diætam, eique binas ſanguinis miſſiones efficere. Quo factum eſt, ut omnia lenirentur ſymptomata, tumorque mollitiem adhuc majorem nanciſceretur. Tunc ad aliquot alios dies linteis poſca madentibus uſus ſum, dein gradum feci ad compreſſivam, attamen mediocrem Vincturam, quam pro neceſſitate iteravi, primisque Novembris diebus, quum illam iterum inſtituerem, deprehendi, pulſationem Arteriæ prorſus evanuiſſe, ac tumo-

rem omnino fluitantem fuiſſe redditum : ſed nihilominus affectam partem faſcia ligare rurſus non deſtiti eadem methodo , quam in prægreſſa obſervatione adhibueram. Atque ita feliciter ceſſit , ut Æger V. kalendas Januarias in ſtatum valetudinis priſtinum reſtitutus e Noſocomio diſceſſerit, nullum aliud incommodum ſecum ferens, præter aliquam, eamque parvam claudicationem.

ANIMADVERSIONES.

ANIMADVERTENDUM autem hîc eſt , Aneuryſma , de quo nunc loquimur , eadem curationis methodo pertractatum eumdem felicem exitum habuiſſe, quem præcedens habuerat, licet ſenſibiliter ab eo differret, non ſolum quod ab initio mollitiem aliqualem oſtenderet, longeque ante ſanationem omnino molle redditum eſſet, ſed etiam quod ante dies quinquaginta, integræ ſanationi prævios , pulſatio pariter in totum evanuiſſet, quum in priori Aneuryſmate uſque ad omnimodam ſanationem cùm durities, tum quoque pulſatio jugiter perduraſſent. Duobus vero poſt Ægrotantis e Noſocomio diſceſſum elapſis menſibus , quum illum accerſiviſſem, ut eumdem rurſus inſpicerem, nil aliud in ejus Poplite deprehendi, niſi parvam duritiem, quæ caſtaneæ figuram, ac magnitudinem habens, exoſtoſim mentiebatur, atque ipſe Damianus per paululum tunc temporis claudicabat.

HISTORIA VIII.

INTEGRO fere menſe , priusquam prædictus Damianus à Noſocomio digrederetur, commiſſum jam viderat ſuæ curationi ſimile Aneuryſma Petrus Javina , alius Noſocomii Chirurgus primarius, Collega meus, ac inter ejuſdem pii Loci recentes Alumnos omnium facile princeps. Hic autem meditabatur periculum facere operationis cruentæ, nimirum Vincturæ ejuſdem Arteriæ , ea ratione inſtitutæ , quam ego in Veſpillone Andrea Boturrio adhibueram. Hanc enim operationem ipſe Javina , utpote Chirurgus mihi tunc temporis Subſtitutus , non viderat tantum , ſed etiam ſuismetipſis manibus egregie adjuverat. Antequam vero eamdem ſuſciperet, Noſocomii noſtri conſuetudinem , Collegam videlicet in rebus gravioribus conſulendi , ſecutus, hoc ſuum conſilium mecum communicavit , hortatuque meo ad faſciarum compreſſionem accedere ſine ulla hæſitatione decrevit.

Quæ medendi methodus in hoc quoque Ægrotante, quemadmodum in duobus allatis, proſperè ceſſit. Nam intra quadraginta dies durities, tum etiam pulſatio penitus defecêre, nihilque aliud relictum fuit, præter fluitantem tumorem, qui paulatim & ipſe tandem evanuit, etſi priusquam prorſus evanuiſſet, Ægrotans proficiſci e Noſocomio voluerit, genu tamen eisdem faſciis jugiter obvolutum conſervans. Cùm vero poſt aliquot hebdomadas ad Noſocomium fortè rediiſſet, eumdem ab Aneuryſmate omnino liberum, ac integræ valetudini reſtitutum perlibenter conſpeximus, quamvis crus ſenſibiliter tumidum appareret, atque hoc ideo fortaſſe contigit, quod non fuiſſet tantam quietem, & curationem perpeſſus, quantam illius morbus poſcebat.

HISTORIA IX.

HANC talia Aneuryſmata curandi methodum jam Chirurgos quoque Romanos lubentiſſimo animo amplecti video. Incidens enim Chirurgus Seghius in ſimile Poplitis Aneuryſma, quo laborabat Nicolaus Scarpa Romanus, annos natus 34, ſanguineoque, ac ſimul bilioſo temperamento præditus, famulique munere fungens, quum diſcendi ſit cupidiſſimus, ac experientia comprobare ſummo ſtudio annitatur, quidquid ad illuſtrandam, augendamque valere putat Chirurgicam artem (in qua quantum ipſe emineat, ex hoc dumtaxat addiſci poteſt, quod ab Exmo Marchione Albeterrio, digniſſimo nuper ad Apoſtolicam Sedem inviċtiſſimi Galliarum Regis Legato, in Chirurgum ſit accerſitus) nullus equidem dubitavit, hanc eamdem methodum executioni mandare, una cum Joſepho Flajano, & ipſo Sancti Spiritus præſtantiſſimo Alumno, qui paucos ante menſes a Noſocomio diſceſſerat, quique, utpote Subſtitutus meus, allatæ ſuperius obſervationis oculatus teſtis jam fuerat. Seghius igitur, Flajanusque, tranſactis a curationis initio tribus dumtaxat menſibus, ad me miſerunt ipſummet Nicolaum Scarpam, ut eum recognoſcerem, quemadmodum & ipſe libenter feci, eumdemque Aneuryſmate plane ſolutum, ac liberum deprehendi beneficio externæ preſſionis, quam ipſi faſciarum ope, juxta meam methodum, jam adamuſſim expleverant, nihilque aliud in illo offendi, niſi quamdam tegumentorum, telæque celluloſæ dilatationem, inde forſan obortam, quod,

ut ſe familiamque ſuam Nicolaus ſuſtentare poſſet, in famulatu eſſe jugiter cogeretur: ſed faſciarum compreſſionem continuando, ut reipſa facere illum cognovi, ſpes magna effulget, fore ut is ab hoc quoque vitio tandem aliquando immunis reddatur.

HISTORIA X.

Huc quoque pertinet Poplitis aliud Aneuryſma, cujus hiſtoria in lucem proferri debet, vel hoc potiſſimum nomine, quod ad rem, de qua nunc agimus, illuſtrandam plurimum faciat. Hoc igitur Aneuryſma nactum eſt Chirurgum ſatis certe eruditum, ſed qui putaret meam medendi methodum prorſus inutilem eſſe, ejusdemque fauſtos effectus a ſola quiete corporis repetendos eſſe. Ideo Ægrotum Poplitis Aneuryſmate affectum quinque integros menſes lecto adfixum detinuit, ſed incaſſum omnino; nam morbus eumdem ſemper tumorem, eamdemque pulſationem præ ſe tulit, nullumque aliud ex lecti quiete beneficium reportavit, niſi incrementi moderationem. Chirurgus vero hiſce quinque tranſactis menſibus ſuſceptam curam abjecit, ſuæque Ægrotantem ſorti commiſit. Non equidem inficias ibo fieri nonnunquam poſſe, ut hac etiam ratione Aneuryſma non miteſcat dumtaxat, ſed priſtinæ quoque incolumitati reſtituatur. Sicut autem ejuſmodi perſanatio dubia magis, ancepsque, aut ſaltem longe diuturnior eſſe debebit, ut in hoc miſero contigit Ægrotante, qui elapſis jam quinque menſibus cum eodem Aneuryſmate relictus eſt, ita meam non adhiberi medendi methodum, cujus feliciſſimus effectus experientia ſatis innotuit, nimia eſſe mihi animi pervicacia, atque obſtinatio videtur.

Sed tandem, octo aliis elapſis menſibus, poſtquam hic Æger a laudato Chirurgo relictus fuerat, hoc eſt tranſactis menſibus ſexdecim, ex quo aneuryſmaticus tumor ipſi primum innotuit, nimirum pridie nonas Majas anni 1769, quum ego me ad ſancti Spiritus Noſocomium conferrem, inter alios hic mihi creditos Ægrotantes, eum quoque num. 7. inveni. Virum idcirco conſpexi ſanguineo temperamento, procera corporis altitudine, maximisque viribus præditum, qui Paulus Marta vocabatur, quique annum agens quadrageſimum primum pro peculiari vitæ inſtituto famulatum profitebatur.

Abſoluta ab Ægro ipſo, aliisque narratione hiſtoriæ a me ſummatim expoſitæ, acceſſi ad inviſendum Aneuryſma, quod in dextro

Poplite

Poplite erat, & in quo, ſuaſu quorundam Chirurgiæ ſtudioſorum juvenum, a quibus mea methodus fuerat jam utilis animadverſa, multiplicem, idoneamque deprehendi faſciæ circumductionem, quam Æger ſibi admovere ab eiſdem Chirurgiæ ſtudioſis didicerat. Hæc autem, etſi potis non fuerat ad inhibendum progreſſum tumoris aneuryſmatici, valuit tamen ad Ægrotantem a morte vindicandum. Tumor enim aneuryſmaticus tam amplus redditus fuerat, ut non solùm Poplitis cavum totum impleret, ſuaque longitudine a femoris medio ad ſuram uſque porrigeretur, ſed ad omnem quoque lateralem, exterioremque genu partem extendebatur. Naturali is colore præditus erat, tactuique reſiſtens; dolor, ſi nonnullas horas exceperis, Ægrotantem non divexabat, neque hic ſummus erat, pulſatio tamen in quacunque ſui parte vehementiſſima perſentiebatur, phœnomenon ſane, quod in Aneuryſmatibus magnis, quæ æqualiter in univerſa extenſione tactui reſiſtunt, quæque vetuſtiſſima ſunt, conſuetum haudquaquam eſt; in his enim obſcurari plerumque ſolet.

Licet tam amplum, tamque antiquum hoc eſſet Aneuryſma, ego tamen ad meam in illo methodum experiendam libentiſſime me comparavi. Quapropter, conſenſu clariſſimi Viri D. Sigiſmundi Toncii primarii Ægrotantium meæ partis Medici, illiusque doctiſſimi Medici adſtantis D. Joſephi Matthæi, qui plerarumque ejuſmodi curationum oculati teſtes fuerunt, imperata priùs ægrotanti rigida, exactaque diæta, largaque illi ſanguinis, inciſa vena, miſſione facta, familiarem mihi, ac per gradus ſtrictiorem inſtitui faſciarum circumductionem, eamque a ſura, ac poplite ad Inguen uſque perduxi, utque tum ob dolorem, tum etiam ob cruris, pedisque tumefactionem, ferenda ea redderetur, coactus fui ſanguinis iterare miſſionem, quam, inciſa brachii vena, ſemper adminiſtrare in ejuſmodi caſibus conſuevi; nec prætermiſi aſperſiones, aut ſtillicidia modo oxycrato, modo vini ſpiritu facta.

Hanc ego methodum adhibens, faſciarum videlicet applicationem, prout opus eſſe videbatur, identidem renovans, & nunc prius, nunc poſterius ſanguinis miſſionem inſtituens, tumorem ita decreſcere lætus vidi, ut maxima mihi affulſerit ſpes, eum brevi ſanatum iri, etiam ſi pulſus in illo conſtanter adhuc perſeveraret. Sed rem narrabo fere incredibilem, quæ veriſſima tamen eſt, cujusque univerſa Noſocomii familia facere poteſt locupletiſſimam fidem. Quum Æger cognoviſ-

ſet, jam ſatis ab hac methodo ſuæ vitæ conſultum eſſe, ne victum ſibi amplius comparare in poſterum cogeretur, decrevit perpetuum in Noſocomio ſibi domicilium efficere, perfectamque tumoris ſanationem, quantum in illo fuit, inhibere conatus eſt. Quapropter, me inſcio, indiſcriminatim, ac horis quibusvis, omnia comedere cœpit, cibos, vinumque ſibi ab amicis afferri curans, ac per Noſocomium etiam deambulans ad novam illorum copiam ex aliis Ægrotantibus acquirendam.

Hos inter tantos errores patere unicuique poterit, felicem curationis progreſſum finem hìc facere debuiſſe. Quapropter, quum, aliquo elapſo temporis intervallo, id ego odoratus eſſem, omnem illi ad errores aditum præſepire totis meis viribus conatus ſum; ſed incaſſum. Quinimo ſenſi præterea, eum ſibi vincula relaxare, ſtatim ac injecta fuerant. Atque hoc in cauſa fuit, cur ego ea renovare ſæpiſſime coactus ſim, & præſertim in Inguine; nec ille tamen ad hoc faciendum impelli, aut dolore, aut tumore debuit, quum poſt primam medicationem a neutro iſtorum ulla amplius afficeretur moleſtia.

Sed mea curationem hanc ad finem perducendi cupiditas me impulit ad ejus improbitatem, fraudesque diutiſſime perferendas, vel hoc potiſſimum nomine, quod aliqua ex mea methodo utilitas, his non obſtantibus, eluceſceret. Anno vero 1770, Martio adveniente menſe, quum ejus nequitiam diutius pati non poſſem, illum a Noſocomio dimiſi, edixique ei, in ſua eſſe poteſtate ſitum, ſi cuperet, perfectam valetudinem adipiſcendi, ſibique ſatis perſpectum eſſe, quo deberet in poſterum ſe modo gerere, quum ſanitatis inhibendæ rationem tam pulchre noſſet.

Itaque e Noſocomio diſceſſit, meque invito, qui eum aut vectum, aut ſaltem comite aliquo non deſtitutum cupiebam, ſolus exire voluit, fulcris tantummodo ſubalaribus nixus; ſui enim juris optabat eſſe, ut nova fraude decipere me rurſus poſſet. Ea propter poſtquam vix quadraginta a Noſocomio paſſus receſſerat, quibuſdam Noſocomii inſpectantibus famulis, ſe in terram præcipitem dedit, eos ad ſui auxilium ſperans advolaturos, ut accidit. Simulans enim dextrum ſibi trocanterem fuiſſe contuſum, ab illis ad Noſocomium relatus eſt, ibidemque eum alios ego nonnullos dies paſſus ſum, quibus exactis, illum rurſus dimiſi, ſed juvene comitante Chirurgo,

nec quidquam de illo exinde reſciveram. Elapſis vero duobus ab ejus diſceſſu menſibus, quum ego tranſirem per viam D. Claudii illum ſedere propter portam quamdam conſpexi, genu faſciis obductum, pulvilloque innixum gerentem; lætum tamen, ſecundaque, ut videbatur, præditum valetudine. A me autem de iis, quæ Aneuryſma reſpicerent, interrogatus, melius ſibi eſſe reſpondit.

ANIMADVERSIONES.

STATUS Aneuryſmatis, dum Æger a Noſocomio diſceſſit, erat hujuſmodi. Illius tumor jam extenſione, ac craſſitie duos pollices non ſuperabat; is tamen tactui reſiſtens, tenſusque perſentiebatur, quemadmodum vel in ipſa declinatione ſemper permanſit. Pulſatio vero non ſolum plane haud deſierat, ſed etiam, tumore ſui juris reddito, continuo major fiebat.

Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe arbitror, patratos in victu errores, adhibitasque potiſſimum in relaxandis compreſſionibus fraudes in præcipuis cauſis fuiſſe, quamobrem Ægrotus noſter perfectam ſanitatem recipere non potuerit; eoque magis, quod ego, ut hujus rei periculum facerem, quum aliquantiſper compreſſionem inguinis neglexiſſem, aneuryſmaticum tumorem rurſus augeri jam evidenter cognoveram. Sed veritati pariter conſentaneum eſſe videtur, in hoc Aneuryſmate ob voluminis amplitudinem longius requiri temporis ſpatium, ut polypoſa ſanguinea maſſa diſſolveretur. Quo facere quoque poterat, Primo Arteriæ volumen, quod non ordinariæ Ægrotantis magnitudini reſpondere par erat. Secundo, ingens Arteriæ ejuſdem hiatus, qui, ut ego ex tumore, relictaque pulſatione conjeceram, eo minor eſſe haudquaquam debebat, quem prima oſtendit Figura Tabula I. Tertio, aneuryſmaticus ſuccus, qui prout eſt major, majus etiam temporis intervallum deſiderat, vel ut omnino deleatur, quemadmodum oſtendit Figura II. Tab. I, vel ut anguſtetur, ſicuti Tabulæ I. Figura III. indicat, vel ut in duram, informemque molem concreſcat, uti videre eſt in obſervationibus I, II & IV. Quarto, nec non fortaſſe caries oſſis ſubjecti, reſpondentisque Aneuryſmatis apertioni, quemadmodum in hiſtoriis oſtendi, quæ caries nobis perſpicue, niſi ſuppuratione, aut inciſione Cadaveris, patere nequit.

HISTORIA XI.

Aliud quoque apud Noſocomii Ægrotantes reperi Poplitis Aneuryſma, quod etſi nothum, durum, ac pulſans eſſet, nondum tamen gravia inferebat ſymptomata. Parum enim Ægrotum vexabat dolor, parva erat pulſus celeritas, minimus cruris, pedisque tumor, nec valde ambulationi officiebat, hanc forſan ob cauſam, quod exiguum eſſet illius volumen, utpote quod mediocris pomi molem non vinceret. Quum morbum in hoc favorabili ſtatu deprehendiſſem, ſperavi fore, ut conſueta mihi adhibita methodo felicem exitum obtineret, ſed fruſtra. Poſtquam enim paucos dumtaxat dies Æger in Noſocomio manſiſſet, quamvis illi oſtendiſſem maximum ab ejuſmodi morbo ſibi periculum imminere, ille tamen, quoniam debebat uxorem ducere, me licet invito, atque reluctante, voluit ab eodem diſcedere. Verum quid inde? non longo tempore elapſo certior ſum factus, jam illum ex articulo gangræna affecto diem obiiſſe ſupremum.

HISTORIA XII.

Mei quoque muneris eſſe reor Poplitis aliud Aneuryſma in medium afferre, quod etſi mihi infeliciter ceſſerit, facere tamen plurimum poteſt ad Chirurgi animum erudiendum. Atque utinam Scriptores omnes, divino Hippocrate duce, ſua confeſſi eſſent errata, curationesque omnes referrent, in quibus exitus ſpei, ac exſpectationi haudquaquam reſpondit! Eheu quantum arti Chirurgicæ incrementum ex hoc ipſo jam acceſſiſſet!

Quidam igitur Sutor, qui annos quadraginta quatuor ætatis ſuæ vix exegerat, melancholico, acrique donatus temperamento, lueque affectus venerea inter meos Ægrotantes num. 7. Noſocomioli ſe mihi obtulit, in eoque aneuryſmaticum Poplitis tumorem offendi longe ovi anſerini magnitudinem ſuperantem, tactui præterea duriſſimum, & continuo dolore, identidem ſummo, valida quoque febre, ingentique pulſu ſtipatum: ſed omnium maxime præ cæteris Aneuryſmatibus mihi negotium faceſſebat immanis pedis, crurisque tumor: ea enim is extenſione, eaque duritie præditus erat, ut nihil omnino digitorum preſſioni cedere videretur.

Etiamſi mihi ſatis perſpectum foret, cùm ejus ſtatus hujuſmodi eſſet, ut in eo difficillime poſſet nova hæcce methodus adhiberi, me nihilominus virili, fortique animo muniens medelam conſtrictioni præviam indubitanter ſuſcepi. Verumtamen viginti exactis jam diebus, quum neque cruris, pedisque reſiſtens extumeſcentia, neque ipſum Poplitis Aneuryſma quiddam levaminis ab eadem ſentiret, quinimo moles, atque pulſatio in Aneuryſmate potius adaugerentur, quoniam alia omnia præſidia incaſſum ceſſura eſſe arbitrabar, prudentis, moderatæque vincturæ periculum facere aggreſſus ſum.

Vinctura hæc beneficio nonnullarum miſſionum ſanguinis, quæ identidem factæ ſunt, Ægrotanti jam tolerabilis erat, quinimo ratione Aneuryſmatis perdurare quoque diu potuiſſet. Sed quoniam in crure, pedeque tumoris durities, ac renitentia quotidie magis invaleſcebat, metuens ipſe, ne articulus gangræna brevi corriperetur, ab eo conſtrictionem omnem, compreſſionemque auferri oportere, nimium feſtinanter fortaſſe arbitratus ſum. Faſciis idcirco remotis, tum ego, tum alii plures, qui meæ viſitationi interfuerant, aperte cognovimus, exoptatum jam partum in Aneuryſmatis ſede a conſtrictione effectum fuiſſe: tumor enim valde depreſſus, pulſusque incredibiliter imminutus apparuit. Verum gangrænæ periculo animum aſſidue pulſante meum hoc tandem Aneuryſma ſui juris jam factum, in pleniſſimam libertatem aſſerere opportunum exiſtimavi. Quid autem ex hoc? Brevi iterum in illo tumor increvit, cæteraque omnia ſymptomata ad eam ſævitiem iterum pervenere, ut paucos intra dies, diſrupto Aneuryſmate, mortem Æger oppetere coactus fuerit.

Animadversiones.

Historia hæc mihi ſatis idonea viſa eſt non ſolum ad demonſtrandam hujus Vincturæ efficaciam, ſed etiam ad oſtendendum vel in difficillimo hoc caſu ejuſmodi conſtrictionem haudquaquam fuiſſe prætermittendam. Fieri enim fortaſſe potuit, ut gangræna minime ſuperveniret; eaque demum ſuborta, quis audebit aſſerere, futurum eſſe ut illa, aut opportunis ſcarificationibus, aut aliis artis præſidiis tandem aliquando vinci a Chirurgo non potuiſſet? Refecto autem tumore, luculenter innotuit, ad tranſverſorum trium pollicum longitudinem popliteam Arteriam fuiſſe dilaceratam.

Ad rem facit Joannis Trulli Romani Chirurgi, atque Lithotomi celeberrimi de Femoris Aneuryſmate ſpurio a glande plumbea facto hiſtoria, quam refert Marcus Aurelius Severinus in ſua Medicina, ac Chirurgia efficaci; quare ne mutato quidem verbo hîc eam tranſcribam, eo vel maxime, quia omnium primus, ni fallor, cruralis Arteriæ Vincturam juxta Galeni præcepta pertentavit.

HISTORIA XIII.

Vulneratur Jacobus ætatis ſuæ annorum ſeptemdecim, vel circiter, bilioſæ complexionis, ſatellitum Ducis Campaniæ filius, ictu Sclopeti unico globulo muniti in crure dextro, vulnere ab inguine octo tranſverſis digitis diſtante, & ad appoſitam partem penetrante. Cujus ingreſſus ab intercapedine muſculorum videlicet recti, gracilis, & vaſti externi, exitus vero ad muſculorum tricipitem aderat. Vulnus non extitit ſine ingenti partium dilaceratione, & præſertim Arteriæ majoris: unde ſubſecuta eſt non mediocris ſanguinis arterioſi hæmorrhagia; ad quod curandum advocatus eſt D. Joannes Trullus inſignis Lithotomiſta, & Chirurgus, qui cùm adveniſſet, jam vulnus a Barbitonſore procuratum reperiit, eoque modo intactum ad ſequentem diem reliquit, qua accedens (ſolutis faſciis) coërcita hæmorrhagia, partem extra modum tumentem ſimul, & pulſantem contemplatur, ita ut ambas manus tumori impoſitas pulſatio attolleret: quare ſuſpicatus ſtatim eſt de vulnerata aliqua Arteria, remque arduam, & periculo plenam indicavit; propterea voluit, ſibi a Parentibus alium aſſociari Peritum, D. Ferrantem videlicet, qui itidem de vulnere male ſentiit. Unanimes refrigerantia, & adſtringentia admoverunt; imperata Ægroto quiete, vulnus ad multos intactum dies dimiſere, etiamſi aliquando ſanguis per ſe ad uncias tres, aut quatuor erumperet, & ſtatim ſponte ſua compeſceretur; ſolventes tandem eumdem tumorem, & pulſationem, quam prius invenerant, augeſcentibus in diem febre, dolore, & pulſatione, perterriti in auxilium alios acceřſivere Chirurgos, ut conſulentes ſenſum Ægro proficuum afferrent. Multi multa, ſed tamen major eorum pars tempori, & naturæ opus committebant, excepto D. Joanne Trullo Verulano, qui vulnus dilatari conſulebat ad arteriam perquirendam, quam opinionem reprobarunt. Iterum igitur iiſdem ut ſupra adhibitis remediis, & faſciis vulnere obducto, ad alios dies diſtulerunt, donec ad decimum ſeptimum

perveneriut, in quo ut prius ſanguis erumpens, ſum advocatus, ut una cum aliis, quid de caſu ſentirem, libenter, & ingenue exponerem. Relatis igitur a dictis Dominis ea omnia, quæ acta, & tranſacta fuerant, antequam quicquam concinne, & opportune effutirem, vulnus deteximus omni intemperie carens, tumore, & pulſatione remiſſis, quemadmodum non tantum prædicti Domini, verum etiam Aſſiſtentes, & potiſſimum quidam Barbitonſor, Hieronymus nomine, qui continuo aderat, ut præſto eſſet compeſcendo ſanguini, ubi opus eſſet, aſſeruere; quo viſo ſimul, & confirmato, omnes unanimi conſenſu non eſſe immutandum ordinem, qui ad ſanitatem conferebat, pronuntiamus; & ſic iiſdem, quibus antea vulneri uſum fuit præſidiis, præterquam quod, ut conſtantes perſiſterent vires, liberalius in potu vinum eſſe propinandum. Ita coërcitus ſanguis ad tredecim dies conſtitit, a quibus deinde de more fluebat, & ſponte coërcebatur. Trigeſimo itaque detecto vulnere, deprehendimus tumorem emollitum, quem ſuppuraturum (ſuppuratione enim facta, carnem regenerari, & læſum vas ſubnaſcenti reſarciri, ut crebro contingit) ſperabamus; ſpem tamen eventus feſellit.

Nam cùm in dies vires deficeret, febris recrudeſceret, facies, ut & cæteræ partes, contabeſcerent, rem deploratam habuimus; nec aliunde ſpecimen ſalutis (ſi quod tamen eſſet) ſperandum erat, niſi ex dilatatione vulneris, ut arteria vel conſueretur, vel alligaretur, vel pyrotico adureretur, vel quovis alio modo ſanguis ſiſteretur; ad hoc itaque exequendum parentem advocamus, & jam dubiam ſalutem inevitabili morte proxima illi ſignificamus, unicum verumtamen ſupereſſe remedium, anceps tamen, & incertum, non modo executa operatione, verum in ipſomet operationis actu, elimatis jam, ac proſtratis viribus, certaque futura hæmorrhagia. His auditis, genitor a nobis triſtis receſſit, & quaſi, ut dicitur, tacitus annuit. Paratis itaque omnibus ad opus neceſſariis, rem aggredimur. Inventa tactu igitur Arteria circa inguen, ipſam paulo inferius inguine proſequendo, injecto in eam duro ſpleni, fortique ligatura, femur adſtringimus more eorum, qui aliquam partem amputare ſolent, ut preſſura anguſtius redditum vas minorem ſanguinis quantitatem in operatione funderet, poſtea partem cutis aperiendam atramento ſignavimus, & ſignatam ſecuit Domnus Joannes, ſtatimque ſe obtulit ingens grumoſi ſanguinis moles, quæ librarum ſex facillime pondus æquabat, quique, ſublaat

mole grumoſi ſanguinis, iter indicavit ad Arteriam inveniendam, qua reperta, forti digitorum compreſſione ſanguis coërcitus eſt, fortiter in inguine comprimente Domno Joanne Trullo, arteriamque conſpicuam habuimus, quam a proxima vena ſeparavi, & alligavi, parte prius ſuperiori, deinde inferiori, adhibitis iiſdem cautionibus, quæ in varicibus adhibentur; hæc non erat ad dimidiam partem lacera, verumtamen ad tertiam, una dumtaxat remanente, quæ poſtera die a ligatura reſecta eſt a D. Joanne Trullo, ne forſan partem, antequam putreſceret, contraheret. Reliquo curationis proceſſu tamquam vulnus ſimplex, quod per ſex hebdomadas abſolute curatum eſt, præſente D. Ferrante Serrone, & multis aliis.

Multa equidem in hoc caſu ſunt admiranda; tria tamen omnem admirationem ſuperant, quorum primum, quod intervallo quadraginta dierum ſanguis extra vas citra inſignem putredinem potuerit conſervari. Secundum, quod ita ſanguis muſculos ab invicem divulſerat, ut eodem grumoſo extracto, ſtatim obvia nobis fuit Arteria, ac ſi arte muſculi ſeparati fuiſſent, qui operandi commoditatem miram præbuerunt, unde hoc caſu edoctus, omnibus non eſſe ſtatim ad operationem confugiendum conſulo, ſed poſt adhibitam omnem induſtriam, imo tardius, quam ſerius, niſi hæmorrhagia ad manus cogat. Tertium, & ultimum, quod natura poſt alligatam Arteriam eodem modo partem aluit, ac ſi ab integra Arteria irrigata fuiſſet, ut nec minor mole, aut altera debilior robore remanſerit.

DE INGUINIS CRURALISQUE ARTERIÆ ANEURYSMATIBUS
HISTORIA XIV.

JAM vero ad Aneuryſmata gradum faciens, quæ in Inguine, cruralisque Arteriæ initio exoriuntur, illud in ipſo limine ſtatim proferam, quod hiſtoria p. 130 indicata complectitur, quodque peculiariter in hujus Arteriæ trunco, vix dum tranſacto Falloppii ligamento, poſitum erat. Hoc Aneuryſma Joſephum Lubertum divexabat Romanum, ſanguineo donatum temperamento, quartumque ſupra trigeſimum ætatis annum agentem, qui pluries veneream jam paſſus luem, in curribus regendis occupabatur. Quum is igitur conſilium meum exquirendi gratia me conveniſſet, tumorem in ipſo reperi quaſi ſphæricum, mole ſua pomum ingens æquantem, nullo ſane

dolore præditum, exhibentemque oculis nativum partis colorem, ſed ita manifeſto pulſu inſignitum, ut promptiſſimum mihi, facillimumque fuerit, indubitatas Aneuryſmatis in illo notas agnoſcere. Equidem haudquaquam neglexi de iis omnibus ab Ægrotante perdiligenter exquirere, quæ cauſam mihi aperire poſſent, unde Aneuryſma hoc profluxiſſet. Ipſe igitur mihi ſignificavit, ſe ante noviſſime exactum integrum annum, quum non ſatis edomito inſideret equo, ſubter eum cecidiſſe, atque ab illius pondere plurium corporis ſui partium contuſiones perpeſſum, hac præſertim in ſede perpetuum deinceps, moleſtumque doloris ſenſum habuiſſe, uſque dum Aneuryſma hoc ſeſe proderet; quapropter rationi valde conſentaneum videtur, ab hoc in terram projectu, aut contuſa, aut diſtracta Arteria, genitum illud fuiſſe.

Omnes incaſſum ceſſere ſollicitudines meæ, fruſtraque Ægrotantem hortatus ſum, ut, nulla interpoſita mora, diligentiſſimæ ſe curationi committeret. Id enim dumtaxat ab illo impetrare potui, ut a me levem faſciarum compreſſionem affectæ parti admoveri ſineret. Ego autem, ſi verum fateri licet, eo tantum conſilio talem medendi viam mihi tunc ineundam eſſe putavi, ne in poſterum, morbo nimium adaucto, opportunioribus etiam auxiliis locus omnis præcluderetur. Quum vero Æger, primis aliquot menſibus, donec ſcilicet ſuismetipſis manibus Vincturam hanc ritè abſolvere addiſceret, quoties ea renovanda eſſet, domum meam ſe conferret, ego illam per gradus ſemper arctiorem efficiens, eo præter opinionem rem jam adduxeram, ut licet ipſe ſuo vellet arbitratu veſci, neque ſatis quieti indulgeret, non modo tumorem haud amplius creſcere, ſed illud revera imminutum eſſe apertè conſtaret. Suſceptus ex hac curatione fructus, qui ſi docilem inveniſſet Patientem, magno illi uſui futurus eſſet, in hoc ſolummodo valuit ad illum audaciorem reddendum, effecitque, ut ipſe morbum minimi pendens, integro trium annorum ſpatio a me conveniendo ſe omninò in poſterum abſtinuerit. Compreſſionis quidem auxilio, ut veriſſimè loquar, auxilium etiam acceſſit illius Domini, Eminentiſſimi ſcilicet Cardinalis Herbæ, qui, quum a me reſciviſſet, morbum, quo ſuus Auriga detinebatur, eſſe graviſſimum, nec ſine certiſſimo illius interitu cum laborioſo ejuſmodi munere conſociari amplius poſſe, eidem ſtatim

miſſionem benignè dedit, cum eo tamen, ut integrum ſingulis menſibus ad vitam ſuſtentandam illi ſtipendium perſolveretur.

Verum jam dicto elapſo triennio, quum laudatus Eminentiſſimus Herba, incredibili bonorum luctu, repente e vita migraſſet, quumque ideo Joſephus ſuam amiſiſſet penſionem, de alio ſibi comparando Domino cogitavit, resque ei feliciter ex animi ſententia ceſſit. Veritus autem, ne novus Hærus a me ſtatum percontaretur, in quo illius morbus tunc eſſet, ut deceptus ego conſilia ſua nequaquam diſſolverem, meam velut imploraturus opem, ſeſeque mihi commendaturus, lætus, & hilaris, manuque ferulam geſtans, ad me iterum poſt tantum temporis intervallum reverſus eſt. Tunc igitur ego aneuryſmaticum tumorem rurſus inſpexi, & eamdem in illo faſciarum compreſſionem adhuc continuare Lubertum vidi; tumore autem detecto, eum magna cum admiratione jam fere omnino complanatum, factumque illius ambitum longè anguſtiorem eſſe deprehendi. Quum vero pulſus in illo nondum ceſſaſſet, auctor eidem fui, ut per id temporis, quoniam morbus jam in melius evaſerat, ad integram ſanitatem recuperandam perfectiſſimæ ſe curationi traderet, munusque Aurigæ, tamquam ſibi maxime infeſtum, interea prorſus relinqueret; ſi enim ſecus feciſſet, certiſſimum illi imminere interitum pronunciavi.

Fruſtra Joſephum hortatus ſum, ut id faceret, novusque illius Hærus nihil a me ſciſcitatus eſt. Ipſe igitur tam animoſe ſuam aggreſſus eſt operam, ut currui inſidiens, quotiescumque mihi obviam fiebat, quaſi per jocum, me illudere videretur. Sed paucis dumtaxat menſibus perfectiſſimam eidem licuit venditare, oſtentareque ſalutem; irritatus enim, præter modum adauctus, nimiumque dolens cum febre tumor eum brevi coëgit, ut, licet invitus, ſeſe tamen lecto committeret. Magnanimus profecto haud defuit Chirurgus, qui eidem, ut unicum, tutiſſimumque præſidium, vinculum Arteriæ proponeret, atque illud, etiamſi contra, non mea dumtaxat, ſed aliorum quoque peritiſſimorum Chirurgorum conſilia, adaucter aggredi voluit. Statim ac igitur ego ab Equite quodam, factam fuiſſe operationem iſtam, reſcivi, mihique ab illo nunciatum fuit, Chirurgum, ut ſanguinis nimis violentum effluxum cohibere poſſet, affectam partem valide tæniis conſtringere coactum eſſe, illico futurum prædixi, ut Ægrotus noſter tertia, vel quarta ab operatione

die ex gangræna articuli moreretur, quemadmodum reipſa contigit, ut mihi deinde teſtatum fuit a ſororis illius filio, qui & ipſe Auriga, Joſephus Stephanorius vocatur.

Animadversiones.

1. Hæc operatio, ſi infauſtum, quem habuit, exitum excipiamus, præterquam quod mihi profuit ad hanc methodum in illis etiam Aneuryſmatibus adhibendam, in quibus, ob deſcriptarum circumſtantiarum defectum, vinculum Arteriæ locum non habet, mihi quoque digniſſima videtur eſſe, quæ in lucem edatur, quod tantam conſpiciens imminutionem, quæ hoc in morbo, licet opportunæ, ac neceſſariæ cautiones omiſſæ fuerint, a ſimplici compreſſione manavit, in ſpem adducor, fore ut hoc pariter Aneuryſma ſanitati reſtituatur ea prorſus ratione, qua Poplitis Aneuryſmata perſanata fuerunt, & tum faſciarum compreſſione gradatim facta, tum repetitis ſanguinis miſſionibus, tum etiam omnimoda quiete, debitoque vitæ regimine, pertentari hìc ſimiliter poſſe Aneuryſmatis curationem, eoque magis, quod non ſecus in hoc, atque in Poplitis ſitu, Arteriæ nobis uti vinctura non liceat, tam ob difficultatem, Iliacam a reliquis partibus extricandi, qua in re penetrandum in abdominis cavum eſſet, quam ob impotentiam torcularis admovendi, ut nimia ſanguinis præcaveatur eruptio, quæ facile continget non ſolum ex Arteriæ trunco, ſed etiam ex numeroſis, magniſque propaginibus, quæ, tranſacto Falloppii ligamento, ab illo enaſcuntur. Hic enim ſanguineus fluxus in ipſo operationis actu hanc univerſam ſedem pervadens, impellere artificem debet, ut opus deſerat, arctiſſimeque partem faſciis conſtringat, ne ſuæ ſpectator temeritatis eſſe cogatur.

2. Meum tamen adhuc duæ divexabant animum, eæque ſane non parvæ difficultates, quas allata obſervatio enodare minime valuit. Earum altera poſita erat in neceſſario fortaſſe ſanguinis tranſitu per ipſum Arteriæ truncum, quo ſatis articulus nutriri queat; etenim mihi aperte conſtabat, factam a me compreſſionem nunquam fuiſſe talem, quæ per Arteriam iter quodcumque intercipere ſanguini debuiſſet, efficereque, ne ſufficiens ejuſdem copia ad articulum permearet. Altera difficultas erat, quod ſuſpicionem magnam habebam, felicem, fauſtumque hujusce Aneuryſmatis curſum

ex eo forſan manaſſe, quod illud ab extrinſeca, violentaque jam enarrata cauſa originem duxerat; ideoque facilius compreſſioni auſcultaverit. Verum Aneuryſma in ſequenti obſervatione deſcriptum has omnes mihi dubitationes prorſus exemit, etſi alia id perſanatum ratione fuerit.

HISTORIA XV.

ANNO 1762, Auguſto menſe accerſitus ſum a Felice Morello Argentario fabro, quinquaginta quinque annos nato, & quem ego triginta ante annis venereo inguinis ſiniſtri bubone laborantem curaveram. Is autem eo me conſilio advocavit, ut meam ſciſcitaretur ſententiam de aperiendo inguinis dextri tumore, qui communi fere aliorum Chirurgorum conſenſu omnino ſuppuratus jam erat.

Ab illuſtri Medico Amicio, qui juvenem ſecum habebat, praxim addiſcentem, nec non a Chirurgo peritiſſimo Maximino, celeberrimis Urbis profeſſoribus, ego tunc morbi hujus accepi accuratiſſimam narrationem, ex qua intellexi, Morellum noſtrum jam inde a Natalitiis tranſactis feriis mitiorem modo, modo vero ſatis acerbum in dicto inguine perſenſiſſe dolorem, qui ad coxæ articulum pertingebat, quique eum tota hyeme ad ver uſque claudicare coëgerat, nec aliud per id temporis innotuiſſe Ægrotanti, niſi quod intumeſcere affecta pars incœpiſſet.

Quum autem Felix Morellus die Corpori Domini conſecrato, qui eo anno IV Idus Junias contigerat, ad Divi Petri ſe contuliſſet Eccleſiam, ut pompoſo ſupplicationis inceſſu perfrueretur, tam atroci repente affectæ partis dolore correptus eſt, ut ei quam citiſſime domum redire neceſſe fuerit, lectoque ſe ſtatim tradere, ex quo deinceps, tum ob doloris acerbitatem, tum ob febris etiam vehementiam non jam conſurgere valuit. Et quamvis peritiſſimi profeſſores nullum non lapidem moverint, ut ab hoc miſerrimo ſtatu eum ſublevarent, nihil tamen illi ſuppetias tulit, omniaque ab eis tentata non modo in caſſum ceſſere, ſed novum quotidie morbo incrementum capiente, infortunatus Morellus pene tabidus factus eſt, lectoque prorſus adhæſit. Articulus autem adeo contractus erat, ut explicari non poſſet. Magnus quoque ſeſe prodebat circa hunc articulum tumor; at ille quidem naturali dolore præditus erat. Facta

inſuper a digitis preſſio manifeſtiſſimam renunciabat in inguine fluctuationem, quæ a Pubis oſſibus ad Ilii criſtam, omni tamen dolore, duritie, ac tenſione vacua, protendebatur, ac liquor tumefactionem efficiens, tenuis, cutique proximus, ſub ea nimirum immediate poſitus, apparebat.

Quum hoc in ſtatu Ægrotantem deprehendiſſem, non auſus ſum affirmare, laudabilem, ſeu purulentam hîc ſuppurationem adeſſe; plus enim quam duo menſes jam præterlapſi fuerant, ex quo in conſpectum ſe dederat morbi vigor, neque is unquam remiſerat, ut fieri ſolet, jam abſoluta ſuppuratione, quemadmodum ipſe nos Hippocrates docet Sect. 2, Aphor. 47, ſed e converſo in dies augeri potius obſervabatur. Et licet tunc temporis nulla perciperetur pulſatio, ego tamen de Aneuryſmate ſuſpicatus, meam profeſſoribus illis mentem aperui. Ipſi autem nequaquam dubitaverunt alios nonnullos ſinere elabi dies, antequam conſtituta tumoris inciſio fieret, ut morbus interea nitidius, apertiusque mihi ſe proderet; neque ſane hoc temporis intervallo cujuſcunque efficacis auxilii periculum facere deſtiterunt.

Aliquoties igitur iterata eſt ſanguinis miſſio, ac ingens Peruviani Corticis copia Ægrotanti exhibita fuit, partique affectæ cataplaſmata ſunt admota, quæ lenirent, refrigerarent, aut ſtupefacerent, & alia etiam, quæ inflammarent, aut arefacerent, nam liquor in parte tenuis, cutique proximus erat. Verum, quum quindecim integris exactis diebus, ab his præſidiis nil accidiſſet novi, niſi quod poſterius in loco, quatuor digitos a magno trochantere diſſito, alia ſe ſuppuratio in conſpectum daret, inſtituere tandem decrevimus apertionem in inguine, ut in ſede ad ſanguinem cohibendum omnium aptiſſima, ſi forte effectus dubitationi meæ reſpondiſſet.

Antequam vero tumoris inciſio fieret, magni eſſe momenti arbitratus ſum, tum Collegis, tum Ægrotanti ipſi, ejusque propinquis id omne aperire, quod agere conſtitueram, ne ſanguinem erumpere conſpicientes, animum illico deſponderent, præſertim Æger, cui fidem idcirco præſtiti, atque recepi, me jam ſatis efficax, ſi forte id fieret, præſidium excogitaſſe, præmonuique apertionem ſcalpello inchoàndam eſſe in ſede tumoris eminentiori, tenuiorique; alio enim a ſanguine erumpente humore, promptiſſimum, facillimumque mihi futurum, quantum e re eſſe videretur, inciſionem producere, cruore

autem ſincero exeunte, liberum me ei conceſſurum exitum, quoad totus illum coërcens ſinus exhauſtus fuerit, uberioremque etiam illius egreſſum paſſurum, ſi facile eum ferre Ægrotantis vires potuerint; dein valida compreſſione me eumdem eſſe cohibiturum, nec ſane dubitandum eſſe, feliciter id ceſſurum, dummodo externa compreſſio ad apertam uſque Arteriam pervenerit, ſuamque in illa vim exercuerit. Tandemque, tumoris cavo in bonam abeunde ſuppurationem, optimeque eam ob cauſam digeſto, Ægrotantem ſecundæ valetudini reddi poſſe; quinimo hanc unicam eſſe viam, per quam aditus illi ad priſtinam ſanitatem pateret.

Infelix Morellus hisce omnibus æquo animo aſſenſus eſt; ideoque poſtquam totum id apparavimus, quod ad ſanguinem cohibendum idoneum duximus, plures nimirum diverſæ cùm magnitudinis, tum figuræ, pulvillos, faſcias itidem longas, ſat validas, opportuneque conſtructas, ac æneas pelves, quæ humorem exciperent profluentem, id ſtrenue ſumus aggreſſi executioni mandare, quod nobis erat deliberatum.

Ambabus idcirco manibus compulſo humore verſus eum locum, qui præcidendus erat, verſus locum videlicet eminentiorem, tenuiori donatum cute, extremoque criſtæ Ilii quam proximum, Maximinus ex hoc incurvum ſcalpellum intra tumoris cavum elegantiſſime adegit. Sed illico, præter omnium exſpectationem, ſincerus inde ſanguis violenter erumpere viſus eſt. Caſus hic, etſi non obſcure a me præſagitus, omnes perterrefacere occœpit, ſi non aliam, hanc certe ob cauſam, quod ſanguinem magno impetu effluere ex inciſione a chirurgico ſcalpello facta conſpicerent. Sed ego animum erigens Ægrotantis, meisque manibus ænea pelvi excipiens cruorem, tam largæ illius copiæ exeundi poteſtatem feci, ut priori repleta, novam arripere pelvim coactus fuerim; neque finem impoſui ſanguinis eductioni uſque eo, dum color illius ex ſubpallido in vividiorem commutaretur; Ægerque in animi defectionem mox prolapſurus eſſe appareret.

Fuit ſanguinis exitus a Maximino apertioni pollicem digitum admovente cohibitus. Ego autem pulvillos gradatim applicans, eoſdemque faſciis validis fulciens, obtinui, ne ſanguis rurſus efflueret. Æger interim non ſolum nullo animi deliquio correptus fuit, ſed dolor etiam, ac febris penitus ab eo receſſerunt. Ille quidem protinus refectus eſt, eademque refectio, prout neceſſitas poſtulabat, iterata

identidem fuit ad diem uſque decimum tertium, abſque eo quod aut ſanguis, aliaque ſymptomata ſeſe iterum proderent, aut apparatus immutaretur.

Tranſactis autem his diebus, novus faſciarum apparatus fuit inſtitutus, priorique idcirco remoto, nihil ex inciſione effluere conſpeximus, niſi aliquantulum puris, quod ſatis oſtendere nobis potuit, Arteriam ruptam penitus occluſam jam eſſe, ab eaque nil ſanguinis amplius emitti poſſe. Ea propter nos ſedulo illius digeſtioni ſtuduimus, & licet hæc non copioſiſſima fuerit, oportuit tamen in interiori, ſuperiorique femoris ſede oppoſitam apertionem efficere, quam tandem menſe Novembri ad cicatricem una cum reliquis perductam eſſe libenter vidimus.

Animadversiones.

1. En quomodo hæc obſervatio duas illas ſuſtulit dubitationes, quæ meum animum divexabant; quum enim compreſſio, quam Iliaca externa perpeſſa eſt, tanta fuerit, ut major fieri non poſſet ad inhibendum, ut ne vel minima ſanguinis guttula per eamdem tranſiret, mihi tuto colligere datum fuit, ſanguinem univerſum, a quo Articulus nutrimentum ſuſceperat, per internam tantum Iliacam delatum eſſe; quumque hoc Aneuryſma, etſi ab interna cauſa productum, preſſionis beneficio fuerit ſanatum, mihi evidenter innotuit, compreſſionem valere ad Aneuryſmata quælibet perſananda, ſive cauſa eadem progignens externa fuerit, ſive fuerit interna.

2. Quantitatem ſanguinis, qui ex tumoris apertione effluxerat, Æger ipſe arbitratus eſt, ad libras duodecim acceſſiſſe, parumque is a veritate aberrare poterat, nam præterquam quod artis ſuæ peritiſſimus erat, mechanicas diſciplinas egregie quoque callebat. Nec ullus dubitationi locus relinquitur, Arteriam jam ab initio diſruptam hactenus apertam manſiſſe, nam & vividior, & rubicundior ſanguis ultimò effluxit, & prius quam coloris mutatio in illo fieret, animi deliquio tentatus Æger minime fuit, & effluentis ſanguinis copia in tumoris cavo contineri tota non potuit, & tandem ſanguinis exitus eodem impetu, quo inceperat, uſque ad ultimum perduravit. Omnia enim hæc apertè renunciant, cruorem, poſtremo loco emanantem, a ſanguinis per vaſa circuitu illuc delatum fuiſſe.

3. Ego ſanè definire minime poſſum, quænam Arteria fuerit diſrupta; ſed veroſimillimum eſt, eam fuiſſe Iliacam externam, quod compreſſionis capax extiterit, quodque in pluribus ejuſmodi caſibus eamdem ſemper dilaceratam invenerim.

4. Vividiorem quoque permiſi, & a circuitu delatum effluere ſanguinem, non eo tantum conſilio, quemadmodum ſuperius innui, ut tumoris cavum ex toto vacuaretur, ſed etiam ut circuitum ipſum debilitarem, quo ſanguinis impetus, in apertæ Arteriæ ſede imminutus, eumdem cohibendi ſanguinem mihi faciliorem anſam præberet.

5. Ad tumoris equidem perficiendam punctionem Acum adhibere poteram Barbettianam, ut fieri ſolet, quotiescumque exploranda eſt natura humoris in tumore contenti, potiſſimeque ſi adſit ſuſpicio Aneuryſmatis, in quo deſit pulſatio, quæ ſanè omnium certiſſimum illius indicium conſtituit; atque ut ad convincendum Medicum quemdam curantem, qui ejuſmodi Aneuryſma anteriorem occupans colli ſedem pro purulento habebat abſceſſu, ego aliàs jam feceram, abſque eo quod ullum a tali punctione incommodum oriretur. Sed in hoc caſu Acu Barbettiana uti nolui; mihi enim jam propoſueram, univerſum, ut dixi, extravaſatum ſanguinem evacuare, ut deinde præſidium, quod unicum in Chirurgica facultate ſupererat, compreſſionem ſcilicet, experirer. Hæc autem adeo ſtabilis, atque perfecta ſanatio fuit, ut paucos poſt menſes Morellus baculum pariter depoſuerit, nullumque aliud in illo incommodum relictum ſit, præter exiguam claudicationem, quemadmodum teſtari poteſt ſtudioſa ſancti Spiritus univerſa Familia, cui, ſanitati jam reſtitutus Æger, ac Noſocomium data opera petens, ſeſe ſpectandum objecit.

HISTORIA XVI.

Sub Martii menſis initium anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo arceſſitus ego ad Petrum Principem inſpiciendum Romanum, trigeſimumque ætatis annum agentem, eumdem reperi lecto affixum, vehementique correptum febri, nata ex dolore atrociſſimo, quem afferebat illi aneuryſmaticus inguinis dextri tumor, ſubter Falloppii ligamentum protenſus. Erat is quidem nativo colore præditus, durus, tactuique renitens, molem etiam æquabat ingentis

Cotonei mali, pulſuque violentiſſimo donabatur. Univerſus ad hæc articulus tenſiva, dolentique obſidebatur intumeſcentia, atque ita contractus erat, ut nulla amplius ratione diſtendi poſſet.

Beneficio nonnullarum venæ ſectionum, & compreſſivæ vincturæ tumori admotæ, datum mihi fuit, non dolorem tantùm, febremque valde lenire, ſed etiam illius volumen ita ſenſibiliter imminuere, ut in dies magis, magisque faſcias conſtringere coactus fuerim.

Integro quidem unius menſis ſpatio non deſtitit me in ſpem abducere ſanationis; verùm repente omni prorſus ſpe decidi, quum iterum nocturno tempore correptus Æger tam atroci dolore fuit, ut vel invitus abſcindere ſibi faſcias debuerit; ideoque poſtridie tanta ipſum tumoris mole oppreſſum inveni, ut nullus jam faſciis comprimentibus locus relictus eſſe videretur; neque deinceps quicquam prodeſſe viſæ ſunt reliquæ curæ omnes, & diligentiæ in Noſocomio, quo ipſe delatus eſt, adhiberi ſolitæ ad dolorem leniendum, refrenandamque exuberantiam tumoris, qui magis idcirco, magisque increvit in dies, & totam hypochondrii, inguinisque dextri regionem obſidens, ad femoris uſque medietatem ſe propagavit, durus ſemper, pulſansque ad alias quatuor hebdomadas permanens, quibus elapſis, Ægrotus noſter mortem obivit.

Tranſactis horis viginti quatuor, accedere conſultum duximus ad inſpiciendum, rimandumque Aneuryſma; quamobrem, aperto imo ventre, tanta ſe nobis objecit concreti ſanguinis copia, ut hæc ſuperius per totam Pſoas muſculi longitudinem, inferius autem pene ad dimidium femur protenderetur. Omni igitur coagulato ſanguine educto, cultroque anatomico communis iliacæ arteriæ directionem ſequentes, interna vix pollicem tranſverſum tranſacta iliaca, invenimus in externa rupturam aneuryſmaticam, quæ ſpatio quatuor digitorum tranſverſorum extendebatur verſus ligamentum Falloppii, ubi ipſa arteria nomen cruralis acquirit.

A N I M A D V E R S I O N E S.

Hic autem in medium mihi adducenda eſt circumſtantia quædam, quæ ad illuſtrandam non prognoſim tantum, ſed & horum morborum curationem plurimum facit, quæque non minoris etiam momenti erit ad quoſdam intelligendos effectus, qui in ſectionis hujus

progreſſu obſervati ſunt. Adnotandum eſt igitur, hoc in caſu arteriæ rupturam interiorem fuiſſe, hoc eſt in iis arteriæ tunicis ortam, quæ os ſubjectum reſpiciunt, illudque carie affeciſſe valde notabili.

Ex eo igitur, quod hæc arteria diſrupta fuerit interius, ubi magnam in oſſe ſubjecto reſiſtentiam invenerit, non verò exterius, ubi reſiſtentia nulla ipſi occurreret, atque ex eo pariter, quod non ſuperficialis, verum profunda fuerit allata caries, utpote quæ ſua longitudine, latitudine, atque profunditate cum manus pollice conferri poſſet, nobis colligere datum eſt: Primo, cariem hanc longe prius, quàm rumperetur arteria, factam fuiſſe, quemadmodum ego in pluribus Aneuryſmatibus deprehendi, etiamſi rupta eſſent in ſede ab eodem oſſe remota, aut etiam integra permanſiſſent, ut videre eſt in ſiniſtra clavicula magni Aneuryſmatis arcum Aortæ obſidentis Tab. III, Fig. II. Secundo, hanc ipſam cariem quam maxime obſtitiſſe felici curationis eventui, cujus ſpes magna integro menſis intervallo nobis affulſerat. Quum enim arteria cariei obverſa ab oſſis inæqualitate per inſtitutam vincturam inæqualiter comprimeretur, rationi conſentaneum eſt, faſciarum preſſionem Aneuryſmati admotam, ad accelerandam potius, quàm ad inhibendam valuiſſe arteriæ rupturam. Tertio, hujuſmodi eventum nobis pro regula generali inſervire poſſe in aliarum quoque partium Aneuryſmatibus, & potiſſimum in Aneuryſmatibus poplitis, in quibus id ego pluries veriſſimum deprehendi. Si videlicet Aneuryſma quoddam in hiſce ſedibus ſanitatem non recipit, non ſemper hoc repetendum eſſe a methodi, qua ego utor, defectu, ſed potius ex carie in oſſe forſitan exiſtente. Quarto, hinc pariter factum eſſe, ut ſanguis, ſub ipſa arteria per totam ipſius longitudinem ſibi viam patefaciens, Falloppii ligamentum tranſierit, femoris pene dimidium obſederit, hujusque articuli ita capſulam lacerarit, ut femur inde luxatum fuerit; factumque demum fuiſſe, ut ipſa arteria, a concreto ſanguine antrorſum ſublata, & compreſſa fuerit adverſus Peritoneum, adverſus muſculos, ipſamque cutem, atque ita quidem, ut cylindrica ſua naturali figura orbata, mirumque in modum depreſſa impar evaſerit ad ſanguinem verſus articulum afferendum.

Ejuſmodi caſus in me cupiditatem maximam excitavit conſiderandi totius cruralis arteriæ tractum. Eapropter incipiens ego ubi aneuryſmatica diſruptio finem habebat, ibidemque ſectionem longi-

tudinalem inſtituens, arteriæ cavum jam ſolito minus eſſe conſpexi, quumque hoc magis, magisque poplitem verſus extenuaretur, mihi penitus occluſum, antequam ad illum accederet, viſum fuit. Sed re accuratius inſpecta, cognovi, tantum in arteria cavi relictum eſſe, ut Anellianum ſpecillum poſſet admittere; quamvis id ægre fieret ob plicas, quas arteriæ ſe contrahentis interna membrana fecerat. Poplite autem tranſacto, ſe rurſus dilatabat arteria, quemadmodum videri poteſt in Fig. III, Tab. I. delineatæ ex archetypo, qui adhuc penes me eſt.

Popliteæ hujusce arteriæ anguſtatio evidentiſſime mihi videtur evincere, cruralem arteriam, ob compreſſionem in Aneuryſmatis loco a coagulato ſanguine factam, non amplius ex Iliaca externa recipere potuiſſe ſanguinem, ut illum ad articulum ferret; ſecus enim poplitea non valuiſſet unquam ita reſtringi. Eadem vero, tranſacto poplite, rurſus naturaliter patefacta ſatis etiam oſtendit, talem eam permanſiſſe a ſanguine ab arteriis cruralibus jugiter derivato, ab illo ſanguine ſcilicet, qui vincturam alteram in hac operatione neceſſariò requirit, velut in cubiti, poplitisque flexura fieri debere ſuo loco ſtatutum eſt.

Beneficio vincturæ in Iliaca exteriori factæ, ac beneficio aquæ calidæ luteo infectæ colore, ſyphoneque in internam Iliacam impulſæ, ſatis idoneum ad nutriendum articulum ſine ullo Iliacæ exterioris auxilio ego jam circuitum inveneram. Luteam enim impulſam aquam prodire videram ex arteriis, perreptantibus articulum pedis, quem ipſe nuper abſtuleram. Verum popliteæ hujusce arteriæ anguſtatio me impulit ad aliud inſtituendum experimentum, quod me doceret, utrum, Iliaca exteriori, ſimulque poplitea vinculo adſtrictis, impulſoque in Iliacam internam liquore, hic per diſſectas jam memoratas arterias exitum æque ſibi inveniret, ac fieri videram, dum exterior tantùm Iliaca ligata eſſet. Prius igitur hanc ſolùm vinxi, injectusque liquor de more ſatis copioſus profluxit; poplitea deinde quoque revincta, liquorem ſane effluere conſpexi, ſed longe lentius, parciusque.

Ex hac ſenſibili differentia evidenter colligi poſſe reor, interiorem Iliacam, poſtquam exterior vinculo adſtricta fuit, ad ſanguinem tranſmittendum in univerſum articulum ſibi ſociam adjungere etiam popliteam arteriam. Ideoque patet, arteriam cruralem, antequam

popliteæ nomen aſſumat, ope lateralium vaſorum haurire ſanguinem, ab Iliacæ internæ propaginibus derivatum; concludique inde poteſt, ſanguinem hunc eum fuiſſe, qui apertam ſervaverit viam illam anguſtam, quæ reperta fuit in Arteria poplitea Fig. III, Tab. I. De internæ vero Iliacæ anaſtomoſibus clariſſimus Winslowius jam plura memoriæ tradidit. Hæc autem experimenta ſufficienter evincunt, Iliacæ internæ propagines, tam ante poplitem, quàm poſt illum, cum Arteriæ cruralis propaginibus communicantes, circuitum, ad nutriendum articulum etiam ſine exteriori Iliaca ſatis idoneum, efficere.

Aliud evidentiſſimum documentum, quod plane neceſſaria ad nutriendum articulum externa Iliaca non ſit, ex obſervatione capere poſſumus, mihi tradita ab alias laudato Petro Javina. Quum eam enim in ſancti Spiritus Noſocomio ipſe fecerit, ejus ego teſtis oculatus jam fui, eandemque hoc potiſſimum nomine huic volumini inſerui. Ex illa ſiquidem clare patet, exteriorem Iliacam, ob ſuppuratum inguinis Aneuryſma, ita corruptam fuiſſe, ut in duo capita diducta fuerit, etſi Æger tot deinde diebus vitam produxerit, quot ipſe narrat, neque ex articuli gangræna decedere viſus ſit.

HISTORIA XVII.

Quinto Idus Octobris 1765, in ſancti Spiritus Noſocomio lecto accipiebatur Petrus Antonius Ferrari coquus, quadrageſimum ætatis annum agens, qui cùm prima vice a me ſequenti mane inviſeretur, inventus eſt cacochymo corporis habitu præditus, continua, lentaque detentus febri, legitimoque Aneuryſmate, pugni, grandioris nempe manus magnitudinem exedente laborans, quod trimeſtri ab hinc ſpatio in ſiniſtro inguine originem nanciſcebatur ſuam, & ſurſum, ac deorſum, abdomen ſcilicet, coxamque verſus, nonnihil extendebatur.

Tumor, qui aderat tunc temporis, aliquomodo eſſe circumſcriptus; ac vehementer pulſare cernebatur; continuis doloribus, præſertim vero ſub noctem acerbioribus, Ægrum afficere conſueverat, ex quo cauſam percunctanti mihi, externam fuiſſe quum accepiſſem nullam, venerea ex labe omnimode derivandam eſſe, ex multis cicatricibus innotuit.

Sanguis miſſus, & ſpongia, ex egelida poſca expreſſa, tumori impoſita, doloris etſi quandoque lenirent acerbitatem, vehementius

tamen paulo poſt pulſatio, & dolor augebantur; ſed hæc, poſtquam major in dies tumor factus in magnam excreverat molem, leviora fieri cœperunt, atque tertio decimo tandem kalendas Novembris magna cum tumoris depreſſione, nec non per internum plusquam dimidiæ coxæ latus propagatione, levi prægreſſo fragore, evanuerunt.

Verum exinde Œdema, quo leviter antea pes tantum afficiebatur extremus, cum caloris, ſenſus, motusque deperditione ſic excreverat, ut univerſi pedis hujusce vita in apertum diſcrimen veniret. Continuò idcirco linteum quadruplex, ex vini ſpiritu cum camphora expreſſum, imponi calide, & quam ſæpiſſime curavi, quo quidem præſidii genere, quadraginta horarum ſpatio, pars in integrum pene, Œdemate valde imminuto, reſtituebatur.

Interim tamen in gangrænoſa tubera ſub inguine elevabatur tumor, quæ pridie kalendas Novembris ſub lucem diſrumpebantur, cùmque fœtentium humorum colluvie inquinatum ſummo mane ægrotum inveniſſem, diſciſſis, remotisque faſciis, ac ſpleniis, quæ ante dies octo, quam hæc acciderent, parti applicaveram, quo eſſent impedimento, ne ex inopinato, tenuiſſima tumoris perrupta cute, exanguis fieret, magna inde nigerrimi ſanguinis copia, partim in grumos concreti, partimque in fœtidam ſaniem diſſoluti per fatiſcentia tubera, coccinei vero (quod maxime, ne fieret, verebar) ne guttula quidem effluente, effundebatur.

Quare Ægro obſita illuvie depurgato, plagam linamentis quam molliſſime impleri, & linteis ex egelida poſca, quolibet altero die circumducta faſcia, velari curabam, atque per hæc, velamenta communia, nec non aneuryſmaticus ſaccus, cum annexis vaſis, nervis, membranisque, quæ ab inguine ad mediam uſque coxam, & ultra computruerant, octidui ſpatio, quod ſponte abſque diſtractione fieri ſinebam, abſceſſerunt. Hinc factum eſt, muſculis, Pectineo, Iliaco, atque Pſoas parte infera, Sartorio, anteriori denique Tricipitis portione, denudatis, & a putredine vindicatis, triangularem alveum, poſtremis hisce geminis præcipue interclusum, ab inguinis ligamento ad ſedem uſque, qua decuſſatim implicantur, vaſis, nervisque cruralibus in eodem alveo excurrentibus, a putredine penitus deſtructis, expoliatum, rubentemque apparuiſſe.

Cùm eo loci res eſſet adducta, Tibi, Vir clariſſime, qui ſponte ad Ægrum inviſendum, rei novitate motus, acceſſiſti, non ſine admiratione inſpicere datum fuit.

Quo vero ſordibus evacuaretur Abdomen, in externum ulcus continue dilabentibus, ſcalpellum, ductore indice ſiniſtræ manus digito, per hiatum, qui tunc ſub ligamento inguinali patens erat, indebam, cujus ope ligamentum hoc, Abdominis muſculos, nec non velamenta communia, lata ſatis diſcindebam plaga, ſicque internum aneuryſmaticum cavum in apertum ponere, denſioribus ſordibus expurgare, eidemque cavitati feliciter adeo medicinam, quæ omnis in linteo carpto conſtiterat, mihi facere contigerat, ut cicatrix cum proximæ valetudinis ſpe proſperæ quaquaverſum duceretur.

Attamen attenuatus Æger, valentiſſimis licet juſculis aleretur, macie magis magisque conficiebatur, ſic ut quinto tandem kalendas Decembris maraſmo abſumptus fuerit.

Reſerato die craſtina cadaveris Abdomine, viſcera omnia ſecundum naturam, ſi glandulas Meſenterii, lymphaticasque nonnullas circa lumbos, mole nonnihil, ac duritie auctas, exceperis, reperta ſunt. Arteriam vero Iliacam communem ſiniſtram, quam Peritoneo exuebam, cùm eo uſque diffidiſſem, ubi in Iliacas minores diſpertitur geminas, externam ſcilicet, internamque, quæ & hypogaſtrica nuncupatur; Iliacæ externæ oſculum (Arteria pervia manente hypogaſtrica) duriſſimo, conoideoque operculo ſex fere lineas longo ex lympha concreta, cui archetypo fuerat, quin parietibus adhæreſceret vaſis, efformato obturari cernebam, quo ſublato, inditoque in conicum archetypum hunc ſpecillo tenuiſſimo, Arteriam vix penetrabilem eſſe adnotabam. Quare hanc velamentorum, muſculorumque Abdominis diſciſſionem in Aneuryſmatis cavitatem uſque, Peritoneum ſcilicet inter, & muſculos Pſoas, atque Iliacum internum, a quibus, ſanguine ex perrupto tandem Aneuryſmatis ſacco in celluloſam ejuſdem Peritonei epiphiſim erumpente, divellebatur, proſecutus ſum, ſicque amplius duos pollices ab ima operculi ſede detruncatam, ſub eoque craſſiorem quadruplo, ovalis figuræ, & ligamenti adinſtar duram, atque imperviam, cujus extremo laciniæ, diſcerptis veluti ſacci fruſtulis, ſuſpendebantur, Pſoas muſculo adhærere advertebam.

Arteriæ Iliacæ ovalem hanc partem polypoſa ſubſtantia variæ denſitatis adeo infarctam eſſe diſcindendo adnotabam, ut tunicarum ejuſ-

dem forma penitus deſtructa, in uniformem maſſam ſpongiæ ceræ imbutæ ſimilem, transformata videretur.

Oſſa Ilei, atque Pubis eo loci, ubi Arteria iliaca externa ex Abdomine in cruralem abitura egreditur, ibidemque in inguine, ubi Aneuryſma ortum habuit, profunda adeo obſidebatur carie, ut Choroidea cavitate nigrities late, apprimeque retegeretur.

Cruralis denique Arteriæ caput inferius tenui, ac fimbriata extremitate a ſartorio muſculo, cui nonnihil adhærebat, circa medium coxæ, nullo interpoſito ſanguinis coagulo, cogebatur.

Sed iterum ſectionem cadaveris aggrediamur. Quum igitur, dum Patiens vitam agebat, ex pulſante in illius carpis Arteria, ex cordis palpitatione, & ex ſpirandi difficultate, oborta mihi ſuſpicio eſſet de vitio quodam in ipſo corde, aut in Aortæ arcu exiſtente, partes has inſpicere volui, totumque revera Aortæ arcum inveni Aneuryſmate affectum. Erat enim duplo major, quàm naturaliter eſſe ſoleat, habebatque in faſtigio ſuo debilitationem, aut hernioſum potius tumorem, qui magnitudine ſua ingens gallinæ ovum æquabat. Patefactis deinde, tum Aortæ arcu, tum etiam hernioſo ejuſdem tumore, interna illius ſuperficies aſpera quidem, ac inæqualis apparuit, ſed nullus tamen innotuit in ea ſubſtantiæ defectus, hujus autem craſſities tertia ſaltem parte imminuta, ideoque rupturæ proxima deprehenſa fuit.

Nihil aliud ex hac Anatomica ſectione ego chartis mandari ſtudui, præter deſcriptam anguſtioris redditæ popliteæ Arteriæ figuram, utpote quæ potiſſimam mihi viſa ſit conſiderationem mereri. Etenim, quoad reliqua, aliam ego longe majoris momenti obſervationem habebam, cujus hiſtoriam, ſectionem, atque figuras breviter hìc attingere expediet.

HISTORIA XVIII.

OBSERVATIONIS hujus ſubjectum Juvenis fuit octo, & viginti annos natus, ſanguineo bilioſo temperamento, ac mediocri ſtatura præditus, & jampridem celtica lue male affectus, qui in meis de Aneuryſmatum materia primis inquiſitionibus ad Divi Gallicani Noſocomium ſe contulit, duos geſtans tumores, in unoquoque ſane inguine unum, utroſque vero communis pomi magnitudinem, &

ſiguram habentes, qui licet dolorem nullum afferrent, nativumque partis exhiberent colorem, ea quidem pulſatione ſtipati erant, ut promtiſſimum mihi fuerit pro duobus Aneuryſmatibus eosdem agnoſcere, etſi impoſitum utrique repererim emolliens Caleſtani ceratum, eo quod venerei duo bubones habiti a Chirurgo fuiſſent.

Nullum per id temporis Ægrotanti opportunius conſilium præbere valui, niſi ut ad aliquot hebdomadas ſe lecto traderet, quemadmodum revera ipſe fecit. Hoc autem tranſacto temporis intervallo, tum ob quietem, ſanguinisque miſſiones, tum ob admotos pulvillos adſtringenti decoctione madentes, tæniisque firmatos, tum etiam ob vitæ accuratum regimen, duo hæc Aneuryſmata melius ſe habere cœperunt; ſed tunc prædictus Ægrotans, quod huic forſan vitæ regimini ſeſe ſubtrahere cupiebat, quodque nullo afficeretur dolore, voluit e Noſocomio diſcedere, quamvis adhuc pulſatio in utroque tumore valde ſenſibilis permaneret.

Quum illum in Noſocomio amplius retinere nequiverim, ipſi auctor fui, ut, morbo ſaltem ingraveſcente, ad idem Noſocomium reverteretur, ſicuti, duobus circiter elapſis menſibus, ſedulo factum ab illo fuit. Ambo hæc Aneuryſmata tunc temporis reperta ſunt valde adaucta; at ſiniſtrum deprehenſum eſt longe adhuc dextero majus, quod, utpote ſpurium, univerſam inguinis, ſiniſtrique hypochondrii regionem in tumorem attolleret, ſeſeque tactui molle exhiberet. Dexterum autem, quod verum eſſet, circumſcriptum permanebat, durumque; etſi in utroque manifeſta percipiebatur pulſatio. Omnes profecto, quæ tunc adhibitæ his a me ſunt, diligentiæ fruſtra fuerunt; Ægrotus enim intra unius menſis intervallum, abſque eo quod Aneuryſmata hæc extrorſum diſrumperentur, vita deceſſit.

Horis viginti quatuor elapſis, quum ego ſectionem utriusque Aneuryſmatis inſtituerem, ita cuncta ſe habere deprehendi, quemadmodum exhibentur in Tab. II, ubi totus etiam Aortæ tractus, & cor ipſum delineantur, ut quædam aneuryſmatica principia in eadem Arteria oborta una cum peculiari dextræ ſubclaviæ vero Aneuryſmate oſtenderentur.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

Animadvertendum ſane eſt, me in hac exhibenda Tabula non alio ſpectaſſe, niſi ut vitia aneuryſmatica demonſtrarem, quæ in unico ſubjecto tot varietatibus inſignita, vix aut ne vix quidem reperiri poſſe arbitratus ſum; in vero enim dexteræ iliacæ externæ Aneuryſmate ſumma cernitur naturæ providentia, quæ perforatum ſanguinis grumum ſervavit, ut per Arteriam Aneuryſmate affectam, liberum ſanguis iter offenderet, cautumque ſic fuit, ne Aneuryſma præter modum increſceret, atque, ut articulus nutrimentum facili negotio ſuſciperet. Hæc naturæ ipſius providentia haberi poteſt tamquam exemplum in internis Aneuryſmatibus, quæ quoniam longam nonnunquam Ægrotanti vitam non denegant, ac interdum omnia, quibus ſtipabantur, ſymptomata omnino amittunt, falſam ingenerant opinionem, Medicinæ Profeſſores toto erraſſe cælo in eorumdem conſtituenda, affirmandaque præſentia, velut deinceps altero ego patefaciam exemplo.

Spurium externæ ſiniſtræ Iliacæ Aneuryſma, & ipſum peculiare cenſeri debet, ob vaſtum potiſſimum Arteriæ hiatum, qui in ſecunda ejuſdem Tabulæ Figura cernitur. Peculiare quoque eſt ſubclaviæ dextræ Aneuryſma, eoque magis redditur tale, a parvo illo foramine ſupra aneuryſmaticum circumſcriptum tuberculum nota (*) inſignito, quod parum abfuit, quin intra ipſum Arteriæ cavum ſe penetraverit, ac per ſe ſolum inopinatam, & repentinam Ægrotanti mortem attulerit. Denique tum ex hac, tum etiam ex præcedente obſervatione, ob varietatem locorum, in quibus tot Aneuryſmata unico in ſubjecto efformata ſunt, evidenter colligi poteſt, nos, quotieſcunque ab acri, corrodentique hæc humore gignuntur, nunquam pro certo affirmare poſſe, unicum tantum eſſe in corpore vitium, unicumque tumorem aneuryſmaticum, ac uni medentes Aneuryſmati externo, prohibere minime poſſe, quin internum aliud Ægrotum e medio tollat. Hæc enim Aneuryſmata interna citius externis homines interficere ſolent, quod in eiſdem celeriter Arteria deſtruitur, velut contigit in Aneuryſmate externæ Iliacæ, quemadmodum videre eſt in Tabulæ ejuſdem Figura tertia, ubi parvus deprehenditur aneuryſmaticus ſaccus, quod tempus ſe magis expandendi haudquaquam habuerit. Atque hoc ſimiliter Aneuryſma in

venereorum bubonum numero habitum fuit. Talis hallucinatio, qua Profeſſores adeo frequenter capiuntur, ad hoc ipſum indicandum me impellit, ut magis in poſterum ab hoc errore Chirurgi ſibi cavere enitantur. Semper enim errores hujuſmodi contigerunt; nam mea quoque ætate hic ferro candenti, ille potentiali igne, alius ſecante cultro ſimilia aperire Aneuryſmata conatus eſt, ſicuti nuper hîc Romæ in flexione cubiti a mediocri Chirurgo, & in Poplite ab externo Cœnobita empyrico factum fuit. Aſt in utroque caſu paucarum horarum ſpatio Æger e vita deceſſit.

Si Chirurgus, qui Aneuryſma in flexione cubiti perforavit, quod illud abſceſſum eſſe crediderit, cognitionem habuiſſet Aneuryſmatis, quo conflictatus Morellus fuit, aut illud minime aperuiſſet, aut eamdem fortaſſe, quam ego ſuſceperam, in eo curationem expertus eſſet. Si pariter Cœnobita, ac Ægrotus poplitis Aneuryſmate affectus, majorem fidem alteri adhibuiſſent Chirurgo, qui jam illud Aneuryſma eſſe dixerat, allatum ſane infortunium haud contigiſſet.

DE SUPERIORIS SURÆ PARTIS ANEURYSMATIBUS.

Studui quoque, ut viam invenirem aliquam ad ea perſananda Aneuryſmata, quæ in ſuperiori Suræ parte contingunt, in quadam ſcilicet ex tribus Arteriis, quæ ſunt Tibialis anterior, Tibialis poſterior, & Peronæa; ſicut etiam ad Aneuryſmata perſananda, quæ obſident extremum Popliteæ, priusquam in tres prædictas Arterias ea diducatur. Sed licet quater id pertentaverim, nunquam tamen ex animi ſententia res hactenus mihi ceſſit. Non equidem periculum feci vinciendæ tantum Arteriæ in principio, & fine tumoris, ob difficultatem inter tam validos muſculos eam ſeparandi Arteriam, quæ Aneuryſmate affecta fuerit, extricandique a reliquis partibus tumorem integrum, abſque eo quod ſanæ etiam Arteriæ eodem tempore præcidantur. Nec auſus inſtituere Arteriæ ejuſdem vincturam, aperiendo prius, evacuandoque aneuryſmaticum ſaccum; altitudo enim muſcularis, ingensque tumor, quem ego ſemper offendi (ſemper enim hujuſmodi Ægrotantes ad Chirurgiam ſero confugiunt) nimis difficile reddunt invenire modum vinciendi duo orificia cum aneuryſmaticæ Arteriæ ſacco communicantia. Quod unice ſum expertus, compreſſio fuit, eaque gradatim facta, non modo ut hîc

pariter fauſtum illius, & felicem exitum explorarem, ſed etiam ut ſaltem ad inflammationem compellerem aneuryſmatici tumoris circumferentiam, ſuppurationemque inflammationis pediſſequam obtinerem.

HISTORIA XIX.

Unicus mihi contigit caſus, qui ſub initium priori ſcopo apprime reſpondere viſus eſt, ſed deinde ab incepto curſu ita deſtitit, ut longiſſimo tranſacto tempore, quum prorſus nimium Ægroti vires jam fractæ eſſent, ad ſecundum ſcopum pervenerit, hoc eſt ad ſuppurationem, quæ in corruptelam cito delapſa interfecit eumdem Ægrum, annos licet natum viginti quatuor, gracillimum tamen, nullique parem operationi, ex qua vel ſuppuratio, vel effuſio ſanguinis naſceretur.

HISTORIA XX.

Aliud Aneuryſma huic ſimile quoad ſedem, quam occupabat, verùm ab hoc ſui curſus ratione longe diverſum, ſe mihi objecit in ſancti Spiritus Noſocomio, inter Ægrotantes hìc mihi creditos numero quarto, ubi XV kalendas Martias anni 1770 Juvenem reperi, trigeſimum ætatis annum agentem, ſanguineo melancholico donatum temperamento, nomine Benedictum Antonium Bartolum, natione Venetum, artemque famuli profitentem. Tumor hic aneuryſmaticus in Suræ dextræ principio proxime a poplite ſitus erat, referebatque cùm mole, tum figura gallinaceum ovum, durus iis quidem, tactuique indolens, ſed qui tamen adjunctam valde ſenſibilem pulſationem haberet. A diuturna ambulatione, quum pondus, inflatio, triſtisque ſenſus in tumoris ſede, atque in Achillis tendine increſcerent, lecto ſe tradere cogebatur. Etſi vero violentos Æger prædicti articuli motus, tamquam hujusce morbi cauſam, agnoſceret, faſſus eſt tamen, ſe etiam venerea lue laboraſſe.

Situs hujus Aneuryſmatis, ut innui ſuperius, anceps nimis erat, neque vincturæ opportunus. Quocirca, duabus prædictis innixus indicationibus, quoniam hic Æger maximis pollebat viribus, ad compreſſionem inſtituendam me contuli. Eapropter, facta prius idonea ſanguinis miſſione, rigidoque Ægrotanti imperato vitæ regi-

mine, nonnullos dies ſola lecti quiete eundem tranſigere paſſus ſum; ut nimirum diſſiparetur ob Aneuryſma ad crus, & ad pedem delatus humor, qui illuc ex ambulatione confluxerat. Compreſſiva deinde vincula admovi, ea ſcilicet a ſuperiori Suræ parte ad inguen uſque producens. Verum, etſi compreſſio mediocris eſſet, dolorem hæc ita acerbum, atque vehementem movebat, ut quamvis alia ſanguinis miſſio foret adminiſtrata, relaxare nihilominus admota vincula coactus fuerim.

Quum autem cognoſcerem, ex hac vinctura vel nullam prorſus, vel ſaltem nimis parvam in morbi ſede compreſſionem contingere, nonnullis tranſactis diebus rurſus eamdem inſtauravi. Hæc autem etſi valde moderata erat, in cauſa nihilominus fuit, cur non ſolum idem reverteretur acerbiſſimus dolor, ſed totius quoque articuli intumeſcentia conſurgeret, cum tam immani, ſpaſmodicoque in planta pedis dolore, ut eam omnino diſſuere, atque reſcindere debuerit Æger ſub noctem, quam placide deinde tranſegit. Hoc attamen non obſtante, ego rigidum vitæ genus, opportunas miſſiones ſanguinis, compreſſionemque in Ægrotante haud omiſi, ſed fruſtra ſemper propter allata ſymptomata, quæ illico præſto erant, præcipueque propter ſpaſmodicum in pedis planta, immanemque dolorem, cui reluctari, & reſiſtere Ægrotus nequaquam poterat.

Ingens interea tumor incrementum ſuſcepit, quumque dolens, & inflammatus redditus eſſet, ego illum XIV kalendas Majas penitus a compreſſione liberum eſſe oportere arbitratus ſum, ideoque linteum illi dumtaxat unguento roſaceo madidum, ſolaque continente faſcia illigatum impoſui. Hac autem ratione, duabus elapſis hebdomadibus, omnia dolorem facientia evanuerunt ſymptomata, ac febris etiam, quæ ſupervenerat, ab Ægrotante receſſit. Quum autem illum non amplius dolore affectum, ſed in perpetua tranquillitate poſitum ego me viſurum ſperarem, improviſo ſpaſmodicus in planta pedis, appetente nocte, reverſus eſt acerbiſſimus dolor, qui non leniebatur, niſi miſſione ſanguinis, licet hæc nihil omnino ad inhibendum tumoris incrementum conferret. Quapropter VII Idus Julias tertiana duplici, eaque, prout tunc temporis graſſabatur, putrida, pernicioſaque correptus, XVII kalendas Auguſti mortem oppetiit.

Horis elapſis viginti quatuor, ad tumorem examinandum acceſſi, non ſolum, ut naturam inſpicerem Aneuryſmatis, ſed etiam ut

cauſam, ſi fieri poſſet, cognoſcerem ſpaſmodici, inſuetique doloris, qui in hujuſmodi caſibus ſe mihi nondum obtulerat. Separatus eſt igitur diligentiſſime tumor, vaſorumque, ac cruralis nervi directio talis omnino relicta fuit, qualis in conſpectum ſe dedit, a naturali tamen ſitu recedens exhibetur in Tabula V[ta], quam ad vivum expreſſam deſcribi lineis curavi, & ex qua Lector omnia intelligere poterit.

Animadversiones.

Aperto tumore, innotuit, eum fuiſſe Aneuryſma ſpurium, etſi legitimum eſſe videretur; Arteriæ enim expanſio vix tertiam ſacci partem excedebat, ac tumoris reliquum efficiebatur a ſtratis polypoſis ſanguineis contentis in quadam cyſtide, quæ a cellulari membrana, ac muſculis facta fuerat. Tumor igitur, quamvis ſpurium eſſet Aneuryſma, poterat in inſulam redigi ad vincturam, ut alias dixi, efficiendam, ni ſitus timorem mihi incuſſiſſet. Sed hæc obſervatio eumdem mihi timorem non parum auxit, quoniam ad perficiendam vincturam mihi neceſſe fuiſſet nervum, venamque ſimul conſtringere, & quod magis ad rem facit, ex vinctura inferiori tres debuiſſent ramificationes deleri, a quibus, ope lateralium vaſorum cum ipſis communicantium, circularis continuatur ſanguinis motus in inferioribus partibus. Multo minus expediebat methodum aggredi aperiendi tumoris, quod hoc in caſu fieri non poterat, quin neceſſario ita expanſus nervus in ipſa apertione diſſecaretur.

Hactenus deſcripta loca non ea ſunt dumtaxat, in quibus Aneuryſmata producantur, ſed hæc fieri poſſunt ubicumque Arteriæ perreptant, ideoque in tumorum curatione Chirurgus ea ſemper præ oculis habere debet. Quod ut oſtendam a veritate alienum non eſſe, duo tantum exempla adduxiſſe in medium ſufficiet, quæ noviſſima ſunt, utpote quæ hoc eodem an. 1770 mihi in conſpectum ſe exhibuerunt.

DE MANUUM PEDUMQUE ANEURYSMATIBUS.

HISTORIA XXI.

PRIMUM contigit menſe Martio in equiſone Joanne Pariſio Romano, quadraginta quinque annos nato, ſanguinea temperie prædito, vinique ſummo bibone, nunc autem ſtabulario Excellentiſſimi Marchionis Angeli Gabrielli. Ab eo igitur oſtenſus eſt mihi tumor, qui in dextræ manus vola ab aliquot menſibus ortus erat, eam præciſe regionem obſidens, quam Græci Hypothenar dicunt. Circumſcriptus is erat, aſſurgebatque ad communis pomi altitudinem, indolens quidem, naturalique colore præditus, ſi ejus circumferentiam exceperis, in cujus radice violaceus color aſpiciebatur. Summe quoque erat tenſus, non pulſans, digitorumque preſſioni tympani ad inſtar renitens. Cutis denique eumdem contegens, calloſa prorſus evaſerat. Hæc omnia in unum hîc coëuntia phænomena, menti confuſionem quum parerent, tempus mihi ſumendum fore arbitratus ſum, edixique Ægrotanti, ut ad me ſæpe rediret, quemadmodum reipſa fecit intervallo trium circiter menſium, quibus tranſactis, quum offendiſſem tumorem magnitudine adauctum, non nihil fluctuationis tangentibus digitis exhibentem, cuteque tectum jam maxime attenuata, cenſui, non amplius differendam eſſe illius curationem, Ægrumque idcirco ad Noſocomium ſancti Spiritus miſi, ut ibi inter eos Ægrotantes collocaretur, quorum medela ad me ſpectat. Quatuor igitur elapſis diebus, quum cognoſcerem, cutim minitari rupturam, ſatius exiſtimavi, tumorem hunc per longum ſecante ferro aperire, ut viderem, quid in eodem contineretur; & revera rem acu tetigi; tanto enim impetu ſanguis ex inflicto vulnere erupit, ut ego cum aſſidentium plerisque ab eo fœdati fuerimus. Quumque viderem ſanguinis exitum rivi inſtar violenter continuare, omne integumentum illico abſcidi, a quo ſanguis continebatur, effecique, ut pollice aperta arteria comprimeretur, donec, injecta medio humero ligatura, datum mihi fuerit, tum linamentis ſiccis, atque pulvillis, tum etiam compreſſiva deligatione Ægrotantem ab hæmorrhagia tutum reddere, quod mihi ſane, humeri vinculum inſenſibiliter relaxando, pulchre innoteſcere debuit.

Uſque ad ſequentis diei veſperam, videlicet quadraginta duarum

horarum ſpatio, nullus jam ſanguis apparuit, & idcirco tunc temporis nova ſuccrevit hæmorrhagia, quod Æger manum imprudenter movere cœperit, quumque ſerum illi auxilium acceſſiſſet, jactura ſanguinis tanta fuit, ut extrema eum ſacroſancta Unctione muniverint. Ex hoc incommodo quum Æger cautior effectus eſſet, nullus deinde ſanguis apparuit, vulnusque inde factum viginti ſex diebus ad ſanitatem pervenit.

Animadversiones.

Integrum mihi haudquaquam foret decernere, ex quanam arteria Aneuryſma hoc ortum eſſet, a primo ne videlicet ramo, quem cubitea ex palmari arcu plerumque mittit ad hypothenar, an ab ipſo cubiteæ arcu palmari? Inſignis hæmorrhagia potiſſimum arcui favet; propago enim, quæ ad hypothenar defertur, exilis nimium, tenuisque videtur eſſe, nec ad tantam effundendam ſanguinis copiam idonea.

Ab hoc Aneuryſmate duo practica documenta colligi poſſunt, nimirum primo, licet arteria aperta parva eſſe judicetur, elapſæque fuerint horæ viginti quatuor, atque etiam triginta ſex, nondum tamen eam probe eſſe clauſam pro certo nobis habendum. Secundo, in tumoribus, generatim loquendo, plures ob cauſas, jam ſatis notas, non ſemper, ut inciſioni parcatur, exſpectandam eſſe cutis ipſius corruptelam; nunquam autem id eſſe faciendum in tumoribus dubiis, qualis hic erat, & cujus naturam me penitus ignoraſſe jam faſſus ſum; ſi enim hic tumor ſua ſponte nocturno tempore diſruptus eſſet, Æger profecto repente mortem oppetiviſſet.

HISTORIA XXII.

Secundum exemplum pridie kalendas Junias an. 1770 mihi ſuppeditavit diſcipulus quidam meus, nunc Chirurgus Longiani conductus, eam ſane ob cauſam, ut ego meam illi opinionem de eodem communicarem. Sanguinem is eduxit ruſticæ Juveni e vena, quæ tarſum, metatarſumque perreptans, præ cæteris maxime in conſpectum ſe dabat. Juſta ſanguinis copia feliciter ex illa prodiit, eademque felicitate poſtea ceſſavit. Vena hæc ad proximum uſque diem nihil

effudit ſanguinis. Cur autem tunc temporis is eruperit, arbitrata eſt Ægra, in cauſa fuiſſe impulſionem quamdam, quam in inciſæ venæ loco acceperat, dum ſe ad campum conferret. Verùm hic ſanguinis exitus, inſtituta rurſus vinctura, ſuppreſſus eſt. Aliquot autem elapſis diebus Juvenis hæc in emiſſi ſanguinis ſede tuberculum animadvertit abellinæ nucis magnitudine præditum; fluctuans is erat, ac indolens, nativumque exhibebat partis colorem. Quod verò Chirurgo majus faceſſebat negotium, adjuncta erat ſenſibilis pulſatio, ex qua cognovit, tumorem illum eſſe Aneuryſma. Eum quidem nonnullorum remediorum beneficio narrat in eodem ſtatu hactenus permanere, interim eventus hic aperte renunciat, quod, licèt in pedis dorſo non niſi tenuiſſimæ tibialis arteriæ anterioris propagines diſſeminentur, fieri tamen poſſit, ut læſæ in Aneuryſma etiam ipſæ aſſurgant. Ideoque Phlebotomiſta hoc etiam in caſu cautus debebit eſſe, communemque opinionem deponet, nullum hîc adeſſe periculum.

DE INTERNIS ANEURYSMATIBUS.

VENIO nunc ad magni Aortæ Aneuryſmatis ſupra memorati hiſtoriam, quam ænea Tabula locupletatam iterum evulgare operæ pretium exiſtimavi, etſi in compendium redacta, & abſque ſchemate in Commentariis Academiæ ſcientiarum Pariſ. an. 1750, pag. 49 reperiatur. Hac autem arrepta occaſione e tribus a me ad Academiam una ſimul tranſmiſſis obſervationibus Polypum quoque delineari juſſi, omiſſa tertia venæ Azygæ hiſtoria, quod jam ab ipſa Academia in lucem edita in tertio Diſſertationum exterarum volumine an. 1760, p. 512 Tabulaque, uti decebat, inſtructa fuerit.

Hiſtoria igitur, de qua nunc agimus, Aneuryſma exhibet pluribus nominibus animadverſione digniſſimum, nimirum primo: quod eſt omnium maximum, quæ in Arteriis cordi proximis adinvenerim, & aperte docet, ad quam enormem extenſionem ſine ruptura, & ſine craſſitiei decremento Arteriarum tunicæ adduci poſſint. Secundo: quod non ſolum majorem arcus Aortæ partem, ſed totam etiam ſiniſtram ſubclaviam occupat, hujus principium minime afficiens. Tertio: quod Ægrotantem non interfecit, antequam ad tantam molem pertingeret. Quarto: quod ovale foramen oſtendit, nunquam ita patens, quod noverim, deprehenſum, ut digitum indicem

commode

commode tranſmittere poſſet. Hoc enim plurimis obnoxium extitit controverſiis, ad quas dirimendas, ut in monumentis annorum 1717 & 1725 videre eſt, celeberrimus Winslowius arceſſitus fuit. Quinto: quod Coronariæ valvulam cùm magnitudine, tum reticulari forma ſingularem demonſtrat. Sexto : quod claviculam ſiniſtram dextra magis incurvam reddidit. Septimo : quod denique, ut ex hiſtoria patebit, cauſam agnoſcit non contemnendam.

Monitum interim volo, me operam dediſſe, ut in his figuris cordis ventriculi aperti delinearentur, non quidem quo in conſpectum ſe darent omnia, quæ in illis notari ſolent, verùm quo clarius Aneuryſma, ovale foramen, & Coronariæ valvulam patefacerem, ideoque in eis reſecandis mihi tantum propoſui ſectionem inſtituere ad hæc tria demonſtranda maxime accommodatam.

HISTORIA XXIII.

VIR ſeptem & quadraginta annos natus, ſtaturaque præditus conſueta, in ſaltu, qui vulgo *Fajola* dicitur, a prædonibus circumventus, ab eisque, poſtquam deviis itineribus deductus eſſet, arbori alligatus, fortunis omnibus ſpoliatus eſt, ibique relictus. Facile intelligi poteſt, per quos, quantosque conatus ſeſe a vinctura expedire miſer tentaverit, verum id fruſtra ſex integras horas expertus eſt. His autem elapſis, quum a venatore illius gemitus auditi eſſent, is, humanam vocem proſecutus, ad locum pervenit, in quo miſer conquerebatur, eumque a vinculis liberavit. Ab illo igitur publico itineri reſtitutus, poſtquam Velitras attigit, ibique aliquantiſper recreatus eſt, Neapolim conceſſit. Illic vero coactus fuit ſeſe Medicis curandum tradere, atque aliquatenus reſtitutus, res ſuas cito expedire ſategit, ut Romam reverti poſſet, ibique curationi finem imponere. Sed multo aliter accidit, ſemper enim adverſa valetudine eſt uſus, donec poſt annos octo ad ſancti Spiritus Noſocomium delatus fuerit. Nos morbum illius ad examen revocantes, magnam in eo deprehendimus ſpirandi difficultatem, febrim præterea, ſiniſtrum pulſum penitus deficientem, atque tuberculum ſupra ſiniſtram claviculam columbinum ovum magnitudine æquantem, ſed naturali colore præditum, ac pulſationem ſenſibus exhibentem. Morbum igitur Aneuryſma eſſe rati, exitum dumtaxat exſpectabamus; &

revera, paucis exactis diebus, reſpiratione pedetentim ſublata, Æger e vita deceſſit. Cadaveris ſectionem minime negligendam eſſe putavi, eamque in Tab. III & Tab. IV, Fig. I, delineatam exhibeo.

HISTORIA XXIV.

Ad confirmationem eorum, quæ ſuperius admonui circa organica interna vitia, in quibus natura novas interdum vias invenit, per quas ita ea componantur, ut nullum in poſterum incrementum ſuſcipiant, Ægrumque ſinant ſatis diuturnam, ſatisque pariter inculpatam vitam traducere, hiſtoriam narrabo Phænomenorum, quæ in Viro ob raram ingenii ſolertiam, ſummamque in mechanicis præſertim rebus peritiam celebratiſſimo, Scoticoque Patritio; id eſt in Abbate Woodtio acciderunt.

Circa annum 1738, cùm ingentem prælaudatus Abbas cordis perferret palpitationem, maximaque angeretur reſpirandi anxietate, tum maxime, cùm aut gradus conſcenderet, aut in mechanico verſaretur labore, decrevit ab Antonio Leprotto ſan. me. Clementis XII tunc temporis Archiatro conſilium petere. Ad eum igitur inviſendum, una cum aliis data opera accerſitis, & ego acceſſi. Confeſtim ergo ſeſe obtulit non modo ingens præfata cordis palpitatio, ſed inſuper, digitis intra claviculas detruſis, in conſpectum ſe dedit alia prorſus non diſſimilis, immodicaque pulſatio ab Aortæ arcu promanans, quæ pulſationi carotidum, ac dexteræ potiſſimum reſpondebat. Pulſus rigidi, & inæquales erant: vox humilis, atque rauca, aſthmatisque naturam quodammodo referebat: truncum gerebat tenſum, ac veluti immobilem: pectus antrorſum conſtanter porrigens. Patefacto ex hujuſmodi ſymptomatibus organico, atque aneuryſmatico vitio, opportunum duximus, palliativam morbo curandi methodum, idoneumque Ægrotanti præſcribere vitæ regimen, a quo ſane, donec Leprottus vixit, ad annum ſcilicet 1745 parum ipſe receſſit: illius vero poſt obitum, abjecta quacunque mali formidine, ad liberam vivendi rationem, nec non ad mechanica exercitia reverſus eſt. In Cymbalis igitur, Microſcopiis, Teleſcopiis, & (quod ego non ſine ſumma admiratione ſæpius conſpexi) in Hydraulicæ operibus labores tam improbos ſuſtinebat, ut eos ferre vix mercenarius Artifex potuiſſet. Ego autem hujuſce præpoſteræ vivendi

rationis nobilem Ægrotantem arguere nunquam ſum auſus; quum enim, ſi vocis raucitatem, ac trunci tenſionem exceperis, quæ eodem fere modo ſe jugiter habuerunt, integra valetudine frui videretur, verebar maxime, ne mihi pariter, ut facere cum aliis ſolebat, Agyrtæ, ſive Impoſtoris notam gratis inureret.

Junio tandem menſe anni 1755 Tuſculum petiit cum Excellentiſſima Burgheſia Gente, fruiturus ruſticatione, quam ipſa Excellentiſſima Domus ſplendide, liberaliterque ad pompam inſtruxerat. Hæc autem ruſticatio, quemadmodum nobiliſſimæ Feminæ, cujus hiſtoriam vere ſingularem inferius referam, fatalis extitit, ita in hoc quoque clariſſimo Viro celerrimi obitus veriſimiliter cauſa fuit. Ibi enim tam dira, ac immanis eum perculit febris, cum anxietate ſumma, ſummaque reſpirandi difficultate, ac horribili repentina corporis tumefactione, ut, vix exacto quatriduo, dum indeſinenter ſe modo attollendi, modo recumbendi deſiderio corriperetur, ſpiritu intercluſo, miſere animam exhalaverit.

Rei novitate valde permoti, tam Doctor Ferrius, ordinarius Ægrotantis Medicus, quam Nicolaus Botterius, actualis Excellentiſſimæ Domus Burgheſiæ Chirurgus, perantiquæ organicæ affectionis prorſus ignari, quum obitum hunc veluti monſtrum, portentumque exiſtimaſſent, ut illius ortum, cauſamque cognoſcerent, ad cadaveris ſectionem illico devenerunt. Primùm itaque externam corporis ſuperficiem rimantes, inuſitatam in ea, ac potiſſimum in pectore, collo, ore, cruribus, pedibusque tumefactionem deprehenderunt. Inſpecto imi ventris cavo, in quo nihil novi erat, ad Thoracis cavitatem gradum fecere; ibi Cor adeo conſpiciebatur auctum volumine, atque dilatatione, ut ordinariam magnitudinem ter quaterve excedere videretur; diſſectisque ejuſdem ventriculis, non modo ingentem coagulati ſanguinis copiam continere viſi ſunt, verum inde inſuper innotuit, cordis ſiniſtrum ventriculum (dexter enim naturalem fere magnitudinem obtinebat) illum fuiſſe, qui omnem eam gigneret extumeſcentiam, a qua, velut a fonte, repetendum erat ingens illud volumen, in tantam molem adauctum, ut quum figuram, naturalemque adſpectum lacertis, valvulisque mitralibus ademiſſet, eas deſtruxiſſe, ac laceraſſe funditùs videretur. Eodem in ventriculo Polypus ſeſe obtulit duarum unciarum pondus adæquans, tactui renitens, alboque colore præditus, nec abſimilis alter in dextro

ventriculo apparuit polypus, ſed mole longe minori donatus. Obſervatum præterea fuit, Aortam a ſui initio ad tres fere tranſverſos digitos in ipſo arcu una cum ſemilunaribus valvulis oſſeam penitus evaſiſſe.

Illud verò hac in obſervatione admirandum arbitror, quod ipſæ Valvulæ oſſeam adeptæ naturam elevatæ erant, porrectæque non ſecus, ac accidit in arteriarum ſyſtole, dum ſanguine arterioſo implentur, ut illius in cor regreſſum præpediant: quod autem eædem valvulæ, dum in oſſeam migrarunt ſubſtantiam, nonnihil imminui coarctatione debuerunt, ab hac earumdem coarctatione, adductioneque verſus Arteriæ parietes, in hujus centro foramen obortum eſt, ac relictum, per quod ex corde ad vivendum neceſſaria ſanguinis copia in Aortam ingrederetur.

ANIMADVERSIONES.

CUNCTA hæc accepi a Nicolao Botterio Romam reduce, eaque mihi approbavit, confirmavitque Excellentiſſimus Ferrius, qui mihi inſuper Aortæ fruſtulum oſſeis cum valvulis ſuperius deſcriptis tradidit, donavitque, & illud idcirco Fig. II, Tab. IV ad veritatem delineatum, eo tantum conſilio exhibui, ut unusquiſque facile ſibi ſuadere poſſit, Naturam ipſam quandoque, ſine ullo Artis præſidio, per abditas, retruſasque vias medelam malis afferre; dummodo tempus ad id perficiendum ſufficiens ei concedatur.

Hujus itaque exemplo ediſcant quicunque in ancipites, ac periculoſos hujuſmodi morbos fataliter incidunt, Perito fidem adjungere, qui eoſdem ipſis patefacit, illiusque æſtimationi nil prorſus detrahant, etſi deinceps Ægroti optima frui valetudine videantur. Ex allata enim hiſtoria ſatis manifeſtum, apertumque eſſe arbitror, quod ſi prælaudatus Abbas labori peperciſſet, ac gulæ, præſcriptaque ſibi a Leprotto vivendi methodo vaſorum plenitudinem identidem imminuiſſet, ſanguis procul dubio ex ſiniſtro ventriculo curſum in Aortam continuaſſet eo prorſus modo, quo diutiſſime eum antea feciſſe minime dubito; prælongo ſiquidem temporis intervallo opus fuit, ut valvulæ in oſſeam converterentur ſubſtantiam; quo ſane temporis lapſu nobilis Vir optima valetudine eſt uſus. Ut ergo ab otio, corporisque ſeptennali requie repeti non inepte poteſt oſſea-

illa, quam ſuperius deſcriptæ partes adeptæ ſunt, natura, & durities, ita eiſdem quoque præſidiis putandum eſt, præpeditam fuiſſe ulteriorem ventriculi dilatationem; quapropter ſimul ac nobilis Ægrotans ad priſtinos rediit vitæ labores, victusque intemperantiam, quis non intelligit, copia, motuque ſanguinis præter motum adauctis, foramen illud a valvulis ſemilunaribus in Aortæ medio relictum ad ventriculum exhauriendum imparem omnino redditum eſſe, majoremque cruoris copiam, quæ ab ipſo ventriculo violenter coërcebatur, eum neceſſario extendere, ac dilatare (ut revera contigit) debuiſſe? Vivebat tamen Ægrotus, atque, ut arbitror, diutius quoque vixiſſet, niſi per excitatam a ſumma vitæ incontinentia violentiſſimam febrim, ſanguis ad ſiniſtrum ventriculum nimio impetu allabens, nimiaque copia, & ſibi imparem idcirco, nimisque anguſtum aditum in Aortam offendens, conſiſtere, cùm in pulmone, tum in dextro ventriculo, dextraque auricula, tum etiam in vena, ejusque propaginibus coactus fuiſſet; a qua ſanguinis ſubſiſtentia manarunt immanis ſiniſtri ventriculi dilatatio, ingentes deſcriptæ tumefactiones, ac extrema denique ſuffocatio, quæ illum quinque dierum ſpatio peremit.

Quæ cùm ita ſe habeant, quisnam non putet, perilluſtrem Virum, ſi eam vivendi rationem, quæ Peritorum ſententia, conſilioque præſcripta illi fuerat, quaque per integrum ſeptennium felici, fauſtoque eventu uſus fuerat, conſtanter in poſterum adhibuiſſet, quis inquam non putet, eumdem etiam nunc vitalibus hisce auris, ac ſole fuiſſe fruiturum?

HISTORIA XXV.

SIDERE tam malo, fatoque tam triſti haud functus eſt ſancti Spiritus Canonicus Pennacchionus, cujus diſſecto cadavere, Aortam inveni oſſeam a principio ad medietatem uſque Iliacarum, ut videre eſt in extrema Tabula operis Antonii Pacchioni ſecundæ editionis, cui adnexa legitur hæc hiſtoria ab Andrea Beggio, ordinario præfati Canonici Medico, deſcripta; Aortæ vero figuram inferius Tab. V, Fig. II, expreſſam invenies.

Hic igitur Pennacchionus, quem ego jam decem ante obitum annos cognoveram, eumque ſemper familiarem habui, utpote qui in ſancti Spiritus domo rei familiaris curator eſſet, nullum ſuſcipiebat labo-

rem, nullumque corporis exercitium, ſed ſolo nutu, imperioque rerum ſummam adminiſtrabat, & quotiescunque ſe neceſſitas offerebat exeundi domo, ac oberrandi per urbem, ſemper curru vehebatur; ſicque nonnihil ex ſecunda in adverſam illius valetudo migrare videretur, opportuna illico præſto erat medela, ut ex hiſtoria, quam mox ſubjungam, intelligetur; hujuſmodi cautelis illius vita ad ſenectam facile producta eſt annorum ſeptuaginta ſex; cum contra præmemoratus Abbas ne ad quinquageſimum quidem ætatis annum pervenerit.

ANIMADVERSIONES.

PRIMO mehercle tempore, quo Pennacchionum cognovi, vidi eum conſtantiſſime truncum corporis tenſum, immobilemque, nec non pectus antrorſum valde exporrectum geſtaſſe: qua de re ſuperbus homo nedum mihi, ſed aliis pariter videbatur, utpote qui ſalutando vix caput leviter inflectebat: diſſecto autem illius cadavere, deprehendi, id a præfato Canonico neceſſariò fieri debuiſſe; Aorta ſiquidem oſſis ſubſtantiam, atque duritiem adepta impedimento erat, quominus ipſe truncum inflecteret, hujusque inflexio in Aorta evidens diſruptionis periculum afferebat. Atque hoc dumtaxat præmittere opportunum exiſtimavi fuſe deſcriptæ in jam laudato Pacchioni opere hiſtoriæ, quam hîc ſubnectere, nullo immutato verbo, decrevi.

HISTORIA

A JACOBO ANDREA BEGGI DESCRIPTA.

LACERTOSUS Senex mediocri corporis habitu, ac ſtatura, floridaque facie præditus, ad iram proclivis, ſextum ſupra ſeptuageſimum annum natus, ſeptem ab hinc annis poſt caſum in terram, repentino timore perculſus palleſcere cœpit, appetitu imminuto, pulſu frequentiori, urinis ſaturis, cruribus œdemate in molem haud mediocrem excreſcente tumefactis. Medicus tunc temporis accerſitus rhabarbari pulvere chocolatæ potum medicandum, & quolibet mane ſorbillandum præſcripſit: cujus remedii uſu prædicta ſymptomata ita remiſerunt, ut omnem abjeciſſe morbum, atque conſuetam vitæ rationem ſuſcipere, opiparoque victui indulgere iterum poſſe Senex non dubitaverit. At paulo poſt ſine anhelitu per acclivia non

ducebatur. Intenditur deinde cum pulſu frequenti, & inæquali reſpirandi difficultas, quæ a quocunque corporis locali motu, & a decubitu in lecto, præcipue in ſiniſtro latere, ita ingraveſcebat, ut accedente etiam moleſta, ac profunda in thorace pulſatione, ſine tuſſi, ac dolore, Æger ſuffocari videretur: quo tamen periculo liber evadebat, ſi, compreſſis manu hypochondriis, pectus genua verſus inclinaret. Sub hoc caſu fonticulum ſiniſtro popliti inuſtum eſt. Porro duobus ab hinc annis cùm graviſſimis animi curis urgeretur, ſingula ſymptomata adaucta ſunt, quibus & vera cachexia acceſſit, &, inſtante verno æquinoctio hujus anni 1739, febris cum orthopnœa tam pertinaci, ut jam inter conclamatos a Clinicis haberetur. Verum lenientibus aliquoties alvo ſoluta, & viſcidula lympha uberrime per os egeſta, febris, & orthopnœa deſierunt; cætera vero non ita. Hinc advocor ego, Ægrique ſterno admota manu, cor ibidem validiores, quàm ſolent, pulſationes exercere, easdemque cùm manu proſequerer, ſub cordis ſcrobiculum majores etiam perſenſi; imo ablata manu, epigaſtrium frequenter ſubſilire, ac cordis palpitantis motum æmulari, non ſine admiratione ipſiſmet oculis vidi: Arteriarum quoque pulſus in utroque carpo frequenter parvi, inæquales, ſæpe intermittentes erant. Dyſpnœa aderat perpetua, quæ aliquot a paſtu horis, & noctu potiſſimum intendebatur una cum moleſta, &, ut ipſe ajebat, interna palpitatione, viva animalcula quandoque per viſcera repentia ſimulante. Hinc cervicem primum erigere, mox genua verſus flectere cogebatur interdum; e lecto ſurgere alias, & in ſella, ad quieſcendum apta, aliquantulum pronus ſedere. Crurum tumor jam femora occupabat, & hypogaſtrium, quo in loco marſupium materia parum fluida oppletum, & ſupra abdominis muſculos mobile, perbelle referebat. Facies decolor, & conſumpta erat, internæ oris partes viſcida ſaliva obductæ, ſitis aliquando moleſta, urinæ paucæ, & ſubjugales, alvus lubrica potius, & excrementa flavo colore tincta, ſed digeſta, vires proſtratæ. Quocirca, his omnibus perpenſis, organicum aliquod vitium circa præcordia inveteratum, & fortaſſe quod cordis prolapſus vocitatur, omnium malorum inexhauſtum fontem eſſe conjeci; poſitaque hac morbi ſede, & cauſa, non morbum tollendi, ſed ejus ſævitiem temperandi ſpem aliquam ſubeſſe tantum poſſe. Hinc tenues cibos, coctuque faciles, & pro ordinario potu decoctionem ex foliis The

pauculo melle hiſpanico optimo dulcatam, præcipue ad urinas ciendas, craſſosque humores attenuandos, & oleum amygd. dulc. ad uncias duas chocolatæ permiſcendum mandavi: interea ex aperto in lævo crure fonticulo ubertim ichor manabat. Hoc curationis modo, atque ratione inſtituta ad aliquod tempus Æger melius habuit: deinde vero, quum urinæ in dies parcius mingerentur, crura, & femora magis intumeſcerent, ſitis intenderetur, cunctaque ingraveſcerent ſymptomata, inſtantibus Cognatis, ipſoque urgente Ægro, ut anceps etiam tentaretur medicamentum, ad ſalis cathartici uſum, cujus vires ad humores hauriendos extolluntur, deventum eſt. Alterno igitur mane hujus ſalis drachmæ duæ ex jure tenui vitulino per tres vices propinatæ fuerunt; at, ut ingenue dicam, eventu ita parum felici, ut nequaquam adaucto urinæ fluxu, quin intenſiore facta ſiti, ea ſe rurſus orbatum quiete Æger viderit, quam amygdalinum oleum comparaverat: hujus protinus uſus renovabatur; ſed non idem inde levamen ſeni acceſſit, nullum etiam ex diaſcordio cum ſpermate ceti: cunctisque in pejus quotidie ruentibus, ab omni medicamentorum genere abſtinendum eſſe conſultum duximus. Tumor per hosce dies, lumbos, nates, teſtes, ſcrotum, præputium, & balanum occupabat: urinæ ferme ſuppreſſæ: dyſpnœa ſævius, & crebrius urgebat, in lævum latus Æger nullatenus ſe vertere poterat: alvus ſoluta erat cum virium magna imbecillitate, & inappetentia: frigidas tantum potiones capiebat: cùm omnia ingraveſcerent, mortis in agone eſt conſtitutus, paucisque elapſis horis in dextrum latus decumbens mortuus eſt.

Cadaveris diſſectio inſtituta fuit; primumque exploratum eſt marſupium illud, quod in hypogaſtrio ſitum obſervabatur. Superioribus diſſectis integumentis membranæ adipoſæ cellulas intuebamur, non pinguedine dumtaxat, ſed albò craſſo humore gelatinæ affini præter modum diſtentas: hac adipoſa tunica amota, quæ binos tranſverſos digitos, & ultra craſſa erat, abdominis muſculi conſpiciebantur, ſat bene conſtituti. Imi hujus ventris ambitus tantum abeſt, ut naturali major eſſet, quin minor apparuit. Scrotum inde ſecuimus, & in penitioris ejus membranæ cavernulis uberem illius gelatinæ copiam invenimus: pertuſa mox vaginali tunica teſtis ſiniſtri, flavum ſerum effluxit, quod vaginalem inter, & albugineam locabatur: e dextro verò teſte, diſſectione ad eumdem modum facta, hydatides, loco

ſeri,

ſeri, ſubrotundæ, avellanæ magnitudinem exæquantes eruperunt: ſerum ſubflavum ex diſciſſo præputio, & penis glande manavit; hinc cernere proclive erat tum cellulas, quæ ab expanſa urethra proficiſcuntur, tum intimas cavernulas, quas a cavernoſis penis ejuſdem corporibus mutuatur balanus; adeo a collecto flavo ſero cunctæ diſtendebantur.

Aperto dein abdomine, effuſæ ibidem lymphæ modica quantitas continebatur: omentum ſolito brevius, & tenuius erat: ren dexter ſiniſtro minor, & laxior: reliqua viſcera ſana: cyſtis fellea bile virideſcente plena: hepatis autem ſubſtantia intus flava, & extus albida erat: pancreatis laxior compages.

Denique thorace diſſecto, ſerum flavum dexteram ejus caveam replebat: pulmonis inferior lobus ibidem duplo minor ſolito, atque ita compreſſus, compactusque, ut vix ſpongioſus videretur: ſuperior vero omnino ſanus: ſiniſter pulmo pariter ſanus, per quaſdam exporrectas lacinias partim, ſua partim ſubſtantia ſuperius, & ad latera pleuræ alligabatur, neque ab effuſa, uti alter pulmo, lympha alluebatur.

Pericardium anteriori parte cordis baſi proximiori membranaceum, cavumque dimittebat proceſſum, ſubſtantia, & colore pericardio ſimilem, figura vero nulli rei magis ſimilem, quàm ſiniſtræ cordis auriculæ, quæ in recens natis obſervatur. Erat autem pericardium ſolito nonnihil craſſius, & peculiari ſuo latice penitus deſtitutum, imo cordi undequaque ita adhærebat, ut nonniſi valida digitorum vi ſejungi potuerit. Cor ipſum mole majus, & conſueto nonnihil flaccidius erat. Arteriam magnam delineatam, æreque ſculptam potius, quàm verbis deſcriptam, tradere maluimus, ad oſtendendam labem ex oſſeo ſucco eidem illatam. Ipſa vero arteria in Noſocomio eodem ſancti Spiritus in Saxia aſſervatur, in qua nunc exſiccata proclive eſt, quod olim in recenti, dignoſcere tunicas in oſſeam ſubſtantiam converſas haudquaquam eſſe, ſed quandam veluti incruſtationem arteriæ parietum factam fuiſſe, ſucco oſſeo intus ſubſidente, & per tenues mamellas ducto. *v. Tab. V, f. 2, 3.*

HISTORIA XXVI.

Ad imperviam, & ſalebroſam Aneuryſmatum provinciam declarandam, illuſtrandamque plurimum conferre poſſe arbitror, etiam Aneuryſma Fig. II, Tab. IV repræſentatum, quo vita functus eſt famulus quidam meus, licet in ſymptomatibus vicinam ejus mortem præeuntibus nullum indicium, nullumque veſtigium Aneuryſmatis apparuerit: nec umquam profecto illud innotuiſſet, niſi morbi gravitas, æque ac diuturnitas, intempeſta, inopinataque mors, vulnus demum jampridem Ægrotanti inflictum, nonnullæque aliæ itidem cauſæ me invitaſſent ad peragendam cadaveris diſſectionem, quam, brevi præeunte hiſtoriæ narratione, mox deſcripturus ſum.

Jacobus igitur Paluda Mediolanenſis vir erat annum agens ætatis ſuæ trigeſimum octavum, depreſſa, exilique corporis mole donatus, ac ſat bono præditus temperamento, ſed vino quàm maxime deditus. Accidit, ut veſperaſcente die, in Regione lumbari, prope ſpinoſas vertebrarum apophyſes, gladio percitus fuerit, vulneratusque; ideoque delatus ad Noſocomium ſancti Spiritus, ac inter Ægrotantes meæ curæ commiſſos poſitus fuit, & ad eum inviſendum ſtatim acceſſit Chirurgus, tunc temporis Subſtitutus, qui nullam vulneris penetrationem deprehendens, cerati fruſtulis, ut fieri ſolet, illud conjungere ſtuduit. Sequenti vero mane cùm eo me contuliſſem, inveniſſemque Ægrotantem immani premi, conflictarique dolore; licet abundans ipſi in anteceſſum peracta fuiſſet ſanguinis miſſio, neceſſarium putavi vulnus faſciis exuere, illudque ſui prorſus juris efficere, quo facilius, ut reapſe contigit, ſuppurationem iniret. Hinc nonniſi poſt elapſas quinque fere hebdomadas cicatricem obduxit vulnus, cujus cæteroquin ſanatio abſolvi debuiſſe paucos intra dies videbatur.

E Noſocomio profectus ad famulatum iterum ſe revocavit: exactisque nonnullis menſibus, dolore intus urgeri cœpit in regione lumbari, qui tamen, ut ipſe fatebatur, neque continuus, neque intolerabilis erat. Triennio poſt e mea domo diſceſſit, nec eum amplius videbam, niſi quum opem ferre vellet dolori, qui nunquam eouſque increverat, ut lecto miſer ſe tradere coactus fuerit. Semper igitur, quando illi opus erat auxilio, ſe ad domum meam conferebat, atque id eo libentius faciebat, quod ego modo exquiſita diæta,

iteratisque venæ ſectionibus, modo emollientium uſu; & modo anodynis, ac refrigerantibus male affectæ ſedi imperatis, dolorem illi intra paucos dies ex toto ſæpe reſtinxeram. Hujus intermiſſio, interruptioque doloris ad annos octo (ſi morbi initium a die, quo vulnus accepit, repetatur) vitam Ægrotantis protraxit, tametſi vino immodice, atque ad ebrietatem uſque uteretur. Animadvertendum tamen eſt, quod extremis temporibus, præterquam quod revertens hic dolor in dies increſceret, frequentius quoque invadebat, atque perdurabat diutius, quin etiam, eo quandoque crudelitatis pervenerat, ut ex ipſius Ægrotantis confeſſione, ſi ulterius, vel minimo tempore, perſtitiſſet, ei ſane moriendum eſſet, tanta doloris erat immanitas! Nec infelix Jacobus longe a veritate aberravit. Siquidem non multo poſtea, nocturnis horis, quando ſcilicet eum dolor aggredi conſueverat, quamvis heſterna die nihil novi perpeſſus eſſet, præter omnium exſpectationem, meque ipſo admirante, illico animam exhalavit.

Tam ſubita ergo, tamque inopina morte permotus, illiusque cauſam cognoſcere cupiens, vix dum elapſis horis viginti quatuor, ad incidendum cadaver illico acceſſi. Diſſecto igitur imo ventre, ubi ſedem habet Iliaca, mihi ſe ſtatim obtulit præternaturale volumen, quod cùm a vitioſis adhæſionibus, quas cum aliis viſceribus jam contraxerat, ſejunxiſſem, nil aliud eſſe cognovi præter deſcendentis Aortæ tumorem aneuryſmaticum, vertebrarum corpori tenaciter adhærentem, quem ab eiſdem vertebris diligenter avulſum, ac delineatum exhibeo prædicta Figura.

ANIMADVERSIONES.

DUBITARI non poſſe arbitror, quin atrox ille lumbaris dolor, qui Ægrotantem identidem corripiebat, invadebatque, quique tandem eum interfecit, ab Aneuryſmate promanaverit. Etenim ejuſmodi dolor, mea quidem ſententia, toties exoriebatur, quoties propter majorem effluxum ſanguinis ad aneuryſmaticum ſaccum, hic præter modum ab illius copia diſtendebatur, vel quod ſanguis non ſemper eamdem in Aorta offenderet tranſeundi facilitatem, vel quod aut labore, aut vini abuſu agitatus, ad loca potiſſimum minus ei reſiſtentia nimio interdum impetu deferretur. Verum quamcumque ex hiſce

ſtatuere tanti mali cauſam velimus, illud ſane certum, atque evidens erit, quod nimirum ſi tale quis præſentire, ac conjectare valuiſſet Aneuryſma, id ſaltem conſequi palliativa methodo potuiſſet, ut infelix Paluda nec tam cito mortem oppeteret, nec dies tam anxios, tamque irrequietos traduceret.

Magna deinde me inceſſit cupido inveſtigandi, ſi fieri poſſet, undenam hoc, mihi inopinatum, Aneuryſma originem habuiſſet. Quapropter, ſacco aneuryſmatico diligenter inſpecto, nullam exulcerationem, nullamque corroſionem, ſicut in illo, ita in Vertebrarum corpore deprehendi. Et Vertebrarum quidem corpus non modo, ut dixi, a carie qualibet immune erat, ſed a membranis præterea, quæ poſteriorem ipſius ſacci partem faciebant, illi adhærentibus, omnino contegebatur. Quapropter ſtatim mecum ego animo reputavi, prædictum Aneuryſma non eſſe ex aliquo humorum vitio, ſed ex octo ab hinc annis accepto vulnere repetendum. Cujus rei deinde certior ſum factus a poſitu cicatricis externæ, quam cum e directo reſpondere adamuſſim conſpexerim foramini aneuryſmatico deſcripto, demonſtratoque Tab. IV, Fig. II, Littera ccc, fieri potuiſſe arbitratus ſum, ut incidens, acuminatum, ac ſubtile inſtrumentum permeaverit cartilaginem vertebris intermediam, quouſque aliquam ex membranis Arteriam aortam componentibus extrinſecus vulneraſſet, quæ quum tenaciter deinde Vertebrarum corpori inhæſiſſent, factum inde fuiſſe, ut verum ſupra relatum Aneuryſma oriretur.

Hæc autem opinio non levem veritatis ſpeciem præ ſe ferre videbitur, ſi perpendatur, quod non ſolùm Arteria ſe in poſteriori præſertim latere dilataverat, foramenque in ea excreverat Arteriæ ſede, quæ cicatrici tegumentorum potiſſimum reſpondebat, ſed etiam immanis, ac recrudeſcens dolor nonniſi poſt inflictum vulnus obortus erat. Verùm quæcunque hujusce Aneuryſmatis cauſa, pro certo habendum eſt, hunc dolorem nec tam atrocem, nec tam frequentem futurum fuiſſe, ſi furens ille ſanguinis affluxus averti, ſubmoverique a ſacco aneuryſmatico potuiſſet; Ægrotum autem vita non deceſſurum fuiſſe ante Aneuryſmatis diſruptionem, quam tamen ob ſacci robur, & firmitatem, ſat longe abeſſe apparebat.

Ex iſtiuſmodi obſervatione docemur, quàm utile ſit hæc vitia probe cognoſcere, tum etiam quanti referat de cauſis externis Ægrotantem interrogare, quod ſane a me prætermiſſum fuiſſe, mihi vel

eo maxime diſplicet, quod Ægrotum circa doloris ſitum vulnus jam dudum accepiſſe non ignorarem. *Tab. IV, Fig. II.*

In hac Figura exhibetur Aorta deſcendens, poſteriorem ſui ſedem noſtris oculis exhibens, atque in ejus arcu reciſa.

Si igitur ita valens, atque efficax natura eſt, ut nonnunquam ſuis tantum viribus mirandum in modum recte, opportuneque morbis ſubveniat, quis dubitet, longe majora ab ea prodigia exſpectari poſſe, ſi humanam artem ſociam ſibi, atque auxiliatricem adjunxerit? Demonſtravi, ni fallor, etiam ab externis Aneuryſmatibus Ægrotantes, una dumtaxat opifice natura, aliquando convaluiſſe; ſed oſtendi quoque, naturam interdum nihil potuiſſe præſtare, ſolaque ab arte fuiſſe tunc temporis externa hæcce Aneuryſmata perſanata. Regeret autem fortaſſe quiſpiam, in internis Aneuryſmatibus nihil ab arte exſpectari poſſe: quod profecto veriſſimum eſt, ſi de vincturis, de ſuppurationibus, & de Chirurgicis tandem operationibus verba fiant. Aſt ego de his ſermonem nequaquam habeo, verùm ad magnum me confero in Aortæ arcu efformatum Aneuryſma, expreſſum Tab. III, Fig. I, tum etiam ad Aneuryſma Aortæ deſcendentis Tab. IV, Fig. II indicatum, quæ cùm vera, ac ſimpliciter hernioſa fuerint Aneuryſmata, ſi Peritus mature ea detexiſſet, ſique præterea Periti verbis ſe docilem præbuiſſet Ægrotus, nonne palliativa curatione compeſci, aut etiam ita fortaſſe poterant conſtabiliri, ut non ultra deinceps progrederentur, quemadmodum in ſupra enarratis caſibus accidit, etiam ſi nullæ adjutrices ab arte vires illis acceſſiſſent? Si ergo nullis adhibitis medicæ facultatis præſidiis, aneuryſmaticum vitium ſola compeſcere natura ſcivit, & quominus excreſceret, inhibere, nonne id factu longe facilius, atque expeditius erit, quoties Ægrotus quietam, otioſamque vitam traducens, idoneum, ac exquiſitum ſuæ vitæ regimen obſervabit, ac iterata, prout opus fuerit, miſſione ſanguinis, ea quoque remedia, quæ prudens Medicus opportuna duxerit, adhibebit?

Hiſtoriæ, quas nuper retuli, cùm Canonici Pennachioni, tum perilluſtris Abbatis Voodtii, nonne idipſum ſatis luculenter oſtendunt? Ad hæc, quis audebit inficias ire, Ægrotantem, qui in Divi Gallicani Noſocomio Aneuryſmata perpeſſus eſt, Tab. II, Fig. I expreſſa, in quorum altero grumus cernitur perforatus, ex mea forſitan curatione id conſecutum fuiſſe, ut ulteriori Aneuryſmatum

progreſſu inhibito, foramen illud apertum ſervatum ſit, ac ipſe tamdiu vitam produxerit ? Si id porro accidiſſet in Aneuryſmate femoris Fig. IV exhibito, atque anno 1745 una cum brachii Aneuryſmate in lucem edito, nunquam profecto factum fuiſſet, ut ſupra Aneuryſma violenter Arteria diſcinderetur. Si allatus denique Tabularius, aut Scriba, qui cum vaſtiſſimo arcus Aortæ Aneuryſmate, etiam abſque ullo idoneo regimine, nec ſibi a Baccho, & Venere temperans, valuit ad duodecim uſque annos vitam producere, nonne, ſi mea, aliorumque monita non ſpreviſſet, longe diutius quoque fuiſſet uſura lucis fruiturus ?

Ex omnibus hisce experientia comprobatis obſervationibus, nemo tam cæcus eſt, qui non videat, quàm neceſſarium ſit perito Chirurgo, qui ſanandorum morborum artem rite exercere velit, adæquatam iſtorum vitiorum, completamque habere notitiam, non modo, ut Patientem de evidenti repentinæ, vel ſaltem brevi adventuræ mortis periculo mature admoneat, ſed etiam ne ipſe nubem pro Junone videns contraria forſitan curatione Ægrotanti mortem acceleret.

Ad trium rariorum Chirurgicarum Obſervationum deſcriptionem nunc gradum facio; quas, licet ipſæ prorſus novæ non ſint, quod tamen habent nonnulla animadverſione digniſſima, hîc adjungere conſultum duxi.

DE PARTU EXTRAORDINARIO.

Observatio I.

Prima obſervatio graviditatem complectitur, nec non morbum, interitum, ſectionemque Marchioniſſæ Gabriellæ, quæ vigeſimum ſextum agens ætatis annum, & quinque jam liberorum mater, decimo nono kalendas Januarias anni 1755, quum ſextum jam fœtum gereret, diem obiit ſupremum. Quum enim uſque a Februario menſe Excellentiſſimus Burgheſius Princeps pro futuris verni temporis bacchanalibus a nobilibus recitatam comœdis dare fabulam ſtatuiſſet, Marchioniſſæ huic, quod choreas elegantiſſime duceret, mandavit, ut ad fidium numerum in fabulæ illius exodiis ſaltaret. Ex quo autem hæc illi credita provincia fuit, ſeſe quotidie exercere in ſaltationibus

cœpit, & licet ſexto Idus Martias ex certiſſimis indiciis ſe in utero concepiſſe aperte intelligeret, ſuam tamen graviditatem nemini patefaciens, ad Junium uſque menſem inceptum ſaltandi munus audacter continuavit. Sub finem verò hujus menſis ad urbem redux ſuum evulgavit conceptum, in quo nihil a naturæ conſuetudine recedebat, ſi hoc unum excepiſſes, tumorem ſcilicet abdominis ima potiſſimum obtinere; bis etiam, poſt quintum videlicet, & poſt ſeptimum menſem, non obſcura præmaturæ fœtus excluſionis indicia adfuerunt; ac prima vice potiſſimum, in qua, præter non levem ſanguinis jacturam, abortus ſymptomata ita clara, & ſenſibilia fuere, ut ille irreparabilis cenſeretur.

Quum ejus graviditas ad nonum uſque menſem ſatis feliciter perveniſſet, quinto Idus Decembris nocturnis horis, dum in latrina ſederet, tantam repente ad pudenda deſcendere animadvertit humoris vim, ut crediderit, ruptis fœtum obvolventibus tunicis, coërcitas ab illis aquas effluere. Poſtquam verò ſincerum manaſſe ſanguinem, illiusque fluxum adhuc perdurare cognovit, nova re exterrita, animi defectione correpta eſt; ſed lecto tradita celeriter ad ſe rediit. His ita ſe habentibus, ego, & Medicus vocati ad illam acceſſimus. Tunc temporis verò nobilis mulier, quamquam ſenas præter propter amiſiſſet cruoris libras, viribus tamen ſatis adhuc valebat, ſufficientique gaudebat animi tranquillitate, ac ſanguinis fluxus jam in illa plane conquieverat. Sex nihilominus cruoris unciæ a brachio illi detractæ ſunt. Verum, elapſis vix quatuor horis, ſeſe in conſpectum dedere nonnullæ ſanguinis guttulæ, totidemque rurſus, novem aliis horis exactis, apparuerunt. At quinque poſt horas a guttulis hisce, tanto cum impetu cruoris rediit effluxus, ut illuſtriſſimus ejus vir alios quoque in conſilium vocare Medicos neceſſarium putaverit, quos inter, quum ego omnium primus verba facere debuiſſem, ſtatui nil certi poſſe arbitratus ſum, niſi os uteri prius exploratum fuiſſet. Verumtamen tum ægrotantis mulieris, ut cæterarum omnium, a permittendis hujuſmodi explorationibus abhorrens naturaliter animus, tum etiam timor, ne, hac ego arrepta occaſione, illam difficili cuidam operationi ſubjicerem, tum denique undeviginti horarum intervallo ſubſiſtens ſanguinis exitus, in cauſa fuerunt, cur nulla prorſus opinionis meæ ratio haberetur. Sed, eo tranſgreſſo tempore, reviviſcens hæmorrhagia venam aperire nos denuo coëgit. Quo

facto, quibuſdam ſolummodo poſt quatuor horas in linteis apparentibus maculis, integro deinceps horarum ſexdecim ſpatio ne guttula quidem ſe nobis amplius exhibuit. Silentio autem prætereunda non ſunt, quæ ſingulos præceſſere ſanguineos fluxus phænomena; hæc enim, ſi primum fluxum ademeris, qui inopinanter advenit, anxietas fuere, inquietudo, lumborum dolor, & validi a fœtu epigaſtricam, atque umbilicalem obſidente regionem profecti motus, non autem propria, vel genuina partus conamina.

Nondum verò tranſactis ſexdecim mediocris tranquillitatis horis, iterum ad conſilium Medici acciti ſunt, eodem tamen eventu; neque enim reluctantem neceſſariæ huic inſpectioni Ægrotantis animum vincere datum eſt. Sed quoniam vehementius mox emanare ſanguis incepit, hac tandem aliquando ſuperata difficultate, acceſſi ad uterum explorandum, in eoque ipſius os tangenti digito ſe patens obtulit, atque in orbem unius pollicis latitudine expanſum. In ipſo porro limine ante omnia offendi molle, leveque corpus, quod inde eductum genuinam fuiſſe ſanguinis concretionem innotuit. Indice vero ulterius promoto, aliud ſe mihi corpus objecit diverſa ſtructura præditum, reſiſtens ſcilicet, inæquale, internoque oris uterini ambitui firmiter accretum beneficio quorumdam ſtaminum, quæ valido tamen ipſius digiti impulſu diffringebantur. Ex quibus non obſcure intellexi, univerſam placentam internæ orificii ejuſdem faciei tenaciter adhæſiſſe; hæmorrhagiæ ortum deberi prædicti orificii a placentæ corpore disjunctioni, quoties nimirum uterus in eo eſſet, ut os aperire ſuum conaretur: ac denique fœtum nunquam, niſi hoc ſubmoto obſtaculo, excluſum iri.

Quum autem Ægrotæ affines, ipſique Medici admirabilia hæc enuncianti mihi non plenam fidem adjungere viderentur, alios accerſiri Peritos placuit, eosque inter illuſtrem Galliarum Regis ad Pontificem legati Chirurgum Lamblottum, qui meam non modo ideam de placentæ ſitu confirmavit, ſed illud inſuper addidit, miſeræ Ægrotantis vires uſque eo labefactatas jam eſſe, ut illam difficili, ac diuturnæ, quæ hoc in caſu requirebatur, operationi, ſine evidenti mortis diſcrimine perferendæ, imparem prorſus arbitraretur. Hinc, omnibus poſthabitis, nobilem mulierem Eccleſiæ Sacramentis munire unum fuit, ad quod oculos animumque convertimus, eoque peracto, tribus a medio noctis elapſis horis, interiit.

Statim

Statim igitur ac ipſam deceſſiſſe cognovimus, cæſarianam operationem inſtituere non prætermiſimus, eo potiſſimum nomine, eoque conſilio, ut ſaltem innocens filius ſacris baptiſmi laticibus expiaretur; quemadmodum ſupremo adjuvante Numine factum eſt. Hac autem data occaſione, expeditiſſimum fuit, ea ipſismet oculis uſurpare, quæ ego, explorato oris uterini ambitu, præſagiveram. Abdomine enim, uteroque diſciſſis, limpidæ prius, copioſæque prodierunt aquæ, fœtumque ad exitum naturaliter ſeſe diſpoſitum nobis obtulit; caput enim in placentæ corpus incumbens, os uteri reſpiciebat, ac pedes verſus uteri fundum attollebantur. Quod autem vaticinatus de placenta fueram, id fœtu educto, umbilicalis patefecit funiculus, qui verſus uteri os ipſum dirigebatur, eidemque tenaciter adhærebat. Id verò ut planum omnibus facerem, magna vi, & repetitis concuſſibus ipſe umbilicalem attrahens funiculum, non hunc modò placentæ ſitum, ſed ejus quoque validam, tenacemque cohæſionem oſtendi; dum enim ſiniſtra manu funiculum adducebam, ut penitus extirparem placentam, longo pariter, validoque dextræ auxilio opus fuit, neque id mihi efficere datum eſt ſine uterinorum parietum laceratione; innotuitque præterea, placentæ corpus centro ſuo reſpondere adamuſſim uteri orificio, ipſumque haud ſecus obtegere, ac vaſis operculum ejus aperturam occludere conſuevit.

Obſervato dein ea in parte, quæ vaginam ſpectabat, placentæ medio (qui locus is prorſus erat, quem ego, quum munere fungebar exploratoris, digito tetigi,) illud varie diſcerptum apparuit. Iſthæc autem dilaceratio tunc fieri profecto debuit, quum os uteri dehiſcebat; hoc enim in caſu, quæ ipſum inter, ac placentæ corpus intercedebat, cohæſionem diſtrahi, abrumpique neceſſe fuit. Licet autem effuſi, perditique in triduano morbo ſanguinis origo haud aliunde, quam a ſingulis hisce lacerationibus petenda eſſet, craſſities tamen placentæ binos adhuc pollices excedebat, uterique os unius pollicis amplitudine apertum ſeſe videndum exhibuit.

Reliquum modo eſt, ut perpendamus, an miſerrimæ huic Ægrotanti ſecundæ valetudinis ſpem aliquam facere potis eſſet chirurgica manus; vix enim datur diſceptandi locus, utrum operationem inſtituere deceret, quum nihil prorſus aliud ſupereſſet tentandum. Periculoſum igitur, ac plenum aleæ, præſidium quodlibet mechanicum futurum fuiſſe perſpicuum eſt; nam ſive placentæ medium

digitis lacerando eouſque libuiſſet pervadere, ut fœtus illac educi poſſet, ſive initum fuiſſet conſilium disjungendi placentam ab uteri parietibus, multum temporis opus utrumque poſtulaviſſet; ac prius quidem ſine magna ſanguinis jactura, poſterius autem ſine parietum ipſorum laceratione contingere nequiviſſet; nec enim graviditas, nonum licet menſem attigiſſet, ad ſuam adhuc pervenerat gignendi maturitatem, ubi placenta aut penitus diſſoluta, aut vix cohærens offenditur.

Quæ hujus Marchioniſſæ conceptum ſunt conſecuta phænomena, mihi videntur valde accedere ad ea, quæ in cantrice quadam a divino Medicæ Artis parente in libro de Natura Pueri contigiſſe dicuntur; cauſam enim, ob quam in nobili muliere ipſius uteri fundo non firmiter adhuc inhærens ovulum, ſuas in ore illius defixit radices, ab ea, quæ in Hippocratis cantrice abortum peperit, nonniſi gradibus diſcrepaſſe inde liquet, quod in utraque a validis concuſſibus, quos in ſaltatione placentæ corpus patiebatur, factum fuerit, ut ejuſdem connexio cum uteri fundo vel non accideret, vel ſtatim diſſolveretur; at quia ſaltationum vis longe in cantrice vehementior fuit, idcirco non ſolùm conceptus in hac ab utero avulſus, ſed per apertum illius orificium excuſſus eſt. Neque mirandum, in Ægrotante noſtra ad inferiora delatum ibi ovulum fruticaſſe, quod uteri cavum naturaliter craſſum ubique, & pulpoſum ſit, quemadmodum videre eſt circa recens prægnantis uteri fabricam in Theſauri Anatomici Ruyſchiani Tab. IV, Fig. I, nitidiusque conſpici poteſt in hac, quæ uterum refert fœtus onere paulò ante levatum, atque per longitudinem ſectum, ut orbicularem craſſitiem ſuam, pulpoſamque ſubſtantiam naturaliter patefaciat, & quam ad vivum effictam in Tab. II, Fig. V, in præſens ſubjicio.

DE SINGULARI ABDOMINIS HYDROPE.

OBSERVATIO II.

ILLUSTRISS. Marchioniſſa Octavia Patritia, ſanguineo, bilioſoque gaudens temperamento, excelſamque ſtaturam, & amplitudinem huic reſpondentem ſortita, quum vidua jam, nullumque fœtum enixa, quadrageſimum ſextum attingeret ætatis annum, nec menſtruarum unquam purgationum beneficio deſtituta fuiſſet, mitem licet, mo-

leſtum tamen ſatis dolorem ſupra inguen dextrum pati cœpit. Hunc levis tumor comitabatur, in quo vero nulla durities, nullaque aderat inflammatio, quum partis affectæ color a naturali nihil abluderet. Quæ adhibitæ cautiones fuere, compeſcendo exiguo dolori conduxerunt quidem, at nullus inde tumori fructus acceſſit; is enim ad omnem hypogaſtricam regionem paulatim ſerpere viſus eſt, altior licet eo loci ſemper, unde ille initium acceperat. Hoc autem juſtiſſimam ſuſpicioni anſam præbuit, uteri vitio alicui acceptum hunc morbum ferendum eſſe, quum de aliis viſceribus ob florentiſſimum faciei colorem nullus ambigendi locus daretur. At fruſtra etiam mali hujus cauſa quæſita in utero eſt, quem naturaliter ſeſe habentem a morte tandem cognovimus.

In univerſo porro Abdominis ambitu tumor æqualiter augebatur, nullumque nobilis mulier inde ſuſtinebat incommodum; nam & veſcebatur ſine faſtidio, & in lecto quieſcebat placide, iterque habebat ſine anhelatione ſat longum, menſtruæque ipſius purgationes nullatenus inde perturbabantur. Quum vero decem præter propter elapſis menſibus tumor admodum excreviſſet, quumque moleſtus, & ad omnia medicamenta rebellis factus fuiſſet, ope fidelis hiſtoriæ prætermiſſum non eſt, exterorum quoque illuſtrium Medicorum mentem, ac conſilium exquirere; & licet ego meam in eadem hiſtoria de Hydrope ſententiam aperuiſſem, Phyſici tamen omnes nil ideæ morbi affundebant lucis, eorumque opiniones a veritate longe aberrabant; quod unice dictum volo, ut clariſſime pateat, quàm arduum eſſet, de infirmitatis hujus natura ſententiam ferre, in qua præcipua deerant ſymptomata, quæ Hydropem comitari conſueverunt; nec enim ſitis, nec linguæ ariditas, nec faciei, totiuſque corporis macies uſque adhuc obſervabantur, ſemperque urina cùm copia, tum conditione ſanorum ſimilis fluxerat; nullaque ex Abdominis percuſſione in oppoſitam plagam liquoris reverberatio, ut fieri aquoſo in Hydrope ſolet, perſentiebatur. Attamen, ut verum fatear, quemdam ego fluctuationis obſcurum motum ſemper contrectando adnotabam. Omnia igitur a præſtantiſſimis in arte medica viris excogitata præſidia, inter quæ balneum, validumque aquæ in Abdomen ſtillicidium, non modo in caſſum ceſſere, ſed tumor etiam in dies magis adauctus eſt, ſeſeque tandem in conſpectum dederunt, quæ morbum conſequi neceſſariò debent incommoda, atque præſertim reſpirationis

anguſtia, quæ tanta erat, ut ægrota mulier non modò in lecto cubare, verùm etiam ſedere ſine moleſtia ſumma non poſſet.

His ita ſe habentibus, Paracenteſim, tamquam unicum eo in caſu remedium, proponere non dubitavi, ex Abdominis cavo non parvam ſtagnantis humoris copiam me educturum eſſe pro certo putans; quumque non tantùm nobilis Mulier, ſed etiam Phyſici omnes meam comprobaſſent ſententiam, operationem inſtitui, illiusque auxilio duæ & triginta libræ prodierunt humoris, qui dotibus ſuis (mirabile viſu!) lymphæ diſſimillimus erat.

Liquor igitur, quem ex imo ventre deprompſi, oleaginoſæ prorſus indolis fuit, atque amurcam potiſſimum referebat, ideoque ex tubo in ſubjectam pelvim ſine ullo ſtrepitu dilabi conſpiciebatur. Ægra autem, etſi prægrandem humoris effuſionem paſſa eſſet, adeo nullis conflictabatur incommodis, ut ſeſe in priſtinum jam reſtitutam putaret; ſique exitus Ægrotæ votis non favit, non efferæ ſolum hujus affectus indoli, verùm etiam inordinato cùm vitæ, tum curationis generi tribuendum videtur.

Quinque deinceps elapſis menſibus, ad ſecundam Abdominis inciſionem ventum eſt, humorisque libræ tres & viginti, ejuſdem prorſus, ac præcedens fuerat, naturæ, beneficio illius effluxerunt. Tunc verò marceſcere cœpit mulier, quod unicum ſymptoma huic Hydropi ſeſe gradatim adjunxit, tandemque manifeſtiſſima continentium partium ſubſecuta corruptio eſt; nam intra quindecim menſes repetere novem vicibus operationem oportuit, ac poſtremis temporibus ſatius duxi in aperto foramine tubum relinquere, ne ſecundo tertiove die venter mihi pertundendus iterum eſſet. Vehemens idcirco febris, tenſioque doloroſa Abdominis inſurrexerunt, atque ex tubo prodeuntes materiæ horrendum halitum emittebant. Hinc nobilis mulier, diebus novem elapſis miſerrimæ hujusce vitæ, ſupremum diem tandem explevit.

Quoniam vero ea teſtamento cavit, ne illius cadaver poſt obitum diſſecaretur, libertatem ademit mihi admirabilis hujusce Hydropis genuinam ſedem inveſtigandi. Rationi tamen conſentaneum videtur, cellularis membranæ, quæ tam extra, quàm intra peritoneum Abdominis ima tenet, reſolutam pinguedinem morbum hunc effeciſſe; hìc enim, veluti innuimus, incœpit paulò ſupra inguen dextrum, neque aut veram oſtendit unquam ſtagnantis lymphæ naturam, aut

iis ſtipatus ſymptomatibus fuit, quæ in alio quolibet Hydrope deprehenduntur.

DE TUMORE ABDOMINIS HYDATIDIBUS REFERTO.

OBSERVATIO III.

FAMULUS quidam Eminentiſſimi Card. Silvii Valenti Gonzagæ, quadrageſimum agens ætatis annum, mediocri corporis altitudine, & pingui, ſanguineoque temperamento donatus, quum tumore regionem hepatis obſidente correptus eſſet, ad me conſilium petiturus acceſſit. Ego igitur affectum viſcus perluſtrans, hoc uſque ad umbilicum, albamque lineam exporrectum, tenſum, reſiſtens, & circumſcriptum inveni. Illius tamen color naturaliter ſe habebat, nec Æger dolore, aut alio incommodo excruciabatur, ſi unum excepiſſes, obſcurum ſcilicet fluctuationis ſenſum, quem in tumoris centro detegere facillimum erat.

Quoniam vero læſæ partis inſpectio non ſatis claram hujusce affectus ideam mihi exhibuerat, quo morbi naturam dilucidius cognoſcerem, ſatius equidem duxi cogitationibus indulgere, quàm illum temere validioribus præſidiis aggredi. De nonnullis igitur obſervandis cautionibus Ægrotum tantum admonui, quibus ille incaſſum per plures menſes adhibitis, quum magis, magisque augeri morbum conſpiceret, ſeſe aliis Chirurgis curandum tradidit; neque illum mihi obſervare amplius contigit, niſi poſt novem exactos menſes; tunc autem deprehendi circa hepar tumorem ad quatuor præter propter tranſverſorum digitorum ab umbilico diſtantiam protenſum, inflammatum, ovalique figura præditum, pauliſper quidem dolentem, & a preſſione digiti fluctuantem. Quum igitur is videretur mihi a valde debili coërceri cute, proindeque futurum eſſe, ut ſua ſponte cito dehiſceret, cujuſcunque ambiguitatis vitandæ cauſa (quemadmodum in chirurgicis hisce imi ventris affectibus haud raro accidere ſolet) tumorem hunc ſibi relinquendum putavi, in eoque ferrum adhibere auſus non fui.

Et ſane, vix paucis elapſis diebus, quum tuſſi valida Ægrotans corriperetur, præfati tumoris diſruptio ſecuta eſt. Indoles autem prodeuntis materiæ Ægrotantem ipſum perterruit, tuſſisque adeo

increvit, ut quamvis inter lectum, atque parietem pluſquam trium palmorum ſpatium intereſſet, univerſa tamen materies in ipſum parietem valido impetu pelleretur. Hæc verò in humum inde dilapſa perbelle oſtendebat, referebatque ovulorum congeriem, quorum pluſquam tercenta ex aperto loco erupiſſe teſtatus eſt idem Patiens, qui ex his nonnulla collegit, atque in patella, ut meis ſubjiceret oculis, aſſervavit. Eadem ego ad vivum effingi Tab. II, Fig. VI, curavi a. a. a. &c., utpote Hydatides iis omnibus, quas deſcriptas, delineatasque invenerim, longe majores, ne quidem celeberrimi Morandi iis exceptis, quæ Scientiarum Academiæ monumentis anni 1722 attexuntur.

Prætereundum ſicco pede non eſt, omnes Hydatides hasce exiviſſe integras per ita anguſtum foramen, ut calamum vix ſcriptorium admitteret, nec eas in parietem, terramque impingentes diffractas unquam fuiſſe. Mihi autem ſpecillum meum duplum per foraminis ſemitam immittenti luculenter innotuit, vacuum tumoris ſpatium ad concavam tendere jecoris ſuperficiem; at mihi nunquam hujusce cavi finem detegere datum eſt. Adſtringentes tamen experiri injectiones cœpi, quumque eas regredi per foramen viderem, in earundem uſu aliquandiu perduravi, factumque inde eſt, ut vacui univerſi digeſtio proſpere accideret, etſi vacuum hocce perfecte occludere non potuerim, fiſtuloſusque propterea ſinus relictus ſit, a quo perexigua quantitas lymphæ effluebat, ſine ullo tamen Ægrotantis incommodo, qui brevi ad ſuum priſtinum miniſterium redivit. Sed tandem, ſex aliis elapſis annis, hoc etiam ſinu prorſus occluſo, integræ, qua nunc quoque gaudet, ſanitati redditus eſt.

Inter initia anatomicæ exercitationis meæ, quum ejuſmodi tumorum notitiam nondum haberem, eviſceranti mihi cadaver quoddam, in cava jecoris ſede illi adhæreſcens fortuito ſe tumor obtulit, malum punicum magnitudine adæquans, tactui duriſſimus, rotundaque figura præditus, quem ego a cohæſione ſejunxi, manibusque arreptum diſſecui. Sed re prorſus nova perculſus fui, dum, tumore diſciſſo, in ſubjectam anatomicam Tabulam plurimas vidi Hydatides labi, quæ primo intuitu mihi videbantur ii globuli plumbei, quibus ignea onerari balliſta ſolet. Hac autem data occaſione, examini ſubjeci ipſam tumoris cyſtim, quumque eam invenerim tenacitate, craſſitieque ſolearum corium referente donatam, ſtatim intellexi, cur tumor

ille ad putrefactionem pervenire non potuiſſet. Eapropter in Ægro, de quo nunc agimus, fiſtuloſum ſinum relictum iri arbitrabar, multoque magis, quod ex aperto loco nihil membranoſum prodierat. Sed a veritate longe receſſi; pars enim, veluti ſuperius admonui, perfectè, ac feliciter cicatrice tandem obducta eſt adeo firma, ut famulus hic ad hanc uſque diem ſecunda corporis valetudine perfruatur.

DE ŒSOPHAGOTOMIÆ OPERATIONE.

Non ſine ſenſu quodam voluptatis diſſertationem celeberrimi Hevinii perlegens in Tom. 1. Pariſienſium Commentariorum *cap.* 32, *art.* 2, de corporibus extraneis in Œſophago fortuito retentis, cognovi tantum hunc virum eadem prorſus ſentire, ac ſentit Verdukius in ſua chirurgica Pathologia, qui incidendum putat Œſophagum, quoties illapſa corpora neque extrahi, neque deprimi valent, ſummumque impendet periculum, ne Ægroto anima intercludatur. Hic verò, quum de iſtiuſmodi operatione generatim, atque univerſe potius, quàm ſingillatim loquatur, Academiæ genio, de Chirurgicæ facultatis incremento mirum in modum ſollicito, me obſecundaturum putavi, ſi in ea inveſtiganda, illuſtrandaque aliquid laboris, ac temporis impendiſſem. Hæ interim animadverſiones, diſquiſitionesque, quas hac in diſſertatione tanquam in nucleo collectas exhibeo, utcunque eæ demum fuerint, in id unice collimant, ut locum præciſe ſtatuant, in quo peragi debeat inciſio, quam non male Œſophagotomiam nuncupaveris: Ad hujuſmodi verò operationem recte, ut par eſt, intelligendam primum oportet, ut vera forma, ac vera Œſophagi poſitura clare, diſtincteque explicetur.

Veritati valde conſentaneum videtur, quemadmodum primus omnium patefecit Euſtachius Tab. Anat. 41, Fig. 8 & 11, Œſophagum ad lævam ut plurimum propendere, Lantiusque, qui Veſalium objurgat, quod illum collocet poſt Arteriam tracheam, ad Euſtachianam Tabulam confugere & ipſe cogitur, ut veram illius poſitionem demonſtret. Ita porrò celeberrimus Winslowius (ut videre eſt in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum anni 1715, pag. 315) demonſtravit, Œſophagum ſuam habere ſedem prope lævas extremitates cartilaginum aſperæ Arteriæ. Hallerus autem in ſuis

animadverſionibus ad Bœrrhavii Inſtitutiones Gottingæ editis, vol. 1, pag. 238 ſic loquitur : *Œſophagus oritur ex contracto Larynge, ad annularem cartilaginem deſcendit ad latus ſiniſtrum aſperæ Arteriæ (ad dextrum Morg. Adv. Anat. 1, Tab. 1, ſed is ſitus mihi nunquam viſus eſt)*. Morgagnus tamen Anatomicorum Princeps fatetur, ſe in ea figura adornanda nativam Œſophagi poſitionem nequaquam exhibuiſſe ; inquit enim Epiſt. 11, num. 48, « eadem, qua cæteri Anatomici, in pluribus ſimul depoſitis partibus una opera indicandis, libertate uſus, Œſophagum, quem nonnulli, neceſſario oſtendendi, muſculi a ſiniſtris obduxiſſent, ita in dextram partem protraxi, ut linguam, ne eoſdem muſculos plus æquo, aliaque operiret, ab naturali ſitu in ſiniſtrum latus deflexi ».

Ego profecto ex innumeris, quæ diſſecui, cadaveribus, perpetuo ad lævam aſperæ Arteriæ partem propendere Œſophagum deprehendi; id autem primùm animadvertere mihi contigit in cadavere, quod incidendum fuerat gratia tumoris, qui ad aſperæ Arteriæ lateralem, lævamque partem excreverat, quique non reſpondendi, ſed deglutiendi libertatem præpediebat Ægroto. Ibi enim dignoſcere ſatis commode valui, tumoris baſin Œſophago adamuſſim incubuiſſe. Ex ea ſane, medio adaperto foramine, pus procidebat intra ventriculum, ubi ſat magnam ejuſdem copiam offendi. Neceſſarium equidem duxi, anatomicam hanc diſquiſitionem ſuſcipere, quod ea, quam expoſiturus ſum, operatio eſſentialiter in Œſophagi ad lævam conſtanti ſitu fundetur, quemadmodum in Tabula unica Fig. I. videre eſt, ubi recurrens quoque Nervus conſpicitur, qui amoveri hamulo poterit, quotiescunque liberam Œſophagi ſectionem impediat. Incipiam ab hiſtoria Ægrotantis, quem cæteris omnibus Artis præſidiis juvare ſtudui, una tantummodo ſectione excepta, a qua ipſe maxime abhorruit, & cui omnino ſeſe ſubjicere recuſavit.

Vir hic quadrageſimum agens ætatis annum, caſtaneam nucem in aera ſurſum projecit, dumque per jocum eam deſcendentem hiante ore conaretur excipere, ipſa fortuito ad gulam delata Œſophago inhæſit. Is illico ſe deglutire minime poſſe conqueſtus fuit ; quo factum eſt, ut paucis elapſis horis, ad ſancti Spiritus Noſocomium, ubi ego primarius Chirurgus ſum, mitteretur. Interrogato Ægrotante, res, quæ ab eo narrabatur, in dubium primò vocata eſt, tum quod is ebrius eſſet, tum quod ſine ulla difficultate ſpiritum duceret,

duceret, tum etiam quod liberè loqueretur, atque jam inſuper vomuiſſet, tum denique, quod nullus extrinſecus in collo tumor conſpiceretur. Sed quoniam, præter ſublatam deglutionem, non lævem Æger perſentiebat dolorem, quotieſcunque illi Larynx in latere præſertim ſiniſtro comprimebatur, caſtaneam nucem in Œſophagum revera illapſam fuiſſe, ibidemque adhuc hærere non ſine fundamento putari cœptum. Omnia, quæ uſus in hujuſmodi caſibus patefecerat, artis præſidia adhibita ſunt; magna tamen ſe nobis difficultas objecit in adhibenda cerea candela, aliiſque ſimilibus inſtrumentis, quod inferior maxilla ita convulſione detinebatur, ut ad oris ultimam ſedem ne digitus quidem poſſet immitti. Faciem Ægrotans maxime inflammatam habebat, lingua erat in eo mediocriter madefacta, pulſusque frequens. Is verò de interno ingenti calore conquerebatur, nonnullasque delirii notas præbebat. Et quoniam nil poterat deglutire, nutrientes plures clyſteres, ad vitam illius cuſtodiendam, injecti ſunt. Nihil ille avidius, quàm aquam frigidam, eandemque pariter glacie domitam expetebat. Sexto morbi die, etſi pluries venæ ſectionem perpeſſus fuerat, ſanguinis tamen e naribus ejuſmodi fluxu correptus eſt, ut faciei rubor prorſus exinde evanuerit. Die verò octava ſpirandi quoque difficultas acceſſit, febrisque cum magna pulſus debilitate ſat valida perduravit. Ægrotans tuſſi conflictabatur perpetua, illiusque ſputa viſcida, ac veluti purulenta conſpiciebantur. Decimo die adeo fractæ erant ejuſdem vires, ut is morti proximus quovis momento exiſtimaretur. Plura tamen deglutivit tunc temporis vini cochlearia, jurisque cum ovi diſſoluto vitello nonihil ingurgitavit. Hoc quoque die, proximoque, dum is deglutiebat, ab iis, qui aderant, inſolitum quoddam murmur exaudiebatur. Et aſſumptum quidem alimentum ad reficiendas, recreandasque Ægrotantis vires contuliſſe aliquantulum viſum eſt. At decimo quinto, & decimo ſexto die, novo ex naribus, copioſoque manante ſanguine, in maximam iterum virium imbecillitatem Ægrotus recidit. Die verò decimo nono pulſus ita parvi fuerunt, ut vix perſentiri poſſent, ſpirandi difficultas præter modum increvit, atque ſub veſperam Ægrotans tandem deceſſit.

Cadaveris ego diſſectionem aggreſſus ſum coram D. Beggio Aulæ mox Hiſpanæ Medico. Arteria aſpera, & Larynx ſecundum naturam ſe extrinſecùs habere deprehenſa ſunt. Glandula thyroidea, quàm

plerumque ſolet, amplior apparuit. Sub ipſo Larynge, in ſuperiori videlicet, poſteriorique aſperæ Arteriæ ſede, in conſpectum ſe dedit tumor, qui vix a me contrectatus illico diſruptus eſt. Integram in ipſo reperii caſtaneam nucem, cujus planæ ſuperficiei convexa oppoſita ſuperficies anticam partem Œſophagi reſpiciebat, apex verò in ſiniſtrum inſerebatur parietem hujusce ductus, qui membranoſæ aſperæ Arteriæ parti tam firmiter adhærebat, ut inde ſine laceratione avelli non poſſet. Sublatis omnibus hisce partibus, in poſteriori Œſophagi ſede ſectionem longitudinalem inſtitui. Tam ſupra verò, quàm infra caſtaneam nucem Œſophagus adeo conſtrictus erat, ut parum abfuerit, quin interiores hujus parietes ſeſe mutuo contigerint; quod tamen in ſuperiori, dexteraque parte aliquanto minus factum fuiſſe obſervavi. Extraneum igitur corpus incluſum detinebatur veluti quodam marſupio, quod ſiniſtrorſum extra tracheam ſeſe ſpectandum præbebat; Œſophagi portio, quæ membranoſæ aſperæ Arteriæ parti adhærebat, jam in ſphacelum converſa, foramine donabatur, lentis magnitudinem obtinente, cujus beneficio conſpicua inter Œſophagum, aſperamque Arteriam intercedebat communicatio. Hæc aſperæ Arteriæ pars membranoſa a primis quinque cartilageneis annulis avulſa erat. Œſophagi interiores membranæ eo loci, ubi caſtanea continebatur, corruptæ erant, ac putrefactæ, exteriores autem tenuiſſimæ erant, isque earum tractus, a quo coërcebatur caſtanea, ſtatim ſubter lævum cartilaginis Cricoidis latus degebat, atque ita quidem, ut una ex eminentiis Cricoidis remoraretur caſtaneam, eique eſſet impedimento, quo minus ipſa ſurſum aſcendere poſſet, Vid. Euſtach. An. Fig. 2, litt. dd.

Hic ſane caſus ille eſt, in quo abſolute manus operatio indicatur. Jam optime Verdukius dixerat, eam nos experiri poſſe. Fatetur quidem, operationem hanc difficilem eſſe, verùm ſubjungit, melius eſſe eam ſuſcipere, quam moleſtiam perferre morientis ſub ipſis oculis noſtris Ægroti. Illi profecto ego quoque prorſus ſuſcribo; anatomica enim ſtructura partis, in qua Œſophagotomia fieri debet, eamdem inſtitui poſſe abunde renunciat.

Satis notum eſt, partes illas, quæ a media, exteriorique colli ſede uſque ad ſternum ipſum Œſophagum tegunt, eſſe cutim, adipem, membranas, bronchiales muſculos, glandulam thyroideam, Arterias, quæ ad hanc glandulam tendunt, venas, quæ inde ſanguinem revehunt, Arteriam aſperam, recurrentes nervos, &c. Hoc poſito,

ſat mihi fuerit exponere, qua majori fieri brevitate poterit, quomodo mihi operatio hæc ſuſcipienda eſſe videatur.

Ægrotante in ſella collocato, illiusque capite, quantum e re viſum fuerit, retrorſum verſo, ac miniſtri alicujus ope ita valide in eo ſitu detento, ut ſe neque ad dextram, neque ad ſiniſtram vertere ullatenus poſſit, Chirurgus e regione Ægrotantis hujusce poſitus, poſtquam manus ſiniſtræ digitis dextri lateris cutim optime apprehenderit, idque ipſum per adjutorem alium Chirurgum in ſiniſtro quoque latere effecerit, colli tegumenta ſcalpello recto per longitudinem ab aſperæ Arteriæ ſuperiori parte uſque ad partem ſterni ſuperiorem præcidet. Amovebit deinde cellularem textum, pinguedinem, membranas, & alia, quæ inter Sternothyroideos muſculos cernet; cavebit tamen, ne ſcalpellum, quo ad partes has eximendas utitur, niſi inter ſiniſtros Sternothyroideos, & Sternocricoideos muſculos, aſperæque Arteriæ corpus ejuſdem lateris adigat. Ex binis verò retuſis Hamulis duos ramos habentibus, ſicut illos delineatos conſpicitis Tab. unica Fig. IV, unum ad dextram, ad lævam alterum collocabit, atque ea ratione vulneris labia a ſe mutuò diducet. Aſperæ autem Arteriæ cellulari tela vel digito, vel etiam nonnunquam cultelli ope remota, ſeſe ipſi in conſpectum dabit Œſophagus, in quo recta novacula longitudinalem efficiet inferiori in ſede ſectionem, quam ſurſum verſus incurvis, retuſisque forficibus dilatabit. Sique in hoc præſtando difficultatem invenerit, ad tranſitum forficum faciliorem reddendum crenato utetur ſpecillo. Hinc parvas, easque curvas volſellas iis prorſus ſimiles, quæ ad extrahendum polypum adhibentur, quasque delineatas exhibet Tab. unica Fig. III, in Œſophagum ad eximendum extraneum corpus immittet. Œſophago verò, ubi indicatum eſt, adaperto, poterit auxilio ejuſmodi volſellarum extraneum educi corpus, ſive illud ſupra, ſive intra aperturam fuerit Œſophagi. Hæc autem apertio utilis quoque erit, ſi illapſum corpus ita ſe introrſum adegerit, ut inde volſellis attrahi nequaquam poſſit; quoniam vel cerea candela, vel alio ſimili inſtrumento propelli tunc intra ſtomachum haud difficulter valebit. Ad hæc volſellæ iſtæ aptiſſimæ quoque mihi videntur eſſe ad peregrina corpora, quotiescunque pharyngi inhæſerint, ex ore ipſo extrahenda.

Operatione abſoluta, vulneris curatio, ſi modum ſpectare lubet, quo illius ſit perficiendus coalitus, res eſt profecto magni momenti,

& quæ maximam attentionem meretur. Ea mihi ſane proſpere ceſſit in omnibus Animantibus, quibus ad experimenta hujuſmodi inſtituenda uſus fui; ſique ullibi Chirurgia comparata, hîc certe locum habere debet, ubi eadem propemodum eſſe partium ſtructura videri poſſit. Ex tertio, quod mox allaturus ſum, experimento eluceſcet, optime ad cicatricem perduci Œſophagum poſſe, abſque eo quod vicinis ille partibus adhæreſcat. Oſtendere quoque poſſem, Œſophago cicatricem facilius, quam inteſtinis obduci propter muſcularem membranam, quæ longe in Œſophago validior, & craſſior eſt. Quum autem firmum, ratumque ſit, cicatricem inteſtinorum fieri ut plurimum non ſolere, niſi ope adhæſionis, quam cum vicinis partibus aſſequuntur; hoc ipſum de Œſophago pariter credi poſſet, quod ſane hac in re quodammodo abſurdum foret; experimenta enim a me hactenus inſtituta, ad evincendum contrarium ſatis, ni fallor, idonea ſunt. Debent autem hîc loci ea inſuper, quæ ſequuntur, animadverti.

I. Abſciſſis integumentis, partibusque a ſe invicem expeditis, ſi forte, quæ a thyroidis glandulæ inferiori ſede ſanguinem revehit, eumque ad ſiniſtram ſubclaviam adducit, vena præciſa fuerit, veluti in uno ex experimentis meis accidiſſe memini, tunc ſanguinis fluxus poterit obturamento ſiſti, ex diſſolutis filis confecto, compreſſoque a digitis auxiliantis Chirurgi tamdiu, donec operatio abſolvatur. Poſtea enim, dum nova partium conjunctio fit, quemadmodum ego uſu in brutis animantibus comperi, aut vena ſua ſponte compreſſa remanet, aut erit vinculo conſtringenda.

II. Diductis vulneris labiis recurrens nobis ſe conſpiciendum exhibet nervus, qui modo aſperæ Arteriæ propinquior, modo vero ab ea remotior deprehenditur. Si qua igitur, tam cellularem textum auferendo, quàm incidendo Œſophagum, illius læſio timeatur, amoveri is eodem hamulo poterit, quo ad attrahendum labium ſiniſtrum vulneris utimur. Dextro pariter hamulo, ut Œſophagus detegatur, aſperam ipſam Arteriam, ſi eam operationi quicquam officere poſſe conſentaneum rationi ſit, dextrorſum adducere diligenter licebit, abſque eo quod metuendum ſit nobis, ne validum exinde reſpirationi impedimentum accedat.

III. Œſophagum, quanto magis fieri poterit, prope aſperam Arteriam eſſe aperiendum patet, idque potiſſimum faciendum eſſe in illius ſuperiori parte, per quam nonnullæ a ſubclavia ad thyroideam glandulam diſtributæ arterioſæ propagines aliquando feruntur.

IV. Si e re viſum fuerit, thyroidea glandula a ſiniſtra, lateralique aſperæ Arteriæ ſede extricanda erit, quoties extraneum Œſophago impactum corpus ſat amplam poſtulat inciſionem, atque id præſertim faciendum, quum ejuſmodi glandula quam maxime inflata erit; ea enim impedimento in hoc caſu foret, quo minus Œſophagus detegeretur.

V. Œſophagum verò jam ſatis apertum eſſe innoteſcere poterit, quum ejus præciſa interior fuerit membrana, quæ nobis ſubalbo ſeſe colore manifeſtabit.

VI. Operatio hæc, quoties illa conducere viſa fuerit, promptiſſime peragenda eſt, ut nimirum funeſtos inflammationis Œſophagi, brevique adventuros præcavere effectus poſſimus.

VII. Finita operatione, partium coalitus iis auxiliis juvandus, quibus ego in primo experimento uſus fui.

Quoad vitæ regimen, præter omnia generalia remedia, quæ in ſimilibus caſibus requiruntur, & præter id omne, quod bona praxis nobis indicare valet, non abs re fore exiſtimo, ut Æger, quoad ejus fieri poterit, intervallo trium, quatuorve ab operatione dierum, identidem nonniſi juſcula aſſumat, quo ipſi liceat ea declinare ſymptomata, quæ uni ex canibus, in quo ſecundum experimentum feci, acciderunt. Atque inſuper ſi vel tantillum timeatur, ne qua ab juſculo noxa vulneri Œſophagi accedat, neminem fugit, ad Ægrotantem, qui in hujuſmodi caſibus non multum ſuarum virium amiſit, ſpatio tam brevi temporis ſuſtinendum, nutrientes clyſteres poſſe ſufficere. Verum ad experimenta veniamus.

Poſtridie kalendas Februarias anni 1747, quum ego Pariſiis eſſem, coram pluribus artis peritis Œſophagotomiam celebravi in cane mediocri magnitudine prædito. Vulneris Œſophago inflicti longitudo ſeſqui pollicem præter propter æquabat. Operatione abſoluta, utrique vulneris labio comprimentia admovi per gradus lintea, aqua madida vulneraria, cum qua communis tepentis aquæ tantumdem commiſtum eſſet, unientemque ſupra ea ligaturam effeci. Canis quotidie deglutire lac cogebatur, ac quinto die pulmentum edere incepit. Sexto autem, faſciis ablatis, cicatricem inchoare vulnus jam viſum eſt. Quum verò perfectæ reſtitutus valetudini canis e manibus meis effugiſſet, certò mihi innoteſcere per diſſectionem non potuit, quomodo obducta in Œſophago cicatrix eſſet; de novo igitur inſtituendo rurſus experimento conſilium cœpi.

Igitur VII Idus Martias eamdem in alio cane operationem inſtitui. Vulneris labia ad contactum adduxi, & in cute duo feci ſuturæ puncta, eodem quoque apparatu uſus, quem in priori experimento adhibueram. Poſtridie lac cani vi deglutiendum exhibui. Die vero quarto pulmentum edere incepit. Sub veſperam apparatum removi, beneque ductam reperi cicatricem, ſi nonnihil excipias ſuppurationis, quæ iis in locis conſpiciebatur, in quibus ego ſuturæ puncta præcideram. Quamdam quoque ibi offendi ſpeciem tumoris ad ovi columbini magnitudinem accedentis, quem licet premerem, nihil inde tamen effluxit. Cane autem, ſeptem elapſis diebus, perfecte extrinſecus reſtituto, opportunum exiſtimavi per diſſectionem partis certò detegere, quomodo Œſophago obducta cicatrix eſſet, & quænam foret hujuſce tumoris cauſa. Ex diſſectione igitur mihi innotuit, vulneris Œſophagi cicatricem ope adhæſionis cum partibus vicinis factam fuiſſe, non ſecus ac in inteſtinis plerumque accidere conſuevit, in cujus medio ſacculus erat, in quo liquorem inveni. Hoc autem incommodum ideo ſuſpicatus ſum eveniſſe, quod citius quàm par eſſet, & profecto vi quadam deglutire canem coëgiſſemus.

Quapropter XVII kalendas Majas anni 1747 rurſus in duobus canibus, eadem inter ſe magnitudine gaudentibus, hanc operationem ſuſcepi. Ad mutuum contactum Œſophagi labia, deinde cæteras omnes partes, quæ abſciſſæ fuerant, adduxi, labiisque vulneris lintea gradatim comprimentia, unientesque faſcias admovi. Nullum hi canes nutrimentum aſſumere coacti ſunt, nihilominus poſtridie pulmentum, quod illis fuerat objectum, ſponte ſua comederunt. Unum ex duobus hiſce canibus quemadmodum præcedentem aperui, ut cicatricem Œſophagi, quem oblique ſecueram, conſiderarem. Is probe conglutinatus repertus eſt, abſque eo quod ad vicinas partes adhæſionem ullam haberet, ſicuti videre eſt Tab. unica Fig. 2.

In Pariſienſi tandem Charitatis Noſocomio coram Domino Fagetio, qui tunc temporis primarius in illo Chirurgus erat, hanc eamdem operationem in cadavere aggreſſus ſum, quod non ſolum œdemate laborabat, ſed etiam gaudebat thyroidea glandula ita quoquoverſum extumefacta, ut plane Œſophagum tegeret. His verò nihil obſtantibus impedimentis, quæ ſola videntur eſſe, a quibus hæc præpediri, inhiberique operatio poſſit, aperte agnovit Dominus Fagetius, facilem eſſe, nulloque fultam periculo Œſophagi diſſectionem.

HISTORIÆ DUÆ
ANEURYSMATUM

QUORUM ALTERUM IN BRACHIO PER CHIRURGICAM OPERATIONEM

SANATUM

IN FEMORE ALTERUM PAUCOS INTRA DIES

LETHALE FUIT

ANIMADVERSIONIBUS ET FIGURIS

JAM DUDUM ILLUSTRATÆ

NUNC DEMUM NOVIS ADDITIONIBUS AUCTÆ

CURA ET STUDIO

CAROLI GUATTANI &c.

GUATTANI PRÆFATIO.

Recentissimi ſcriptores omnes, qui chirurgicas operationes litteris prodidere, id ſibi negotii dari putarunt, ut oſtenderent etiam, quomodo Aneuryſmatibus, chirurgicæ operationi opportunis, manus curatio admovenda foret. Verumtamen multi quamvis hac in re naviter, ſolerteque ſe geſſerint, perpauci tamen fuére qui hiſtoricas operationis hujus obſervationes conſcripſerint. Hinc experientia nondum ſatis edocti ſumus, an tuto nobis liceat ad hanc aggredi operationem, uſusque nondum methodum ullam, tanquam omnium optimam commendavit; id quod ſane dolendum eſt; his enim in rebus, lumen ab experientia mutuari poſſe, valde expediret.

Quidnam vero in cauſa fuerit, quamobrem ejuſmodi obſervationes fere omnino deſiderentur, neque ego novi, neque mea noſſe refert. Illæ certe tam paucæ ſunt, ut, quantum quidem ego ſcio, ad duas ſolummodo redigantur. Altera Purmanni eſt, quam manu exaratam, & a clariſſimo Heiſtero ex germanico ſermone in latinum verſam, atque præclariſſimo Lanciſio miſſam, in celeberrima bibliotheca ſancti Spiritus reperi, altera eſt D. Macgill, quam legi in ſecundo volumine Obſervationum Societatis Edimburgenſis, gallice redditarum, editarumque Pariſiis anno 1742.

Quum igitur tam altum ſit de hujuſmodi obſervationibus apud ſcriptores ſilentium, quumque operationis difficultate, neceſſitateque premi nonnunquam poſſimus, non abs re futurum eſſe & æqui bonique conſultum fore putavi, ſi duabus antedictis obſervationibus tertiam adjungerem.

Quoniam verò omnes cum publicæ, regiæque, tum privatæ Academiæ, graviſſimique ſcriptores omnes uno ore fatentur, maximum ex obſervationibus in lucem editis Litterariæ Reipublicæ accedere emolumentum, non renui & alteram illi annectere obſervationem; qua pariter tumor deſcribitur aneuryſmaticus, in medio femoris ortus, rarus is quidem, ſive ſedem ſpectes, quam occupavit, ſive cauſam, a qua natus eſt, ſive ſymptomata, quibus ſtipatus fuit, ſive citiſſimam mortem, quam intulit Ægrotanti, ut inferius clare patebit.

GUATTANI

DE

CUBITI FLEXURÆ ANEURYSMATIBUS

HISTORIA I.

JUVENIS quidam, Didacus Pagani nomine, illuſtriſſimo D. Marchioni Angelo Gabrielli olim a pedibus, annum jam agens primum ſupra vigeſimum, ſcorbutico præditus temperamento, Velitras, menſe Novembri anni 1744, quoniam nullius famulitio tunc temporis adſtringebatur, a matre miſſus eſt, ut olera quædam pretio diſtraheret. Ibi autem quum febre correptus eſſet, ſanguis illi a Tonſore, juſſu Medici, ex brachio ſiniſtro detractus eſt; & febris quidem poſt ſanguinis miſſionem ita deferbuit, ut ipſe Albanum, ubi natus erat, ſeſe recipere non dubitaverit.

Hic vero Medicum advocans, illi inter cætera incommoda nuntiavit, etiam, ſed velut nullius momenti rem, ſe in brachio ſiniſtro, eo loci, unde ſanguis detractus fuerat, pulſationem quandam percipere, parvumque deprehendiſſe tumorem, avellanam magnitudine æquantem, nullo tamen dolore moleſtum, naturalemque partis colorem præ ſe ferentem. Medicus autem morbi naturam, roburque ſtatim dignoſcens, auctor illi fuit, ut nulla interpoſita mora, Romam concederet, quo videlicet facilius curari poſſet, atque itidem in eadem ſententia Chirurgus fuit.

Ægrotans igitur, intelligens, ſe Aneuryſmate detineri, ſimul ac Romam delatus eſt, veterem adivit dominum, qui famuli infortunio

perculſus, ejusque miſertus, præcepit, ut ad me adduceretur, quo illum, ſi fieri poſſet, in integrum reſtituerem. Ipſe vero eum corpore peſſime conſtituto deprehendi, perpetuaque febre vexatum. In ſiniſtro brachio validam, oculisque patentem pulſationem animadverti, tumoremque ad nucis molem jam accedentem.

Quoniam autem maxime in votis habebam, non ſolum morbo levare Juvenem hunc, quem optime noveram, quemque venerea lue divexatum pluries ad ſalutem reduxeram, verum etiam ejus obtemperare domino, quem magno ſemper obſequio ſum proſecutus, ad Noſocomium ſancti Spiritus eundem adduci juſſi, ut febre primum immunis evaderet, viresque reficeret, deinde chirurgicæ ſeſe operationi ſubjiceret.

Poſtremis igitur Novembris diebus in illud Noſocomium ingreſſus eſt; ubi poſtquam a febre evaſit, curavi, ut pleniore, optimoque cibo recrearetur, utque tam intra, quàm extra Noſocomium identidem ambularet, quo major ei virium fieret acceſſio. Et quoniam ſub Januarii finem, quantum ejus temperamentum patiebatur, optime reſtitutus viſus eſt, Februarii kalendis operationem exordiri decrevi. Interea temporis tumor ad ovi gallinacei magnitudinem jam pervenerat.

OPERATIO CHIRURGICA.

Kalendis igitur Februarii, hora fere decima quarta, ſequentem in modum opus aggreſſus ſum. Primum curavi, ut cubiculum, ubi agere decreveram, quoniam frigidum nimis erat, artificioſe tepeſceret, deinde in ſella ægrotantem collocavi, conſtructa more majorum, hoc eſt brachiis inſtructa, nec inflexis, nec ſinuoſis, effecique, ut lucis radii, in cubiculum ingredientes, ad poſteriorem ſellæ partem allliderent, quo ægrotantis poſitus majorem mihi luminis copiam faceret. Erat autem ille tibialibus, & calceamentis indutus, veſteque tectus cubiculari.

Ægrotantis ſic collocati brachium extendi ſuper planum ſellæ brachium, & ex tribus miniſtris alteri imperavi, ut humeri caput, alteri, ut cubitum, atque manum, tertio denique, ut caput, & truncum ſuſtentaret, atque fulciret. Tum faſciola ſanguini mittendo dicata brachium molliter circumligavi, ita tamen, ut nodus e regione arteriæ, at in ſede illi oppoſita, necteretur.

Tam ſub hoc nodo, quam in eo ſitu, qua incedit arteria, craſſæ chartæ fruſtulum faſciolæ ſuppoſui, quorum alterum, in loco arteriæ poſitum, efficeret, ut dum faſciola conſtringeretur, arteria æqualiter compreſſa foret, alterum vero ſub nodo locatum, impedimento eſſet, quo minus integumenta in plicas, rugasque contraherentur, doloremque procrearent.

Inter nodum, & fruſtulum nodo ſuppoſitum, interjectum fuit parvum lignum, quod dum in gyrum ageretur, torcularis in modum, ita faſciolam conſtringeret, ut illa ſanguini tranſitum penitus intercludere poſſet, idque ſane præſtitura foret omnino, ſi lignum hoc unam revolutionem, ejusque dimidium abſolviſſet. Illud autem cuſtodiendum tradidi ex miniſtris peritiori, quo videlicet pro re nata brachium modo adſtringere, modo relaxare rite valeret.

Flexo deinde paululum ægrotantis brachio, apprehenſisque, cum mea, tum miniſtri manu integumentis, illa idoneo cultro oblique ſecui, verſus interiorem cubiti tuberculum, a cubito, hoc eſt ab inferiori ſede, ſectionem auſpicatus. Diductis autem integumentis, tumorem offendi, non eum quidem liberum, ſed membranis, & muſculis implicatum. Bicipitis tendinoſam expanſionem reſecandam fore crediderам, verum paucas dumtaxat illius fibras inveni, admodum raras, quæque ab una tumoris parte ad alteram protendebantur.

Ad tumorem igitur penitus liberandum ſatis eſſe duxi diffindere fibras hasce, reliquasque membranas, quæ illum anterius verſus bicipitis tendinem irritiebant. Quapropter eum ulterius mihi aditum cultro patefeci, qui idoneus eſſet recipiendo digito indici ſiniſtræ manus, idque magnam mihi opem attulit ad membranas ſcindendas, quas ubi digito ſcindere nequaquam poteram, id cultro præſtabam. Hac vero ratione cum ſupra tumorem, tum infra eum arteriam retexi, omni ope annitens, ne tenta fibra ulla reliqua eſſet, quo nempe bicipitis convulſio præpediretur.

Hanc autem partium ſeparationem etiam in poſteriori tumoris ſede eouſque peregi, donec validum in nervum inciderim, qui arteriam contigue comitatur, & donec membranis omnibus, & muſculis tumorem ita extricaverim, ut eum poſſem ſuperius, atque inferius vinculis coërcere.

Tunc enim acum accepi aliquantum recurvam, hebetiorem, atque in cuſpide perforatam, e qua tria fila pendebant ſatis valida, ceraque obducta. Acum hanc ſub jam ſegregatam arteriam introduxi, tranſvectisque filis omnibus, acum abſtuli. Horum altero ſuperius arteriam vincivi, altero inferius; atque ita aneuryſmaticum corpus inter duo ligamina relictum eſt; tertium vero filum ibi reliqui, ut illo uti poſſem, ſi aliorum alterum, aut abrumperetur, aut non ſatis arteriam comprimeret.

Peractis hisce, tumorem ſecundum longitudinem cultro diſſecui, in eoque polypoſas materias ejuſdem generis reperi, atque in cæteris Aneuryſmatibus inveniuntur. Evacuato autem tumore, miniſtro, cui parvi ligni revolutionem demandaveram, imperavi, ut faſciolam laxaret, quo certior fierem, nihil ſanguinis per ligatam arteriam tranſire, & quanquam nihil inde extillaret, tertio tamen filo iterum arteriam ſupra tumorem firmavi, ut patiens longius abeſſet a funeſtiſſimo omnium ſymptomatum, quæ illi obtingere poſſent, hoc eſt ab hæmorrhagia. Poſtquam vero arteriam perfectiſſime occluſam eſſe cognovi, eidem miniſtro mandavi, ut parvum lignum circumvolvendo, iterum faſciolam conſtringeret, quo vulneri mederi liberius poſſem. Id autem in hunc modum ſum exſecutus.

Cavum aneuryſmaticæ arteriæ, totumque vulnus implevi ſicca filorum congerie, deinde ad tegendum vulnus, ejusque circumferentiam, nec non cubiti articulum, ſtuppa uſus ſum, albumine ovi, & ſpiritu vini madenti. Vulneri impoſui pulvinulum quadratum, craſſumque, & ſuper hoc alterum minori craſſitie, ſed amplitudine majori præditum, ſuper hoc denique linteum quater prius complicatum, quod tenue, & oblongum pulvinulum referebat; id vero tranſverſe circum articulum collocavi; tranſverſe item linteum aliud objeci, in ambobus extremis bifidum, atque ita longum, ut circa articulum ſeſquiambitum perageret; tum brachium deligavi, faſcia uſus Phlebotomiæ apta, verum longitudine prædita plus quam dupla.

Antequam vero vincturam hanc ad finem perducerem, craſſam chartam accepi, tres digitos tranſverſos latam, atque ita longam, ut totum arteriæ tractum tegeret, inter axillam, atque operationis locum interjectum, eique ſuperimpoſui pulvinulum, pro craſſæ chartæ figura latum, longumque, ac ope lintei, quod totum humerum amplecteretur, in modum Phlebotomiæ vincturam ſum profe-

cutus; ſumpto denique alio longiori, magisque lato linteo, extremam vincturæ manum impoſui ſub axilla, cujus cavum implevi pulvinulis, qui ope faſciarum variis modis nunc ſupra, nunc infra humeros volutarum, hîc loci arteriam comprimerent, ſic ut arterioſi ſanguinis impetum remorarentur, antequam ad ligaturam pertingeret. Totum etiam cubitum, manumque faſciis deligavi, cubiti articulum adeo flexum relinquens, ut obtuſum angulum exhiberet.

Ægrotantem ſic vinctum in lecto collocari juſſi, relicta tamen faſciola, quam ad brachium ſtringendum adhibueram, brachioque pulvinarium ope ita conſtituto, ut planum, commodum, & quemadmodum retuli, aliquantum flexum maneret, faſcias omnes tepenti vini ſpiritu madefeci, eas præſertim, quæ ab articulo ad totum cubitum volutæ ferebantur, mandavique miniſtris, ut ſingulis horis balneum hoc tepentis ſpiritus vini iterarent, & tertia quaque hora juſculum præberent Ægroto, quod eum mediocriter enutriret; præſcripta interim ſanguinis miſſione, & alvi per clyſterem ductione.

Per id temporis vero de partis affectæ dolore quodam conqueri cœpit Æger, ſed nullam infractionem animi, & demiſſionem oſtendit, ſicut in ipſa operatione, ita & poſt eam. Præterea, quum miniſtri in eo eſſent, ut de ſecanda vena juſſa capeſſerent, ſanguinem ex affecto brachio extillare cognoverunt, ſed inde nihil exterriti, torcular iterum, quemadmodum imperaveram, conſtrinxerunt, (eo enim conſilio ipſe faſciolam reliqueram) aliamque faſciam volutis faſciis ſuperimpoſuerunt, quæ brachium paulo vehementius deligaret, quibus peractis ſanguis ſtillare deſiit. Poſt hæc ex dextero brachio ſanguis detractus eſt, atque emolliens clyſter injectus.

Dein remittente affectæ partis dolore, faſciola iterum laxata eſt. Hora vero vigeſima prima Ægrotantem reviſens, ejus pulſum deprehendi valde commotum, ipſumque valde irrequietum; quapropter decretum eſt, rebus nequaquam in melius cedentibus, ſanguinem iterum ſub veſperas detrahere. In vulnerati brachii manu idem atque in ſana calor ſeſe offerebat, nullus in ea tumor animadverſus eſt, digitorumque motus ſatis commode abſolvebatur, quamvis Æger ſe nimis conſtrictum eſſe referret.

Sequenti mane ſe noctem totam inſomnem duxiſſe renunciavit, tam ob conſtrictionem nimiam, quam ob vehementem in arteriæ vinculo pulſationem; atque in pulſu quidem conturbatio adhuc major

perſentiebatur. Quoniam autem veſpere præcedenti ſanguis nequaquam detractus fuerat, quia in melius verſus ſibi Æger videbatur, protinus miſſus eſt ex Salvatella, & alvus iterum clyſtere ſubducta; faſciam etiam, quæ noviſſime admota erat, abſtuli, cæterasque laxavi; quibus peractis melius ſe habuit Æger omnino, præcipue vero affectæ partis pulſatio valde remiſit, nec brachio, manuique novi aliquid ſupervenit; ideoque præſcriptam tum victus, tum remediorum rationem non immutavi.

Poſtero die Ægrotantem aliquantulum debilem reperi, ſed dolore fere vacuum, ſomnoque recreatum. Alvus autem liquida erat, ſæpiusque, quam ex conſuetudine, ferri cœperat; quod non levem mihi metum incuſſit; quoniam cum in omni morbo chirurgico, tum in tanti momenti operatione cita alvi dejectio mali ſemper ominis eſſe debet. Quocirca non jam ſimplici jure, ſed levi Panatella, & meridianis, & veſpertinis horis vires ejus reficere conſtitui, præmiſſis ſemper abſorbentibus pulveribus, non ut impetum ventris prohiberem, ſed ut impedimento eſſem, quo minus malum ulterius abiret.

Quoniam vero profluvium hoc ex operatione tam cito oriri poſſe non videbatur, dubitans, quin Æger erratum aliquod commiſiſſet, & de hoc eundem diligenter interrogans, cognovi tamen ab eo, illum panis uncias octo, aliaque cruſtula, ut adſtantium oculos ſubterfugeret, pene devoraſſe, vinique cyathum bibiſſe.

Quarto die eundem febri correptum inveni. Alvus quidem coacta magis erat, nec inſomnem noctem Æger traduxerat, verum magis dolore vulveris vexabatur. Quapropter faſcias omnes, intacto vulnere, penitus laxandas duxi.

Quinto autem, faſciis omnibus reſolutis, vulnereque detecto, pus modicum & laudabile exiit; vulneris labia nec inflammata, nec tumentia apparuerunt; fruſtulum dumtaxat ligatæ arteriæ nigrum conſpiciebatur: vulneri linamentum impoſui, exiliſſimis filis conflatum, & digeſtivo unguento, atque hiſpanæ, ut vocant, oleo illitum, ſuper id linteolum diſponens ex ſolo digeſtivo mollitum, atque ita amplum, ut non modo vulnus, atque humerum, ſed & univerſum articulum comprehenderet. Faſciis autem remiſſis brachium deligans, illud priore poſitu collocavi; a quibus patiens ſe omni prorſus dolore liberatum eſſe renunciavit; atque hactenus fomenta ex vini

ſpiritu

ſpiritu admota ſunt cubito, manuique, quæ jugiter calida ſine tumore permanſit.

Sexto die Ægrotum febricitantem reperi; alvus adhuc fuſa erat, neque Æger ſatis dormiverat: majorem puris, licet laudabilis, copiam, detecto vulnere, offendi, ac proinde veſpertino etiam tempore vulneri mederi decrevi, in quo tamen mutatio nulla alia conſpecta eſt. Veſpere autem, etſi pus matutino puri proportione reſponderet, procedente nihilominus nocte, nova febris acceſſit, Æger irrequietus fuit, pectoris anguſtia vexari cœpit, partisque affectæ dolore, ſic, ut ſanguinis miſſionem poſtulaverit, quæ tamen adminiſtrata nequaquam fuit.

Septimo vero longe melius ſe habuit. Anguſtia pectoris magna ex parte originem ducebat a rheumatica deſtillatione, ex eo contracta, quod non bene opertum ſe in lecto Æger continuiſſet: id totum diem uſque ad ſequentem perduravit.

Octavo vulnus inveni ita pure madidum, ut ligata arteria cum omnibus filamentis a reliquis circumſtantibus partibus jam ſecedere potuerit, vulnusque concocti puris ſigna præ ſe tulerit. Cubitus quoad tumorem, caloremque ſe naturaliter habebat, ſed pollicis, indicisque motus liber non erat, & expeditus. Profundus, parvusque pulſus in carpo perſentiebatur, febris manebat, nec alvus adhuc bene conquieverat. Ipſe vero imperavi, ut impoſterum quolibet mane juſculum ſumeret vulnerarium.

Nono Ægrum reperi febre, atque anguſtia pectoris liberatum. Vulnus bene digeſtum erat, dum tamen mundaretur, magno Æger afficiebatur dolore. Pulſus ſanæ partis validus admodum erat, alvusque ter tantum, nec omnino liquida, prægreſſa nocte dejiciebatur.

Poſtero die, hoc eſt ad initium decimi, Ægrum deprehendi ſomno refectum; bis tantum ab alvo excrementa defluxerant, eaque potius compacta; ille itidem febre prorſus immunis erat: detecto autem vulnere, id etiam melius ſe habere repertum fuit; pus enim, partisque color optima erant, mitiorque dolor. Quare eiſdem ſum uſus medicamentis, eandemque victus rationem imperavi.

Undecimo melius adhuc Æger ſe habuit, neque enim febricitaverat, placideque dormiverat. Vulnus, tantummodo dum detergeretur, levem dolorem ciebat, quamvis optimam concoctionem, optimumque præ ſe ferret colorem.

Duodecimo, quoniam fame tentabatur, permiſi, ut cum mane, tum veſpere ovum pulmento miſceret. Omnia autem in optimo ſtatu perſeverabant, alvique profluvium jam ex toto deſierat.

Decimo tertio pus aliquanto craſſius, colore ſubviridi, majorique quantitate profluxit. Æger tamen ſe nihil aliud peccaſſe affirmavit, niſi quod quatuor cruſtula comediſſet una cum ovo, quod pulmento permixtum conceſſeram, quodque me inſcio, ſorbere conſueverat: & quoniam ſeſquitertium jam diem venter ſuppreſſus erat, clyſter emolliens præſcriptus eſt, quem tamen, quum adventante veſpere febris reverteretur, Æger recipere recuſavit.

Decimo quarto febris perſtabat adhuc, & quidem ſat vehemens. Vulnus, licet primo aſpectu optime ſe oſtenderet, doloroſum tamen, dum mundaretur, rurſus factum erat. Clyſter abſque mora injectus eſt, a quo octies venter, compactaque ſemper, reddidit: & quamvis fruſtula, ovumque Ægrotanti denegaverim, febris tamen perſeveravit, etſi non ita ſævire videretur.

Decimo quinto perſtabat adhuc febris, ſed mitior.

Decimo ſexto vix Æger febricitabat, vulnusque, quum abſtergeretur, vix dolorem movebat, diætam tamen idcirco non immutavi.

Decimo ſeptimo ſemel atque iterum alvus fluxit, turbatio quædam perdurabat adhuc in pulſu, atque ex vulnere pus, quamvis optimum, attamen nimis copioſum, manabat. In hujus vero copiæ cauſam inquirens, ſinum quemdam ſub integumentis deprehendi, qui per cubiti flexionem excurrebat. Hunc verò, comprimente re quadam auferri poſſe ratus, dilatationem nequaquam aggreſſus ſum.

Decimo octavo, etſi febricula perſtabat adhuc, & bis pariter, eaque potius liquida Æger dejecerat, vulnus nihilominus in melius cedebat, & compreſſione illa proficiente, pus minori copia manaverat.

Decimo nono nil novi ſupervenit, niſi quod acres ac anum prope exurentes dejectiones fuerint; proindeque refrigerante clyſtere occurſum eſt.

Vigeſimo quater alvus reddita eſt, at ſine ullo morſu; pulſus imbecillis, neque omnino integer fuit: minor autem puris, ejusque laudabilis copia ferebatur ex vulnere, quod item longe factum anguſtius erat.

Vigeſimo primo febris ex toto conquievit ; venter tamen non adhuc compreſſus erat, quinquies enim fluxerat, unde permoleſtus dolor ex dejectionibus in ano remanebat : quapropter refrigerantes liquores denuo infundebantur, atque Æger abſorbentes pulveres reſumebat, vulnerario juſculo intermiſſo, quod a die nono morbi quotidie ſumpſerat : vulneri unguentum raſinum ſuperimpoſui, & licet impletus jam ſinus videretur, attamen eadem vinctura uſus ſum.

Vigeſimo ſecundo, tertioque cuncta optime ſe habebant, alvo excepta, quæ ſubliquida manebat.

Vigeſimo quarto, alvus compreſſa, vulnus anguſtius, ac proinde ei unguentum ex tutia ſuperinjeci, pleniorem tam mane, quàm veſpere victum inſtitui, ex quatuor nempe panis unciis modicoque vino rubro alvo contrahendæ ſemper opportuno; curavi quoque, ut ex farina tantum ſubacta pulmentum eſſet, velut in more, inſtitutoque hujus noſtri valetudinarii poſitum eſt.

Horum autem uſu ad plures dies producto, tandem trigeſimo tertio optimæ valetûdini Æger redditus fuit, & brachium, & manus motus quoslibet exercebant, licet arteriæ pulſatio vix tactu perciperetur. Ad explorandum verò curioſius febrilem Ægri calorem idoneum thermometrum brachiis ejus per æqualia temporis intervalla alterne admovebamus; tumque mercurium gradibus quatuor altius in ſano, quàm in affecto brachio ſe extuliſſe toties deprehendimus, quoties hac de re experimentum captum fuit. Poſt hæc autem Æger a Noſocomio profectus eſt, optimeque reſtitutus ſeſe domum recepit.

ANIMADVERSIONES ANATOMICO-PRACTICÆ.

SYMPTOMATA, quæ operationem hanc comitata ſunt, & totius affecti membri fere in integrum reſtitutio, in cauſa fuerunt, cur ipſe obſervationes quaſdam cùm ad anatomen, tum ad chirurgiam ſpectantes inſtituerim.

Firmum, ratumque eſt, atque experimentis certiſſimis comprobatum, muſculos quoslibet ſenſu, motuque ſpoliari, ſi vel devincta, vel præciſa arteria ſit, ad illos ſanguinem deferens, perinde atque, aut occluſo, aut amputato nervo accidere conſuevit : ad hæc, quoniam libera ſanguinis circulatio partibus calorem largitur, hac intercepta, & partium calorem auferri neceſſe eſt. Denique, præpedito

ad partem quamlibet affluxu ſanguinis, ibi arteriarum pulſus deficere omnino debet.

Ex omnibus hisce confici poſſe videbatur, Ægrotantis brachium, operatione abſoluta, ſenſu, motuque, ſicut etiam calore, privatum iri, radiique arteriam inpoſterum minime pulſaturam. Verum aliter prorſus accidit; vix enim exacta operatione naturalis in cubito manuque calor permanſit, neque ſenſus ſublatus eſt, neque motus, ſi pollicem, indicemque exceperis, in quibus is omnino liber, & expeditus non erat. Radiæa item arteria, licet paululum, pulſare tamen in carpo perſentiebatur.

Quoniam igitur hæc omnia aperte renunciare videbantur, alias etiam, præter arteriæ majorem truncum, adeſſe vias, per quas ſanguis ad cubitum, manumque feratur, in animum induxi meum illas in apricum proferre, ne earundem ignoratio alicui futura eſſet impedimento, quominus ad hanc operationem aggrederetur.

Verum enimvero, licet in earum inquiſitionem ſedulò vacaviſſem, & quatuor jam brachia fuiſſem ſtudioſiſſime perſcrutatus, nondum tamen ulla mihi lux inde affulſerat. Etenim in ſingulis quidem brachiis eaſdem propemodum arteriarum divaricationes animadverteram, verum nullam potueram anaſtomoſim deprehendere, quamvis in arteriarum extremis, minimisque propaginibus proſequendis nervos omnes induſtriæ meæ contendiſſem.

Harum autem inveſtigationum infortunatum eventum more meo enarravi illuſtriſſimo ampliſſimoque Præſuli Antonio Leprotti, Pontificis maximi Archiatro, viro videlicet anatomicarum rerum ſtudioſiſſimo, & cujus ſingulari doctrinæ, ac humanitati mei omnes qualeſcumque ſint, anatomici progreſſus, mihi accepti ſunt referendi; optimam enim ab illo methodum didici humana cadavera diſſecandi; ex ditiſſima, ſelectiſſimaque illius bibliotheca eas mihi cognitiones haurire licuit, ſine quibus recentiſſima quæque, pulcherrimaque anatomicorum inventa nunquam reperire in cadaveribus potuiſſem; ſemper denique ab ipſo inſtrumentorum mihi copia largiſſima facta uit, ut illis adjutus anatomicas quaſcunque adminiſtrationes tentarem.

f Ipſe igitur hæc ei, ut dicebam, nuncianti mihi, in manum protinus dedit ſecundum volumen Obſervationum Societatis Edimburgenſis, in quo ſumma cum animi oblectatione pulcherrimam reperi, omnibusque ſuis numeris expletam obſervationem Domini Macgill,

de hujusce Aneuryſmatis operatione, doctiſſimamque illi annexam explanationem Domini Al. Monro, de Arteriarum Tunicis, earumque morbis, præcipue vero de Aneuryſmatum ortu, ubi quatuor ipſe Figuras exhibet, quarum quæ ſecundo loco poſita eſt, celeberrimi Cowperi, & quæ quarto Anaſtomoſim aperte oſtendunt, quæ vero priore loco ſita eſt, trunci majoris, iter, ejusque diſtributiones tantum patefacit.

Quum autem hæc, quam primam illic dixi obtinere ſedem, vel ipſo Auctore teſte omnium frequentiſſime deprehendatur, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi in hanc diligentius inquiſiviſſem, ut operationem tanti in chirurgia momenti illuſtrarem. Antedicta enim figura anaſtomoſim in conſpectum non dat, verum ſupponenda eſt, quod in demonſtrativa re fieri nequaquam deberet. Ad hæc ante flexionem cubiti unam tantum divaricationem oſtendit, quum ego duas ſaltem conſtantiſſime animadverterim, ut ex figuris videre eſt.

Non aliter autem exiſtimavi rem hanc dilucide aperire me poſſe, niſi injectione, quam exſecutus ſum in hunc modum: Integumenta incidi in loco, ubi tumor oriri ſolet, inventaque arteria, ibi eam deligavi, tam ut liquor injectus vi, & impetu quodam trunci propagines ingrederetur, quam ut idem liquor vaſa majora ligaturæ ſubjecta anaſtomoſis ope ſubiret, quemadmodum reipſa contigit. Nam arteriis prius deligatis, quæ in muſculos multiplici ſobole diſperguntur, & vix exacta injectione in axillarem, truncus maximus, etiam infra vinculum, ita tumefactus apparuit, ut miniſter, qui mihi aderat, inſcius cur hoc feciſſem, ſed inciſionum anatomicarum peritiſſimus, ſtatim exclamaverit: vinculum laxatum eſt; liquor enim infra illud penetravit. Tunc ipſe meam illi mentem aperiens, alacri animo anaſtomoſi retegendæ totus incubui, eamque pulcherrimam reperi (*).

Aliæ Animadverſiones.

Ex plurimis brachiis, quæ tum injectionis ope, tum ſine injectione luſtravimus, licet adhuc in nullo datum nobis fuerit duplicem humeri arteriæ ramum offendere, monendum tamen eſſe putamus, id ob-

(*) Omiſſæ ſunt figuræ Guattani I, II, III, quoniam eædem, & melius quidem inter illas occurrunt, quas Trew dedit; inſpiciatur ergo Icon 12, 13. Trew fig. 4, 6.

ſervatum fuiſſe non ſolum a laudato Viro D. Al. Monro, ut idem ipſe in figura tertia demonſtrat, verum etiam a celeberrimo Heiſtero, qui præterea binos hosce arteriæ ramos uſque ad manum divaricatos, diductosque ab invicem, nobis ſiſtit, atque etiam in ſingulis digitorum apicibus anaſtomoſes horum ramorum delineat (**). Hæc ſane arteriæ diſtributio, ſi quando contigerit, Aneuryſmatis operationi aggrediendæ jam enarratis diſtributionibus utilior erit, ut attendenti cuique patere poteſt.

In ſingulis vero injectionibus, de quibus hactenus verba fecimus, antequam colorati liquores in axillarem arteriam infunderentur, vinculo coërcita arteria fuit eo loci, unde, ob ſanguinis miſſionem male adminiſtratam, aneuryſmaticus tumor emergere conſuevit; idque, veluti præmonuimus, eo conſilio factum eſt, ut injectus liquor in ramulos quoſcumque laterales facilius protrudi poſſet. Hìc vero præterea monendum eſt, tandem coloratam hanc injectionem vel ſine vinctura a nobis fuiſſe inſtitutam, eamque ramulos omnes laterales cum ſuis anaſtomoſibus æque ſpectandos exhibuiſſe, ut in prægreſſis contigerat experimentis.

Animadvertendum inſuper eſt, brachii Aneuryſma tunc potiſſimum exoriri ſolitum eſſe, quum in ſanguinis detractione, cephalica, mediaque prætermiſſis, baſilica vena ſecanda deligitur; nam ſub illa plerumque decurrit humeri arteria, ex quo evenit, ut ſub illa quoque arteriæ pulſum deprehendere datum ſit, licet is aliquando etiam ſub media, vel circa eam perſentiatur. Chirurgi partes igitur fuerint, antequam ſanguinem mittat, perpendere, tactuque diſquirere, ſub quanam ex tribus hisce venis arteria feratur, & hac rejecta, ad alias confugere, ſi æque commode id fieri poſſit.

Ipſe profecto pluries Baſilicam acicula terebravi eo loci, unde ſanguis educi ſolet, deinde hanc aciculam ibi defoſſam relinquens, & cultro retegere ſatagens, ubinam, perforata jam vena, ea figeretur, illam arteriæ ipſi utplurimum affixam reperi, nonnunquam autem & prope arteriam; nec equidem hujus rei periculum feci, ut certior fierem, an ſub vena baſilica incederet, nec ne, arteria; de hoc enim mihi abunde conſtabat; ſed ut penitius mihi innoteſceret,

(**) Commerc. Litterar. a. 1742. Tab. II, Fig. 12.

quænam diſtantia inter læſionis locum, diſtributionesque arteriæ intercederet. Ex hoc enim perſpicuum fieret dum tumor increſceret aneuryſmaticus, quamdiu ſanguini per propagationes laterales expeditus aditus ad inferiora pateret, & quamdiu hujus adeundæ operationis tuta nobis occaſio eſſet. Factis igitur, ut dicebam, experimentis, compertum eſt, locum, qui ob inciſam, perfoſſamque Baſilicam lædi ſolet, a loco, unde arteriæ laterales anaſtomoſi inſervientes progerminant, duos digitos tranſverſos disjungi.

Jam vero intervallum hoc omnino Aneuryſmate repleri nequaquam debet, priuſquam hæc operatio tentetur, ne videlicet, tam ſupra tumorem, quàm infra illum, arteriam deligantes, vel ſuperiori vinculo ſuperiores, vel inferiori inferiores propagines deſtruamus. Etenim, ſi illarum omnium deſtructio contingat, apertiſſimum eſt, brachium, manumque ita ſanguine ſpoliatum iri, ut inde ea debeant ſymptomata proficiſci, quibus non aliter fortaſſe mederi, quàm brachii præciſione conceſſum erit. Si qua vero tantum propago intercidat, aut ab arteria radiæa, aut ab ulnari progenita, ſenſus, motusque iis dumtaxat partibus adimetur, quæ ab eadem illa arteria ſanguine perfunduntur. Hoc ſane Ægrotanti D. Macgill accidiſſe videtur, in quo, ut ipſemet faſſus eſt, vel duobus tranſactis ab operatione jam menſibus, nullus arteriæ pulſus in carpo perſentiebatur, pollicis, indicisque motus impeditiſſimus erat, affectumque membrum non ſolum debile evaſerat, verum etiam ſtupore quodam detinebatur. Quæ omnia etiam deinceps perſeveraſſe putandum eſt, excepta omnimoda defectione pulſus, quem unum D. Macgill poſt aliquot menſes aliquantulum in carpo emicuiſſe adnotavit. Quod ſcilicet nequaquam contigit in noſtro Ægroto, ut jam vidimus; is enim in præſentiarum, præter arteriæ pulſum non æque validum, ac antea fuerat, nullis aliis morbi reliquiis afficitur. Quocirca perpendens ipſe univerſa ſymptomata, quæ Ægrotanti D. Macgill poſt operationem acciderunt, & a quibus Æger noſter immunis fuit, facile adducor, ut credam, in illo ob nimis auctam tumoris molem ante inchoatam operationem, totum intervallum, quod inter læſionis locum, & laterales arterioſas propagines intercedit, a tumore ita repletum fuiſſe, ut aliqua ex inferioribus propaginibus, vel ipſa intercepta fuerit operatione, vel putrefactionis tempore ablata; unde ſanguinis circulatio per omnes deinde arterias non rite abſolvi potuerit.

CONCLUSIO.

Quoniam vero univerſa hæc incommoda declinare poſſe, quammaxime optandum eſt, hanc ſaltem utilitatem ab enarrata noſtra obſervatione emanare arbitror, quod ex ea colligere facillimum ſit, non valde nobis cunctandum eſſe, priuſquam hanc exordiamur operationem, ne, præter cætera damna, quæ inde profluere poſſent, jacturam etiam faciamus alicujus rami inferioris, ſeſe anaſtomoſi cum ſuperiori jungentis; unde ea, quæ hucuſque proſecuti ſumus, detrimenta proficiſcantur. Poſtquam igitur nihil eorum neglexerimus, quæ ad inhibendum tumorem a ſcriptoribus præcipiuntur, noſtrumque propoſitum e ſententia nequaquam ceſſerit, auctor ſum, ut, abjecta quacumque mora, prædicta operatio protinus inſtituatur. Quod ſanè monitum non tantum ex arteriarum ſtructura ſibi auctoritatem adjungit, verum etiam ex collatis inter ſe duorum Ægrotantium hiſtoriis videntiſſime comprobatur.

DE SPURIO BRACHII ANEURYSMATE.

DESCRIPTUM modo Aneuryſma non unicum profecto eſt, quod occaſione Phlebotomiæ in cubiti flexu accidere conſueverit; ea enim dumtaxat reſpicit Aneuryſmata, quæ vera a Chirurgis vocari ſolent; ſed hoc in loco altera quoque, & longe ſæpius profecto ſpecies oboritur Aneuryſmatum, quæ ſpuria communiter nuncupantur. Quapropter gratum exiſtimo, acceptumque Phlebotomiſtis futurum, ſi notas ego indicavero ad hæc pariter dignoſcenda opportunas, ſimulque tutiſſimam, ſimpliciſſimamque methodum patefecero, qua, nullis aliis adhibitis periculoſis operationibus, ad priſtinam ea valetudinem revocentur. Hæc methodus, etſi a nemine hactenus pro dignitate expoſita fuerit, mihi tamen tutiſſima, maximique momenti eſſe videtur. Licet autem cùm in recentibus Academiis, tum in veterum Medicorum ſcriptis, ne excepto quidem ipſo Galeno, frequenter nobis occurrant hujuſmodi obſervationes; ego tamen ſilentio omnes has præteribo, unam dumtaxat ſi exemeris, quam protulit in ſua Chirurgica Anatome Bernardinus Genga meus quondam in venerabili S. Spiritus Noſocomio celeberrimus Prædeceſſor, atque hoc potiſſimum nomine, quod Genghæ obſervatio eo ſimiliter ſpectet, ut eumdem, quem ipſe mihi conſtitui, terminum aſſequatur.

Prout

Prout igitur in miſſione ſanguinis ex baſilica vena, aut magis, aut minus alte demergitur ſcalpellum chirurgicum, hoc magis, minusque pariter ſubjectam non raro pertundi arteriam contingit. In illa autem ſi ferri mucro ad cavum uſque haud pertingat, ſed ex quinque arteriam componentibus tunicis duas tantum, vel tres confodiat, verum progignitur Aneuryſma. Imminuto enim in vulnerata ſede adverſo conatu, arterioſus ſanguis, integras adhuc membranas jugiter feriens, eas pedetentim ita diſtendet, ut hernioſæ tandem reddantur, indolentemque ocyus, ſeriusve pariant tumorem, qui non ſolum nativo gaudebit colore partis, & rotunda, vel ovali figura, ſed ſenſibili quoque, eaque ſat valida pulſatione; quod ſymptoma, etſi in hac ſpecie Aneuryſmatum ſignum ſit omnium minime æquivocum, non ſemper tamen illico apparet, verum poſt dies aliquot, vel hebdomadas, vel etiam menſes ſe prodit, velut in nuper allato Aneuryſmate contigit, quod nobis eſſe tanquam regula poterit ad Aneuryſmata ejuſmodi cognoſcenda, perſanandaque, ſi mea vinciendi, comprimendique methodus non ſuffecerit.

Quotieſcunque autem, dum vena pertunditur, in cavum arteriæ ſcalpellum chirurgicum penetraverit, id nobis apertiſſime renunciari vulgo putatur per ea ſymptomata, quæ in medium affert Galenus lib. v. methodi cap. vi, dum inquit: *Sanguis autem flavus, & tenuis, & fervidus ſtatim ejaculatur, idque cum quodam veluti ſaltu.* In hoc videlicet ſita eſt altera ſpecies Aneuryſmatum, quæ ſpuria, vel notha audiunt, de quibus hîc mihi verba potiſſimum facienda ſunt. Animadvertendum eſt autem, arteriam brachialem non ſemper eumdem hac in ſede tranſitum obtinere; modo enim, & quidem ſæpius, ſub ipſa directe incedit vena baſilica, modo aliquanto antrorſum porrigitur verſus medianam venam, modo denique retrorſum fertur inter venam baſilicam, atque apophyſim humeri internam, quemadmodum eam ſe reperiſſe narrat ipſemet Bernardinus Genga in homine illo, qui anſam ei dedit, ut docte, ſapienterque ad conglutinandum arteriæ vulnus methodum omnium mea ſententia tutiſſimam, prorſusque novam excogitaret. Poteſt tandem confodi inuſitata quædam, eaque parva propago, quæ ex brachiali arteria ortum ducens deſuper trajicit baſilicam venam eo loci in primis, ubi hæc pertunditur in ſanguinis eductione, ut in quodam contigit Equite, qui fuit in cauſa Chirurgo, hunc caſum inſanabilem exiſtimanti, ut

is in cœtum ſe abderet Cœnobitarum, Religioſæque nomen familiæ daret.

Animadvertendum eſt inſuper, impetum, atque indolem ſanguinis non eſſe notas ejuſmodi, ut ex illis certo ſtatuere valeat Phlebotomiſta, ſe arteriam ſubjectam perterebraſſe, ſicuti in alio Ægrotante accidit, ad quem pariter laudatus Genga arceſſitus fuit, ut brachialis arteriæ vulneri imaginario opem ferret. Ipſe enim ſtatim cognovit ſanguinis exitum ſaltuatim fieri ex nimia propinquitate arteriæ, quæ ſuam pulſationem ipſimet venæ communicans effecit, ut Phlebotomiſta, ut Ægrotans, ut omnes denique adſtantes læſam fuiſſe arteriam exiſtimaverint, eoque magis, quod in eodem ſubjecto cruor valde tenuis, ac diſſolutus reperiebatur.

Quoniam igitur ſanguinis impetus, & ſaltuoſus exitus, ejuſdemque vividior color, tenuitas, & diſſolutio confoſſæ arteriæ nimis æquivoca ſigna ſunt; ac præterea quoniam facta infra vulnus, ab eoque digitum diſtans compreſſio venæ baſilicæ, ut ſanguinis curſus intercipiatur, ob illius communicationem cum aliis venis, non poteſt hujusce rei magis certum indicium eſſe; debebit Phlebotomiſta experiri ſtatim compreſſionem in ipſa arteria brachiali, ei pollicem admovens tranſacto digito ſupra vulnus, ſique viderit aut ex toto, aut magna ſaltem ex parte ſanguinis impetum, ac emicationem deſinere, hoc non æquivocum erit arteriæ læſæ argumentum; idcirco vero aut ex toto, aut magna ſaltem ex parte dixi, quod ex inferiori ſede per laterales arterias nonnihil ſanguinis poterit vulnerato loco ſuppeditari, velut in figuris, quæ ad brachii pertinent Aneuryſma, clare conſpicitur. *cf. Trew f. 4, 6.*

Ubi autem a lateralibus arteriis huic etiam experimento tenebras offundi contigerit, omnium tutiſſimum erit, ut Phlebotomiſta, dum vulnus miniſter comprimit, ſuperiorem humeri ſedem revinciat, ea profecto ratione, qua fieri ſolet, dum membrum hoc amputatur, in modum ſcilicet torcularis. Hæc autem vinctura in primis eo pertinet, ut ſanguinis arterioſi curſum cohibeat, ab eaque deſcribenda hîc ego mihi temperandum exiſtimavi, quod in chirurgicarum operationum tractatibus ubique proſtet, quodque potiſſimum Phlebotomiſtis apte addiſcenda ſit, antequam exercitium mittendi ſanguinis aggrediantur.

Vinculum hoc, ut par eſt, adſtrictum, ſi facta præſertim illius ſedis, qua brachii pertranſeunt vaſa, debita ſimul fuerit compreſſio,

moram certò interponet ſanguinis curſui, nobisque evidentiſſimum exhibebit vulneratæ arteriæ argumentum; atque inſervire etiam poterit ad illud inſtituendum faſciæ genus, quod ſagaciter excogitavit, & quo feliciſſime uſus eſt Bernardinus Genga ad arteriæ vulnus conglutinandum; quodque profecto, ſi illico cum nonnullis præſertim a me additis conſiderationibus adhibeatur, præſidium mihi videtur certiſſimum, atque auctor idcirco ſum cunctis Phlebotomiſtis, ut in ejuſmodi circumſtantiis animum minime deſpondentes, opus alacriter aggrediantur, quumque de hominis vita, aut ſaltem de membri mutilatione agatur, ne ſibi aſſententur, in ſpem adducti fore, ut vulnus ipſi perſanent, abſque eo quod detegatur admiſſus error. Errores enim hujuſmodi nunquam delituerunt, niſi fortuito, quoties nimirum contigerit, ut ab initio unitum ſervetur arteriæ vulnus per ſolam illam vinciendi methodum, quæ in ſanguinis miſſione adhiberi ſolet, cui ſane fidendum nequaquam eſt, niſi forte inuſitatus adfuerit deſcriptus jam ſurculus arterioſus, quem difficile non erit dignoſcere ex tenuiſſimo profiliente ſanguinis rivulo, dum nullum interea in brachiali truncò motus incrementum percipitur.

Genghianæ faſciæ præſidium, ut ipſi contigit Auctori, debet feliciter ex animi ſententia cedere, ſi illico adhibeatur; nam ex brachii vinctura, preſſioneque vulneratæ arteriæ, antequam ſanguis extra vaſa feratur, hoc maximum naſcitur emolumentum, ut nihil jam vulneris coaleſcentiam inhibeat, nec ſanguis per cellularem telam effuſus muſculoſa brachii interſtitia univerſa occupet, uſque ad axillas, ac muſculos pectorales, ut accidit cuidam mulieri, in qua idipſum fuit cauſa ſuffocationis (*); aut quemadmodum in alio viro obſervatum eſt, ubi ex alcoholis fotu continuo, continuaque brachii flexione tanta in bicipitis tendine orta rigiditas fuit, ut nihil deinceps eum relaxare valuerit ad arteriæ vincturam inſtituendam, quæ, quum ego arceſſitus fui, ſeptem nimirum, ac viginti diebus jam ab eventu elapſis, ſi excipiatur brachii amputatio, in hoc patiente ſola ſupererat. Quum igitur ob contractionem, rigiditatemque tendinis in bicipite, vincturam ego in arteria fieri non poſſe clare cognoſcerem, ad brachii me contuli amputationem, quam ſtatim aggreſſus ſum una cum ſæpius laudato Petro Javina; deinde vero quum domi meæ

(*) Hiſt. II.

vulneris ſtatum ambo in arteria perſcrutaremur, in maximam incidimus illam cùm inveniendi, tum quoque vinciendi difficultatem; hæc enim arteria non amplius in conſueto manebat loco, verum ab illo prorſus receſſerat ob effuſum, concretumque ſanguinem, qui eam ſurſum propulerat uſque ad internam cutis, ac pinguedinis faciem, concretum tegentem ſanguinem in cubiti flexione, quæ tota in tumorem attollebatur.

Equidem valde gaviſus ſum vel hoc nomine, me vincturæ operationem minime aggreſſum fuiſſe; ſi enim tam difficile fuit in brachio etiam amputato arteriam deprehendere, in eodem adhuc vivente hoc difficillimum fuiſſe futurum, utrique noſtrum eſt viſum. Quapropter aliis incommodis, quæ incidere conſueverunt, ſi ab initio neglectum fuerit remedium omnium tutiſſimum, Genghianæ nimirum faſciæ obligatio, duo iſta pariter accenſenda ſunt, rigiditas nimirum inſuperabilis in bicipitis tendine, atque in ipſa brachiali arteria ſitus mutatio.

Æger hic, qui mediocri præditus erat temperamento, & parva donatus proceritate, quintumque ſupra ſexageſimum agebat ætatis annum, ad quartum decimum uſque diem ita ſe habuit feliciter, ut in illo vivida jam, ſalubrique carne os præciſum obtegeretur, ulcusque etiam ita jam erat arctatum, ut pollicis amplitudinem non excederet. Quum autem hac eadem die ſub veſperam tertiana ille febri, eaque duplici corriperetur, licet omnia excellentiſſimus Medicus Michaelius opportuna eidem oppoſuiſſet auxilia, vigeſima prima morbi die, ſeptima ſcilicet ab exortu febris, nulla tamen in ulcere mutatione facta, mortem oppetiit. Hic itaque Aneuryſmate affectus Æger ob febrem procul dubio tantummodo, non vero ob amputationem deceſſit. Hìc enim locum habere nequaquam poſſunt eæ mortis cauſæ, quas in medium attulimus agentes de quatuor amputationibus Aneuryſmatum poplitis occaſione inſtitutis; nam ab interiori vitio illa orta fuerant, quum hoc brachii Aneuryſma originem ſuam emiſſioni ſanguinis debuiſſet. Et revera in alio quoque Ægrotante, in quo eamdem ob cauſam brachium præcideram, citiſſima fuit in ſtatum priſtinæ valetudinis reſtitutio; in Aneuryſmatibus enim illis, quæ a violentia externa naſcuntur, affecti membri amputatio optimum eſt, haberique debet præſidium.

Animadversiones.

Sed antequam excogitatam a Bernardino Genga faſciarum circumductionem deſcribam, quamdam hîc lubet animadverſionem præmitterere, quam utiliſſimam puto, & ex qua felicem illius exitum in primis pendere arbitror. Quoniam ergo triplici modo, in longum ſcilicet, oblique, ac tranſverſim venæ a Phlebotomiſta ſolent incidi, eiſdemmet directionibus vulnerari quoque arteriam continget; nam hujus inciſio venæ conſequitur inciſionem. Jam vero generale in arte chirurgica præceptum eſt, in vulneribus omnibus, quæ unionem poſtulant, enitendum eſſe, ut coalitus fiat juxta vulneris directionem; aliter enim diductarum partium conjunctio obtineri nequit. Hinc generale pariter præceptum eſt, vulneratas partes, quæ extenſionis, flexionisque motum obtinuerunt, ita collocare, ut directioni vulneris examuſſim reſpondeant, quo poſſint inſimul adhæreſcere. Ex. gr. ſi bicipitis tendo vulneratus in brachio juxta longitudinem fuerit, neminem præterit, oportere hoc in caſu, ut brachium cùm reſpectu cutis, tum etiam reſpectu tendinis, collocetur extenſum, & non ad obtuſum angulum; extenſum enim contigua cuſtodiet vulneris labia, quæ per obtuſum angulum cogerentur a ſe mutuo recedere; contra vero, ſi vulnus idem fuerit oblique, aut tranſverſe inflictum, flexuoſus hic brachii poſitus labia ad contactum ſervabit. Quapropter brachialis item arteriæ vulnus hanc ſane poſtulat diſtinctionem, quæ patet etiam, ſi experimentum fiat in cadavere, licet arteria tunc temporis vacua ſit, licet in ea deficiat arterioſi ſanguinis impetus, & licet nativam illam elaſticitatem non ſervet. Sed alia huc quoque accedit conſideratio, quod ſcilicet inflexio brachii, poſtquam illud extenſum, dum faſciis obduceretur, fuiſſet, chirurgicum apparatum relaxet, imminuatque vim compreſſionis. In hunc autem nos errorem impellit, niſi in id ſedulo animum intendamus, ea quæ viget apud Chirurgos conſuetudine, faſcia obligatum brachium ad obtuſum angulum collocandi.

Quum in pluribus ſat mihi cognitis caſibus, ubi occaſione Phlebotomiæ vulnus brachiali arteriæ fuerat inflictum, per ſolam ego applicationem faſciarum, quæ affectum locum dumtaxat ſupra conſuetudinem premerent, nonnullos Ægrotantes vidiſſem priſtinæ valetudini reſtitutos, in animum induxi meum cauſam inquirere, quam-

obrem non ubique idipſum contingeret, eoque magis, quod in ejuſmodi caſibus Phlebotomiſta æque diligenter ubique & compreſſionem inſtituit, & brachium ad obtuſum angulum collocat. Sed in ſuperius allata diſtinctione me illam ego inveniſſe arbitror, tum ob rationes nuper expoſitas, tum etiam quod hoc ipſum auctoritate comprobetur quatuor Aneuryſmatum, quæ ſe deinceps mihi obtulerunt; nam unumquodque illorum in vulnere, aut cicatrice longitudinalem figuram, non autem obliquam, neque tranſverſam exhibuit, eædemque fuerunt curæ, ac diligentiæ in unumquodque collatæ.

Tale ſiquidem vulnus fuit non tegumentorum dumtaxat, verum etiam arteriæ, quam a morte rimatus ſum in ſupradicta muliere, quæ ſuffocata deceſſit, in qua omnino inutilis fuit arctiſſima licet compreſſiva vinctura continenter adhibita uſque ad diem ſextum, quando ego eamdem conſpexi brachium gerentem ad obtuſum angulum ſitum. Tale inſuper vulnus fuerat tegumentorum in eo ſubjecto, ubi ego brachii amputationem inſtitui, taleque a me pariter deprehenſum in illius arteria fuiſſet, ni temporis diuturnitas foramen ei conciliaſſet ſphærico-ovale, quemadmodum videri in eo poteſt arteriæ fruſtulo, quod a me adhuc domi aſſervatur. Eamdem denique directionem habuerunt cicatrices duorum aliorum Aneuryſmatum, quæ a me ſimiliter cuſtodiuntur, de quibus mox ego breviter loquar, quod peculiares in illis, ſcituque dignæ circumſtantiæ quædam occurrant.

Quoniam igitur in quatuor allatis Aneuryſmatibus tegumenta longitudinalem cicatricis directionem conſtantiſſime exhibuerunt, & quoniam nullum eorum per conſuetam vinciendi, & articulum collocandi methodum reſtitui in integrum valuit, ſecus ac in pluribus aliis non raro contingere animadvertimus, facile adducor, ut credam, non imaginariam, verum realem me diſtinctionem propoſuiſſe, longeque fidentius aſſero, Phlebotomiſtam ex directione, quam extrinſecus in tegumentorum vulnere deprehendet, eam percepturum eſſe, qua præditum erit vulnus arteriæ; ideoque ſi longitudinalem in tegumentis ille vulnuſculi directionem invenerit, brachium cum faſcia obducere, tum collocare extenſum debebit; ſi autem tranſverſam, aut obliquam in tegumentis eiſdem illam offenderit, contrario modo ſe geret, hoc eſt inflexum ad obtuſum angulum brachium faſcia conſtringet, ac illud hoc ipſo in poſitu conſervabit.

HISTORIA III.

Ex duobus vero ſuperius indicatis Aneuryſmatibus primum contigit in juvene quodam ſutore ſeptem & viginti annos nato, cui XVIII kalendas Septembris anni 1769 ſanguis e dextri brachii vena baſilica miſſus fuerat, & quem VII kalendas Novembris ejuſdem anni inter Ægrotantes in ſancti Spiritus Noſocomio meæ curationi creditos lecto affixum inveni. Cicatricem igitur ego in baſilicæ venæ ſede longitudinalem conſpiciens, ibidem quoque tuberculum deprehendi, ſphærica donatum figura, ceraſumque ſua magnitudine adæquans, quod dolore omnino vacuum quum eſſet, nativoque partis colore præditum, vehementer tamen pulſabat, ac ſibilo quodam ſatis violento comitabatur. Tuberculum hoc, ſi digitis comprimeretur, illico evaneſcebat, ſed illico pariter ſui juris factum revertebatur. Satis quoque tactus beneficio patebat, memoratum ſibilum fieri a ſanguine, qui per anguſtum foramen in tuberculi centrum evibraretur.

Ipſe igitur narravit mihi, cruorem, ſtatim ac a Phlebotomiſta baſilica vena inciſa fuiſſet, tanta violentia proſiluiſſe, ut ad illum cohibendum opus ei fuerit duos vulneri apponere valde duros pulvillos, eoſque valida vinctura comprimere; tertio autem jam adventante die, propter nimiam brachii tumefactionem coactum fuiſſe Phlebotomiſtam obductam plagæ vittam explicare, inventaque perfecta vulneris coaleſcentia, brachium priſtinæ libertati reddidiſſe. Quum vero, nonnullis tranſactis diebus, Æger in vulneris ſede inſolitam pulſationem, eamque validam percepiſſet, ipſique deinceps deſcriptum patefieret tuberculum, decrevit, ut dixi, ſe ad Noſocomium conferre, ubi ego meam illico in eodem inſtitui comprimentem vincturam, quam exorſus ſum ab applicatione quadrati pulvilli, cui duos alios ſuperimpoſui, longos quidem, ſed decuſſatos ad modum litteræ X, ut nimirum utriuſque centrum quadrati pulvilli centro reſpondens blande comprimeret Aneuryſma. Hos deinde pulvillos madefeci ſpiritu vini, contexique linteis, quæ pariter integrum articulum circumdarent, quæque in extremis ſuis fiſſa eſſent, quo melius aptari poſſent. Repetitis denique faſciæ flexibus, ac circuitionibus, ut fieri quotidie a ſanguinis miſſione cernimus, totam compreſſionem prorſus firmavi. His peractis, longitudinalem alium, ſatiſque craſſum

pulvillum a cubiti flexu ad axillam uſque ſecundum vaſorum ductum humero admovi, ut in brachiali arteria ſanguinis curſum infringerem, atque aliis linteis ſpiritu vini madentibus, quæ univerſum ambirent humerum, dictum pulvillum contexi, firmavique compreſſiva vinctura, ſed tamen non ita valida, ut ſanguinis curſum penitus interciperet. Brachium in ſitu locatum fuit potius recto, non flexuoſo; opportuno vitæ regimini parere Ægrotans coactus eſt, dempta illi fuit idonea ſanguinis copia, totique apparatui identidem aut vini ſpiritus, aut poſca deſuper adfuſa eſt.

Octo poſt diebus eamdem vincturam inſtauravi, modica quoque celebrata miſſione ſanguinis, quod iterum poſt alios dies decem a me repetitum fuit. Et quamvis tunc temporis tuberculum appareret prorſus depreſſum, ego tamen inceptum apparatum eodem ſum ordine proſecutus uſque ad dies quadraginta, quibus tranſactis, quum abunde pateret, dictum tuberculum, licet ſui juris omnino fieret, non amplius in conſpectum ſe dare, illud tandem ſolo defenſum Phlebotomiæ vinculo dereliqui, etſi adhuc pulſatio, allatusque ſibilus, longe tamen debilius continuarent.

Hoc in ſtatu voluit Ægrotans e Noſocomio diſcedere, atque etiamſi intemperanter vixiſſet, ſuſcepiſſetque laborioſum artis ſuæ munus, quo perfuncturus omne faſciarum genus prorſus abjicere coactus fuerit, in eodem ſtatu ſe nihilominus conſervavit uſque ad menſem Februarium anni 1771, quo tempore ego brachium iterum luſtrans, duarum linearum intervallo a recta venæ baſilicæ cicatrice idem pullulare rurſus tuberculum animadverti, jam ciceris magnitudine præditum. Maximum tamen, quod offendi, diſcrimen in vitioſa poſitum fuit pulſatione, ac dilatatione, quæ in brachialis arteriæ trunco perſentiebatur, quæque antea ſolum afficiebat tuberculum; ideoque ſatis proſpicio, fore ut aliquando ad arteriæ vincturam ſit confugiendum.

HISTORIA IV.

Quum parvum intercedat diſcrimen inter hiſtoriam deſcripti modo Aneuryſmatis, & hiſtoriam alterius, quod mihi ſe obtulit VI Idus Aprilis præſentis anni 1771 in perilluſtri D. Joſepho Morello Valmontonenſi annos nato viginti quatuor, quem ad me miſit Joſeph Paolettus Præneſtinus Chirurgus; accuratam hujus poſtremi deſcriptionem

ptionem omittam, hoc tantum adnotans, Morellum hunc XII kalendas Februarii ex ſiniſtro brachio ſanguinem ſibi detrahi juſſiſſe; ad hæc intervallo ſeptuaginta quinque dierum non valde increviſſe tuberculum aneuryſmaticum, quum magnitudinem hactenus non excederet ordinarii phaſeoli, ac denique baſilicam venam factam fuiſſe ſenſibiliter varicoſam; in reliquis enim omnibus hoc Aneuryſma ſupra deſcriptum tuberculum penitus referebat. Hunc autem ipſe Ægrotantem ad divi Gallicani Noſocomium adduxi, ut illum oſtenderem Chirurgiæ ſtudioſis juvenibus, & poſtquam coram iis idoneam inſtitui faſciarum circumductionem, illum ad præfatum Præneſtinum Chirurgum Joſephum Paolettum remiſi, ut eamdem vinciendi methodum continuaret. Ex eo autem nuper reſcivi, Morellum noſtrum, poſtquam per integrum menſem, nullo tumoris facto incremento, eadem ſe ratione habuiſſet, priſtinam deinceps, atque omnimodam ſanitatem recuperaſſe.

ANIMADVERSIONES.

NEGARI ſane non poteſt, duo hæc allata Aneuryſmata a duabus differre eorumdem ſpeciebus, ad quas poſt Paulum Æginetam Aneuryſmata omnia penes Chirurgos redacta ſunt. Præter enim memoratum ſibilum, ac non naturalem tuberculi pulſationem a brachiali trunco minime dependentem, omnimoda per ſolam digitorum preſſionem abolitio ejuſdem tuberculi, abſque eo quod alibi ſanguis tumorem pareret, neque veri, neque falſi Aneuryſmatis ordinarium profecto ſymptoma fuit. Et revera putandusne ſanguis tam celeriter in eamdem arteriam, unde prodierat, per digitorum preſſionem redigi potuiſſe? Id ſane rationi valde conſentaneum non eſt. Si autem ille ſe in arteriam non infert, quonam quæſo abiturus eſt? Per cellularemne tunicam diffundetur? minime gentium; nam in eadem ſeipſum manifeſtaret. Ad hæc, quomodo intelligi poteſt tam parvum intra quinque, & ſeptuaginta dies Aneuryſmatis incrementum? Quomodo poterit varicoſa explicari venæ baſilicæ affectio? Qua tandem fieri ratione valuit, ut ſanguis intra Aneuryſma perpetuo fluidus permanſerit, neque in duram maſſam concreverit, ut in omnibus ſeu veris, ſeu falſis Aneuryſmatibus jugiter contingere animadvertimus?

Ff

Plurima a me inſtituta in duobus hisce brachiis experimenta, quæ brevitati ſtudens ſilentio prætereo, me impulerunt, ut crederem, in utroque Aneuryſmate venæ baſilicæ vulnus, vulnusque ſubjectæ arteriæ brachialis per compreſſivam vincturam ita invicem in modum anaſtomoſeos coaluiſſe, ut ſanguis a foramine arteriæ prodiens per venæ foramen intra baſilicam ſe recta intulerit, & cum venoſo commiſtus ſanguine breviorem cum eo circuitum abſolverit. En igitur cauſa, cur Aneuryſma tam lente increverit, cur ſanguis in illo fluidus permanſerit, & cur ſola digitorum preſſione illico tuberculum penitus evanuerit. Hæc enim omnia, ni fallor, inde fluxiſſe putanda ſunt, quod ſanguis in venam ſtatim ingrederetur.

Hæc prorſus inuſitata Aneuryſmatum ſpecies palam oſtendit, quam veridicum, æquumque fuerit diſcrimen a me ſuperius adductum, in vinciendo nimirum, collocandoque brachio ſecundum vulneris directionem. Si enim vulneratæ arteriæ ſanatio a valida, fortique compreſſione tantum penderet, in his potiſſimum duobus Viris certo contingere debuiſſet, in quibus tanta compreſſio fuit, ut coëgerit duorum canalium vulnera invicem coaleſcere, in eisque ex duobus oſculis unicum dumtaxat efficere, atque inſuper ob natam tribus poſt diebus immanem tumefactionem ad brachium faſciis exuendum Phlebotomiſtam impulerit.

Diligenti igitur, quemadmodum admonuimus, habita directionis ratione, Genghianaque a miſſione ſanguinis illico inſtituta vinctura, ſi hanc quies læſi brachii, ejusque opportunus poſitus, medicum vitæ regimen, idoneæque venæ ſectiones exceperint, perfecta in arteria læſa vulneris coaleſcentia nunquam deficiet.

Quapropter nil reliquum nobis eſt, niſi ut jam tandem aliquando accedamus ad exponendam laudatam ſæpius vincturam, quam Genghianam iterum appellabo, non quod adamuſſim illi reſpondeat, qua Bernardinus Genga uſus fuit, ſed quod is omnium primus ejuſmodi vincturam excogitaverit. Phlebotomiſta igitur, poſtquam uni ex adſtantibus imperaverit, ut digitorum ope axillarium vaſorum funiculum ſtrenue comprimat, alteri vero, ut vulneratæ arteriæ pollicem admovendo, idipſum in illa præſtet; ſi torculari deſtituatur recenti, antiquum torcular ea tænia efficiet, qua in mittendo ſanguine utitur, velut ſuperius expoſitum a nobis eſt pag. 204 illius Aneuryſmatis,

cujus operationem aggreſſi fuimus. Hinc neceſſario jam præmiſſo apparatu, faſciola obligare ſingulatim incipiet omnes digitos manus, quæ Aneuryſmate affecto brachio reſpondet; longiori deinde, latioreque faſcia manum revinciet, brachiumque, prius linteis aut ſpiritu vini, aut poſca madentibus coopertum, eandemque faſciam uſque ad flexionem cubiti ſemper æqualiter circumducet, atque conſtringet; eaque deinceps miniſtro tradita, compreſſionem continuabit, atque vincturam, uſque ad axillam, remoto prius torculari, ſicut me in ſutoris Juvenis obſervatione jam præſtitiſſe adnotavi; ſed cum quodam tamen diſcrimine. Hîc enim pulvilli eſſe debent aliquanto duriores, ac medicamento adſtringente madidi, ut ovi albumine, vel cum aceto, vel cum vini ſpiritu, vel cum vino rubro auſtero, ſimilibusque agitato, quo pariter uſus feliciter fuit Bernardinus Genga, arctiorque, & magis comprimens vinctura facienda eſt. Pro longitudinali pulvillo ſupra vaſorum funiculum, & ſecundum humerum collocando, rotundum adhibuit Genga fruſtulum ligni, digitum craſſum, linteoque obvolutum, ut vaſorum funiculo comprimendo accommodari facilius poſſet. Abſoluta vero jam ad axillam vinctura, ut melius Genga eamdem conſtabiliret, ſuper totum apparatum latam aliam tranſmiſit, longamque faſciam, quam ex oppoſito, ab axilla videlicet ad manus articulum, circumduxit. Brachium is quidem ad obtuſum angulum poſuit, ſed hic fortaſſe erat ſitus, qui ei potiſſimum conveniret, quoniam feliciter ex animi ſententia ceſſit curatio. Si enim arteriæ vulnus rectum, nec poſitum oblique fuiſſet, idem probabiliter contigiſſet effectus, quem obſervavimus in nuper relatis duobus inſuetis Aneuryſmatibus, ut ſcilicet cutis in cubiti flexu craſſa, mollis, cedensque coaleſceret, at non arteria. Ad hæc, bis in die deſuper revincto brachio affundetur aut poſca, aut aliud ejuſmodi defenſivum, quo ſtabilis nimirum, firmusque in ſua ſede apparatus omnis conſiſtat, repetendo prout opus fuerit, ſanguinis emiſſiones, quæ vel die ipſo vincturæ, ſi hæc in primis aliquanto arctior extiterit, incipiendæ ſunt. Minime vero apparatus renovari debebit, niſi duodecim, aut tredecim elapſis diebus. Et licet vulnus jam ſanitati perfecte reſtitutum eſſe videatur, proderit tamen apparatum eumdem inſtaurare ad alios octo, vel decem dies, ut arteriæ recens conglutinatio tutior reddatur, atque conſtantior. Brachium denique ei ſoli faſciæ, quæ a venæ ſectione adhiberi ſolet, quæque nullam

omnino incommoditatem parit, ſpatio aliarum aliquot hebdomadum commendando, poterit Patiens ſua tandem priſtina libertate donari.

SINGULARE FEMORIS ANEURYSMA.

HISTORIA V.

JUVENIS ſeptem, & triginta annos natus, laxa, languidaque fibrarum compage præditus, quum ad liquefaciendum, tundendumque ſtannum a teneris annis animum adjunxiſſet, ſæpe, ut artis munus ferebat, in officina, ſæpe etiam in ſubterraneis locis diu multumque commorari conſuevit. Nullum præterea venereis voluptatibus modum, nullumque ordinem adhibens, americanam luem adhuc adoleſcens ſibi acquiſivit. Frequenter item, ſine ullo temporum delectu, aves retibus venari ſolitus eſt. Ab hinc annis pluribus expoſitus etiam doloribus fuit, quos ipſe podagricos appellabat.

Kalendis demum Novembris, anno 1742, dum pondus ingens attolleret, dextero pede prolapſus, ſiniſtro dumtaxat ſeſe onere preſſum, atque ruentem ſuſtentare conatus eſt; verumtamen hoc eodem conatu tam ſævum dolorem in coxendice perſentivit, ut viribus omnino fractis, humi procumbere coactus fuerit. Ad dolentem locum conveniens admota curatio eſt, & quamvis hæc per totam hiemem non recte proceſſiſſet, vacuus tamen dolore ipſe vernum, æſtivumque tempus traduxit. Primis autem venientis Novembris diebus revixit iterum morbus, cui punctiones itidem acceſſerunt cùm in femore, tum in crure, inter quas crudeliores erant, quæ a genu ad pedis extremitatem pertinebant.

Arceſſitus pharmacopola, pro tam immani dolore mulcendo, fomenta, unctiones, aliaque hujus generis præſidia adhibere primùm ſuaſit, deinde vero, quum paulo ſupra femoris medium, duritiem non parvam deprehendiſſet, auctor fuit, ut morbus Chirurgo committeretur. Chirurgi loco Æger ſacrum conſuluit hominem, qui, ut ferme vulgus ſolet, morbum parvi eſſe ducendum affirmans, hunc ſeſe emplaſtro ex ſambuci floribus, foliiſque conflato, facile curaturum ſpopondit. Verum malo nihilominus ingraveſcente, omnino mutata ſententia eſt, ac v Idus Novembris ipſe tandem ſum advocatus.

Inſpecto igitur, ut par erat, attrectatoque femore, duritiem illam inveni erectam, circumſcriptam, inæquabilem, pulſatione præditam, & naturalem colorem extrinſecus oſtendentem. Quapropter, quin tumor hic Aneuryſma eſſet, nequaquam dubitans, morbum magnum eſſe, & periculoſum adſtantibus prænuntiavi, atque eoſdem hortatus, ut alios etiam Chirurgos conſulerent, conſentaneam victus rationem præſcripſi, ceratumque ſpermatis ceti ad tumorem applicui.

Pridie Idus ejuſdem menſis ad conſilium vocatus eſt clariſſimus Jo. Victorius Maſini, præceptor quondam meus mihi ſemper colendus, qui mecum de morbi genere perfecte, planeque ſentiens, decrevit, ut altera die leni medicamento alvi ſordes expellerentur, ſequenti vero ſanguis ad decem, aut duodecim uncias, inciſa brachii dexteri vena, mitteretur. Hæc omnia, nulla interpoſita mora, ad illius arbitrium, nutumque peracta ſunt, atque etiam inſuper de illius ſententia, loco ſpermatis ceti, urticæ, & hypociſtidis ſuccus tumenti parti appoſitus eſt; quod quidem remedii genus proſecuti fuiſſemus, niſi intolerabilis dolor ſuperveniſſet; quocirca, illo amoto, totum femur roſaceo, atque altheæ unguento oblinitum fuit.

Verum XV kalendas Decembris, dolore tertia hora noctis invaleſcente, ante quartam totum femur intumuit, & pulſatio, dolorque adeo ſævire in ægrotantem cœpere, ut quo ſe verteret, ille prorſus neſciret; hora vero quarta, in tumentiore femoris loco fragorem repente percepit æger, illi ſimilem, quem ederet tela recenter texta, ſi manibus hinc inde magna vi diductis finderetur; atque una cum fragore, cruciatu maximo affectus eſt, qui per horæ intervallum exacerbatus, exinde deferbuit. Circa horam nonam in eadem parte fragor alter obortus eſt, verùm priori remiſſior, & cujus dolor brevi ſedatus eſt. Tandem quatuor aliis exactis horis auditus eſt fragor tertius, ſed præcedentibus adhuc minor.

Sequenti mane, ægrotum reviſens, hæc omnia intellexi, totumque femur in duplam reperi magnitudinem excreviſſe, cum doloroſa diſtenſione, locumque affectum ita obduratum, ac tumidum inveni, ut non jam pulſatio ſub ſenſum caderet. Quare nihil prius mihi faciendum putavi, quàm ut unguento altheæ, & roſaceo tenſionem lenirem, qua miteſcente, urticæ, atque hypociſtidis ſuccum iterum adponi curavi. Verum, doloribus denuo increſcentibus, ad eadem unguenta mox redeundum fuit; & quamvis dolor modo augeretur,

modo aliquid de immanitate remitteret, tumor nihilominus ſemper eadem mole perſtabat.

Undecimo vero kalendas Decembris, tempore matutino, ſtatim atque ab ægro diſceſſeram, tam ſævis ille doloribus conflictari cœpit, ut exhalare jam animam crederetur; hora tamen elapſa, dolor non parum ſedatus eſt. Quum jam adveſperaſceret, cognovi, tumorem ſuperius ſeſe extendiſſe quatuor tranſverſos digitos ad initium muſculi ſartorii, recti, vaſtique interni, pulſantem quidem, & adeo tentum, atque æſtuantem, ut præter humorum coacervationem, aëris quoque nonnihil illic ineſſe putaverim. Ægrotum autem poſtera die, quamvis dolore paululum remiſſo, viribus tamen valde confectum inveni.

Quocirca primum curavi, ut omnia ei Sacramenta miniſtrarentur, deinde ſempervivum contuſum, & cum aceti portione miſtum præſcripſi. Hoc, licet aliquantiſper profuerit, hora tamen ejuſdem diei tertia decima, quum dolores immodice augeſcerent, amoto ſempervivo, ad prædicta unguenta æger ſua ſponte confugit; verum infelici eventu, totam enim noctem irrequietam, nec ſine delirio tranſegit; & præter immanes cruciatus, quidpiam etiam ex femore ſe pluries ſenſiſſe pectore tenus aſcendere ſignificavit. Prima verò luce, etſi dolor multò levior redditus videretur, mortem tamen in propinquo eſſe facies cadaveroſa, pulſusque peſſimi præſagiebant.

Hiſce ita ſe habentibus, oborto repentino tremore femoris, aliisque convulſivis motibus, intra tres horæ quadrantes æger mortem oppetiit. Pharmacopola, qui morti adfuerat, coxam protinus conſpicatus, illam flavedine infectam, preſſantibus digitis valde obſiſtentem, & æque ac antea tumidam adinvenit.

SECTIO ANATOMICA CUM ANIMADVERSIONIBUS.

Causarum ignoratio, inquit Cicero, in re nova mirationem facit. Novum profecto videbatur, aneuryſmaticum tumorem, in parte inſidentem ad vitam minime neceſſaria, tam brevi temporis intervallo huic miſero, atque infelici mortem inferre debuiſſe. Satis enim ſuperque conſtabat, plurimos ægrotantes tumoribus hisce vexatos vel in nobiliſſimis partibus, ut in aortæ principio, aut in ejus curvatura, ſicut & ad initium cœliacæ, aut in dextra emulgente (quod utrumque frequenter vidi), non ſolum in plures menſes, verum etiam in annos plures vitam traxiſſe. Ut igitur, retecta cauſa, omnis admiratio evaneſceret, ipſum cadaver diſſecandum exiſtimavi, quod, quatuor, & viginti tranſactis horis ab obitu, factum eſt.

Primum vero, internis partibus imi, mediisque ventris perluſtratis, adnotanda hæc in eis offendi: Ileum inteſtinum alicubi leviter inflammatum, ſuperiorem jecoris partem tribus velut faſciis obſitam gangrænoſis, quæ interiorem ſubſtantiam pervadebant binos tranſverſos digitos, inferiorem autem nonnihil rubentem: ſterni appendices cartilaginoſas inſtar oſſis duratas; cava cordis ſanguine omnino ſpoliata, præter exiguum in ſiniſtro ventriculo polypum; foramen denique ovale ita explicatum, patensque, ut calamo ſcriptorio aditum facilem præbere poſſet. Cætera omnia naturaliter conſtituta reperta ſunt.

Ut vero quidquid eſſet in femore vitii penitus cognoſcerem, ſectionem interius ab ilei ſede auſpicatus, inventam arteriam uſque ad inguen ſum proſecutus, illamque extricavi membranis circumſtipantibus, quæ veluti gangræna correptæ, ilei inteſtini loca leviter inflammata ſuperius tangebant. Denique inciſis inguinis involucris, & ligamento Poupartii (ſub quo vaſa tranſeunt, quæ ad totum articulum protenduntur), apprehenſaque iterum arteria, dum eam a reliquis ſegregabam, non longe ab inguine, in ſupra deſcriptum tumorem incidi.

Hoc diligenter diſſecto, concretum ſanguinem reperi, cujus pondus tres libras, & ſemiſſem æquabat. Concretus hic ſanguis ſub muſculo ſartorio, ac inter vaſtum internum, partemque tricipitis, ſecundum vaſorum ductum, fere ab inguine uſque ad flexionem genu juxta rectum muſculum extendebatur. Sanguine hoc ad[e]mpto, abſterſoque

tumoris cavo, tertiò ſe mihi in conſpectum dedit arteria, in qua lacerationem inveni duos tranſverſos digitos longam.

Ab hac ſane mortem citiſſimam (*) ægroto inferri potuiſſe ſatis apertum eſt; cur autem arteria vix flexuoſa, in abdito ſita, validisque firmata muſculis, tam cito frangi debuerit, non æque clarum. Ut igitur & hoc intelligerem, arteriæ ductum cultro ſecutus, aliosque duos tranſverſos digitos prætergreſſus (quo in tractu ea integra, & naturalis reperta fuit), illam conſpexi in alium tumorem porrectam, ad ovi magnitudinem accedentem. Tumore adaperto, ſanguinem in eo ita concretum, & coacervatum offendi, ut reliquo a corde venienti iter ad inferiora omnino præcluderet.

Hoc etiam ſanguine ablato, de ſecundo Aneuryſmate aperte conſtitit, in quo, præter arteriæ amplificationem, intus corroſio conſpiciebatur duplici in loco; in altero exterior tantum membrana arteriæ illæſa, cæteris corroſis, reſtabat, in altero vero corroſio tam altas radices nequaquam egerat. Inter hæc loca quaſi ſepimentum aliquod intercedebat, ita poſitum, ut valvulæ munere fungeretur. Adhæc interior tunica arteriæ, nondum expanſæ, verum utriuſque tumoris expanſioni proximæ, ſicut & tumoris utriuſque tunica interior, in tenuiſſimas lamellas perinde diducebantur, ac ſi cauſtico liquore tactæ fuiſſent; quod mihi copiam largiſſimam fecit perſpicue videndi muſculoſæ membranæ carnoſas fibras, antehac nunquam tam clare viſas.

Ex omnibus hiſce apertum, atque exploratum eſſe arbitror, ob infernum tumorem arteriam ſuperius diruptam eſſe, mortemque deinde celerrime conſecutam. Tumor enim inferior, quum ſanguini viam juxta arteriæ axem penitus interciperet, cauſa fuit, quamobrem remoratus ſanguis, aſſidueque a vi cordis impulſus, latera vehementius urgeret, & illa diſtraheret, diffringeretque. A ſanguine autem intercapedines muſculorum, atque adjacentia vaſa modo majori, modo minori copia ſubeunte, quin reliqua deſcripta ſymptomata repetenda ſint, nullus dubito.

Jam vero in memoriam revocare non pigeat, arteriam femoris ab inguine ſub ſartorio muſculo quaſi recta deſcendere, atque interſtitia

(*) Comm. litter. an. 1742, hebdom. 32, num. 2.

ſtitia vaſi interni, & tricipitis tranſeundo, quinque, aut ſex digitos tranſverſos ſuper genu ſub ejuſdem tricipitis tendine cum vena ſimul ferri; trajectoque hoc tendine, ſub poplite, pariter cum vena, incedere, & ſub muſculo gemello, ac ſolari tranſire, eodemque ordine toto in crure ſervato, uſque ad pedis extrema progredi.

Hiſce animadverſis, conſideremus denique hominem, grave pondus manibus attollentem, altero pede prolapſum, & totis viribus alteri tantum innixum. Quid illi quæſo continget? Trahetur ſumma vi chorda magna, inflabuntur muſculi gemellus, atque ſolaris, ſicuti & triceps, cujus tendo, in hoc corporis poſitu valde tentus, tranſeuntem ſub illo arteriam, venamque comprimet, & impedimento erit, quominus ſanguis libere per arteriam ad inferiora feratur. Ad hæc, abdominis muſculis validiſſime agentibus, etiam a tendinibus oblique deſcendentibus, & a ligamento Poupartii ſubjecta femoris arteria multum premetur; ab his vero preſſionibus detento, aut interrupto proceſſu ſanguinis, mirum, quam vehementer latera arteriæ impellentur, quæ ſi præterea infirma fuerint, atque imbecillia, ut erant in ægrotante, ob ingenitam corporis conſtitutionem, ob Americanam conceptam luem, ob ejus exercitium artis, pluraque errata, eo ſane diſtentionis pervenient, ut vel quieſcente preſſione, non jam in integrum reſtitui poſſint.

Quo vero hæc omnia illuſtria magis, & in aperto eſſent, figuram ad illa annectere viſum eſt, cujus ope, quæ de Aneuryſmatis hujus natura præfati ſumus, oculis ipſis ſpectanda quodammodo præberentur. *vid. Fig. IV Icon 7* (*).

ANIMADVERSIONES.

Hoc femoris Aneuryſma, niſi chirurgicæ, atque anatomicæ res me penitus fugiunt, adamuſſim comprobare videtur, quem hactenus evincere conatus ſum per lateralia ſe inoſculantia vaſcula cruoris tranſitum, quotieſcunque in arteriæ cruralis trunco obſtaculum aliquod invenitur. Hinc enim cruralem arteriam, ſicuti in Figura IV videri poteſt, tanta vi, ac celeritate ſe diſcidiſſe putandum eſt, quod

(*) In fig. I, Guattani arteriæ cruralis curſum delineavit, illam ſuppreſſi, multo curatius quippe idem præſtitit Murray, *v. Icon 14.*

lateralia illius vaſcula nondum adepta eſſent eam amplitudinem, quæ cruralis arteriæ defectum compenſare valuerit, dum ſanguis feſtinanter concreſcens penitus illam occluſit; ex quo evidens rurſus fit meæ compreſſionis utilitas, cujus notitiam ſi ego tunc temporis habuiſſem, a me profecto prætermiſſa minime fuiſſet, nam illius ope coërcito per cruralem arteriam ſanguinis curſu eadem arteria arcte revinctis faſciis firmata tam violentæ dilacerationi obſtitiſſet, tempuſque idoneum lateralibus ramulis conceſſum eſſet, ut paulatim ſe expanderent ac dilatarent; interim vero ſanguinis grumus diſſolvi, atque ad primævam redire fluiditatem potuiſſet; & denique arteria vel penitus aboleri, uti monſtrat Fig. II, Tab. I, vel coarctari summopere, quemadmodum exhibetur in Fig. III, Tab. I.

ANTONI MATANI

PISTORIENSIS

IN ACADEM. PISAN. PUBL. PROFESS. SOC. MONSPEL. SODAL.

DE

ANEURYSMATICIS

PRÆCORDIORUM MORBIS

ANIMADVERSIONES

JUXTA EXEMPLAR LIBURNINUM

RECUSÆ.

MATANI PRÆFATIO.

§. I.

MEDICINÆ ORIGO.

COELESTEM illam, ac pene divinam Salutaris Artis originem, quæ nonniſi perſpectis ægritudinibus inſpirata humano generi ſtatim affulſerat, tametſi diu multumque imperitorum fraudibus circumſeptam, eamdemque mythologicis obumbratam ſuperſtitionibus veteri commento latuiſſe compertum ſit, tum præcipue veluti divinitus communi ſocietatis bono conceſſam apparet enituiſſe mortalibus, quando inclinantibus Empyricorum fortunis ad Rationales phænomenorum obſervatores ſedulo conſideranda Medicina migravit, majoremque apud illos perfectionem Philoſophicis condecorata ornamentis eſt aſſecuta. Tunc itaque probe cognitum inter ea, quæ non modo proficua, ſed univerſis neceſſaria conſtituuntur, perfectam potiori jure valetudinem eſſe computandam, ſine qua nulla ſocietati hominum accedit felicitas, nulla quies, ac nulla tranquillitas, cum ejuſdem maxime auxilio naturales, animales atque vitales ita dirigantur actiones, ut quibuſcumque rebus adverſis haudquaquam ſupervenientibus, conſtanter & opportune perfici queant, quin aliquod exinde opponatur impedimentum, dum corpus ad earumdem peragenda munia rite diſponitur.

§. II.

REMEDIORUM VETUSTAS.

QUUM autem dignoſcendarum ægritudinum Rationali Medico munus incumbat, ut adjutricem exinde manum porrigat ægrotantibus, nemo non videt, quam infelix dicenda illorum conditio eſſet,

qui Medicina adhuc adoleſcente ſeſe nudis Empyricis tradidiſſent. Longe tamen infauſtam prædicaverim, ſi eminus attendatur calamitatum vetuſtas, quæ initio terrarum orbis caput extulit, & ad perniciem hominum invecta eſt. Ac profecto dum hanc ſæpenumero mecum ipſe tacitus cogitarem, miſerrimam reipſa putandam eſſe cenſebam, quotieſcumque memorandum præſertim expenderetur momentum, quo humanæ naturæ imbecillitas eo deducta eſt, ut Divinum imperium primus hominum parens incaute detrectaverit, ac immenſum proinde ægritudinum agmen, natisque dolentibus necem ipſam intulerit. En igitur deperdita quies animi, labefactata corpora, omnesque repente ſuperſtructæ calamitates, quas ad nos uſque traductas veteri patimur infortunio, ſive metuimus imminentes. At jure quidem ac merito lamentari quilibet videretur, etſi de iis dumtaxat cogitaret ægritudinibus, quæ poſtquam omne medicaminum auxilium prius eluſerint, dum corpus aſſidue perturbare conantur, permulta eidem adhuc languenti minitantur infortunia, uſque dum humanitatis debitum interveniente morte perſolverit. Sed cum vel ab iis unuſquiſque abhorreat, quæ ſive ab exantlatis pro ſocietatis & humanæ vitæ regimine laboribus, ſive a tot tantisque adverſis rebus proficiſcuntur, atque hujuſcemodi moleſtia extiterit admodum pervetuſta, quæ ſi ſomniatam Præadamitarum hypotheſim liceret amplecti, antiquior Adamo ipſo cenſeri forſitan poſſet, hinc poſt illata infortunia perſpecta illico remedia ſunt, quorum ope infenſiſſimi quique morbi arceantur, a quibus corpora hominum depaſcuntur. Sive igitur revelata primo Parenti Medicina conſideretur, quæ triplici animalium, plantarum ac mineralium regno innitebatur, ſive acquiſita, quæ indigentiæ atque induſtriæ opus cenſenda eſt, variisque in præſens ac multiplicibus ornatur inventis, nemo inficias ibit, Salutarem Artem, quæ in depellendis humani corporis morbis verſatur, præſtantiſſimam extitiſſe, ac veluti ex hominum indigentia, atque ex aſſidua cujuſcumque temporis Medicinæ cultura conſequitur, omnibus cujuſcumque indolis neceſſariam.

§. III.

Medicinæ propagatio.

Neque aliter cogitandum apparet, ſi Medicinæ progreſſus expendi velint, quoties intervallum a Mundi exortu uſque ad Ægyptiorum

imperium attente inveſtigetur, quo quidem tempore, etſi perpauci, neque graves ſive ex aëre, ſive inopportuna vitæ tranſigendæ ratione, ſive corruptis moribus morboſi graſſarentur affectus, illis tamen, qui vel ex neceſſariis peregrinationibus, haudquaquam interrupta arvorum cultura, inopinata animantium noxa, aſſiduisque laboribus inſurrexiſſent, homines rudi licet medicamine medebantur. Quum vero Medicinæ incrementum alio delatum ex Aſſyriis, Babyloniis atque Chaldæis, apud quos valde viguerat, ad Ægyptios migraſſet, qui vetuſtiſſima Medicinæ ſemina detinuerant (*a*) adaucta tunc morborum caterva ſedulam extorquere opem viſa eſt, unde Diætetica, atque Chirurgica, quantumvis fortuita & Empyrica, quæ dominari cœperat Medicina, Iſide, Oſiride, aliisque medentibus ſub prioribus Ptolemæis, & Cleopatra, Ptolemæi Ægyptii Regis filia, & cum alio ejuſdem nominis Cypri Rege conjuncta (*b*), quam Medicinæ peritam jactant Hiſtorici, auſpice Philoxeno latius extendere fines ſuos incœpit, multisque adinventis medicaminibus adaucta eſt (*c*), donec a ſapientiſſimis, feliciſſimisque Græcorum gentibus exculta fuerit, quos multo feliciores dixerim, ni poſt captam a Saracenis Alexandriam combuſtam doluiſſent ab Arabibus Bibliothecam. Tunc etenim litteras ſcientiasque præcipuas Perſis familiares accepimus excidiſſe, veluti infauſto contigit Italiæ eventu, quando ipſam a Gothica barbarie legimus occupatam.

§. IV.

GRÆCORUM SAPIENTIA.

GRÆCI tamen, cum Medicinam præſertim ad Numina ſibi ipſis peculiaria referrent, Apollini, & Æſculapio quam plurima conſtruxere delubra, multosque Ethnica ſuperſtitione in Deorum numero retulere, eorumque placitis, non ſecus ac Getarum, Tibiorum, Phrygum, & Thracum ritibus, libenter obtemperarunt, tuncque Clinica, Veterinaria, atque Gymnaſtica inclareſcente Medicina Pythagoras, Apſirtes, Theomneſtus, Pelagonius, Pranagoras Nearchi

(*a*) *Vid.* Calm. Diſſer. de Veter. Judæor. Medicin.

(*b*) *Vid.* Vaillant Hiſtor. Ptolemæor. & Vesling. Opobalſ. Vindic.

(*c*) *Vid.* OMHP. Oδυσσ βìβλ δ.

filius, Heliodorus (*a*) aliique Phyſico-Medici inſurrexerunt, quos inter Heraclitus & Democritus recenſentur, qui ſaluberrima Medicinæ præcepta, ut ad ſeros exinde nepotes clariora luculenter tranſmitterent, prudenter excoluerunt, horumque poſtremus permulta ab Ægyptiis, Gymnoſophiſtis, & Magis didicerat; ut firmiora Salutaris Artis dogmata conſtitueret, etſi Heron Agrigentinus Poëtica imagine leges Empyricas atque fatidicas Egyno, Euryphonti, & Apollonidi aliisque Medicis reddidiſſet. Inſanum quidem progreſſu temporis abjicere Græci meditati ſunt Ægyptiorum decretum, quo Adraſtia veluti lege prohibebatur, ne quis præter normam a veteribus traditam morborum curationes aggrederetur, pariterque Æſculapii ſimulacro nodoſum baculum, atque draconem appoſuere, ſapientiam prudentiamque Medico neceſſariam non obſcuro ænigmate depingentes (*b*). Et quemadmodum Heliopolim, quæ antiquitus ſummopere claruit, extollebant Ægyptii, atque nunc Turcicæ religionis ſolitarius, abditusque receſſus eſt, quod olim Philoſophiæ veluti theatrum Platonem, Homerum, Solonem, aliosque plurimum fuiſſe veneratos comperimus, cum priora ibidem doctrinæ lumina ſuffuraverint; ita celeberrima floruerunt apud Græcos athenæa, Crotonienſe præcipue, Rhodium, Cnidium, Athenienſe, Coum, atque Smyrnæum (*c*), quorum primum legimus illuſtratum a Democede, quem Darius Perſarum Rex multis honoribus inſignivit, poſtremum vero fama Medicorum, in quorum honorem nummi fuere percuſſi (*d*) ſummopere celebratum. Quum vero annuente fortuna mortalibus venerandum affulſiſſet Cous Hippocrates, Hic ſubdolas Medicinæ leges deſpiciens Dogmaticam, ſive Clinico Rationalem invexit (*e*), ex qua Diætetica, Pharmaceutica, atque Methodica, Aſclepiade, Galeno, Themiſone, multisque clareſcentibus Medicis profluxerunt.

§.

(*a*) *De ipſo alibi locutus ſum.* *Vid.* Diſſert. Epiſt. ad Joſ. Franc. Peon. in qua de Heliod. Lariſſ. diſſ. & nonn. circ. al. ejuſd. nomin. expon. & inluſtr. pag. 45, §. 4.

(*b*) *Vid.* Hundermark de Increm. Art. Med.

(*c*) *Vid.* Dan. le Clerc. Hiſtoire de la Médecine l. 1. chap. 17.

(*d*) *Vid.* Richard. Mead. Diſſert. de num. a Smyrn. Medic. honor. percuſ.

(*e*) *Rationis ſubſidio fuiſſe illuſtratam alibi demonſtravi.* *Vid.* Orat. de Rat. Phil. ejuſd. præſt. pag. 17.

§. V.

Romanorum sectæ.

Hinc exculta ſunt penes Romanos Medicinæ dogmata e Græcia ipſa delata, cum univerſa methodus, quæ apud Græcam Medentium Rempublicam perierat, apud Romanos cum Imperii magnitudine feliciter adoleverit, ac fuerit ab Arcagatho, cui e Peloponneſo Romam adventanti traditum Jus Quiritium, & tabernam in Acilio accepimus elargitam, ipſis communicata (*a*), eamque M. Cato, Antonius Muſa, Celſus, & alii ſupra cæteros coluerunt, quos inter Vectius Valens recenſetur, qui nobilitatis ex adulterio Meſſalinæ quoddam aſſecutus fuerat ornamentum. En interim cum apud Græcos Epiſyntheticæ, Pneumaticæ, & Eclecticæ ſectæ Leonidas, Archigenes atque Athenæus viri cæteroquin clariſſimi ſectatorum characterem induerint, plures eorumdem obſcurare famam apud Romanos ſibi ſuaſerant, qui de quæſtu ſummopere cogitantes veluti divites dumtaxat agnoſcebantur, ut de Albutio, Caſſio, Rubrio, aliisque narrant Hiſtorici Medicinam Romæ tum temporis exercentibus. Sed ipſorum exemplo Perſarum legibus a Maomethe pſeudo-propheta ſancitis perſpectum eſt illius ævi Medicos paruiſſe, cum apprime neceſſariam putaverint Medicinam: Patet enim, Cmannum Maomethi hæredem plures Medicos codices in uſum Bagdaditarum, ſive ut aliis lubet, Babyloniorum poſt Imperii Perſici invaſionem liberaliter contuliſſe.

§. VI.

Scientia Arabum.

Arabum interim dogmata communia cum Caliphis inceperunt, atque a celeberrimis viris, inter quos ſupra cæteros Honaſmus, Oſaiba, Alchindus, atque alii recenſentur, in Aſia præſertim, Africa, & in aliqua Europæ plaga diligenter exculta ſunt, variique in Arabicum idioma ipſis vernaculum jubente Almamone Abaſſidarum, & Bagdadenſium Calipha translati codices non ſolum a Nobuishio Ethnico, ſed a Georgio Bachtishua Indorum Medico, nec non Honaino Arabico, illiusque filio, qui religionem chriſtianam profitebantur. At vero quæ

(*a*) *Vid.* Plin. Nat. Hiſt. l. XXIX, cap. 1.

non modo ex Aſſyria, Meſopotamia, Phœnicia, Lybia, Crotone, & Cyrene, ſed Gnido, Rhodo, aliisque delata regionibus per totum Orientem uſque ad Sinenſium Imperium viguerat Medicina (*a*), & quæ inclinatis Romanorum rebus, Græcis, ac Romanis adempta, & ad Arabes (*b*), & Mauritanos traducta fuerat, poſtliminio Græcorum ita informis in Latium rediit, ut vix a ſuis agnoſceretur, atque iterum a Romanis excepta cum adeo eamdem excolerent, ut peculiarem præ ſe ferret nobilitatem, majeſtatemque; hinc ſummos honores Veſpaſianus, Hadrianus, & Antoninus Pius eſſe Medicis tribuendos ſancitis exinde legibus decreverunt, ipſorumque exemplo Julianus munificentiæ argumenta non abſque honorifico Salutaris Artis teſtimonio impertitus eſt Medicis præſtantiſſima, atque inter ſapientiſſimos recenſendus ille eſſet Imperatores, niſi barbaro, & hoſtili adverſus Chriſtianos odio ſævire perperam decreviſſet.

§. VII.

Medicina apud Europæos.

Propagata igitur per Latium Medicina cum in univerſam migraſſet Europam, ibi paulatim imperium, propriamque ſedem ſumma cum gloria conſtituit viroſque celeberrimos non amplius in fabularum tenebris trepidantes patronos habuit, atque adminiſtros. Habuit præ cæteris Martianum, & Mercurialem Italia; Fernelium, & Duretum Gallia; Anglia Sydenhamium, Freindium, atque Meadium; Valleſium & Mercatum Hiſpania; Germania Schenkium, Foreſtum, atque Platerum; Bœrhaavium Batavia; Dania Bartholinos; Bauhinos Helvetia, alioſque cæteræ nationes habuere doctiſſimos viros, quibus acceptum Medicina refert peculiare decus, & ornamentum. Hujuſcemodi profecto Medicinæ præſtantiam longe lateque diffuſam, atque a celeberrimis viris uberiorem redditam nonniſi ex Orientalis ſapientiæ

(*a*) Hanc ab Eſſeniis fuiſſe deductam probabili aſſequimur conjectura: Eos autem animi ægritudines, non vero corporis ſanaſſe veterum nonnulli opinati ſunt, ſed rem diligentiſſime illuſtravit Carpzovius *Adn. ad Goodwinum l. I, c. 12, §. 1, p. 117.*

(*b*) Inter hos eminet Avicenna, quem multarum rerum haud expertem fuiſſe omnes teſtantur, & plus commendant quam Averroëm, Meſuem, Avenzoarem, Almanzorem, Serapionem, alioſque Medicos Arabes præſtantiſſimos, licet Muhammedicæ ſuperſtitionis tenaciſſimum vocet Seldenus *De Jur. Natur. & gent. ſec. diſcipl. Hebræor. l. VII, cap. 1, pag. 829.*

fonte manaſſe fatendum eſt, quoties Philologia univerſa ſpectari velit apud nationes illas exculta, atque hæreditario veluti traduce propagata: Novimus etenim, in ipſo Aſiæ veſtibulo litteras, ſcientiasque omnes apud Judæos in urbe Dabir (*a*) longo tempore floruiſſe, non ſecus ac Phœniciæ populos in promovenda Scientiarum cultura comperimus inſudaſſe, proindeque Indorum Brachmanes inſurrexiſſe, qui ſupra cæteros uberiorem doctrinæ famam complexi ſunt. Et quemadmodum apud veteres ipſos ſemper fuit in more poſitum, ut non modo præſtantiſſimos viros venerarentur, & inter Deos referrent, qui ſive magnanimitatis, ſive prudentiæ, ſive aliarum animi dotum notas quaslibet oſtendiſſent, ſed vel eos celebrarent, qui jacentes litteras excitarunt, ut Philadelphum Ægyptii, Attaium Pergameni, Mecænatem Romani, ita & inter Medicos celeberrimos, de quibus gloriabatur antiquitas, Salomon Hebræorum, Hermes Triſmegiſtus Ægyptiorum, Sabiel & Evax Arabum, Gyges, & Saborus Medorum Reges, Meſue Regis Damaſci nepos, aliique ſummas laudes adepti ſunt. Si igitur Salutaris Artis cultura magno ſemper in pretio habita eſt, adeo ut ubicumque viri floruerint præſtantiſſimi, fatendum ſane eſt, neceſſariam utilemque illius cognitionem non modo ex hominum indigentia, ſed ex aſſidua apud quaſcumque nationes ejuſdem addiſcendæ cupiditate deduci poſſe, ex qua Artis jubar inſurgit, ejuſdemque nobilitas eniteſcit.

§. VIII.

Medicina Etruscorum.

Verumtamen & Etruria noſtra præter alias Europæ & Italiæ partes non modo tot tantosque, qui Litteras Scientiasque auxerunt novis inventis, & Philoſophiam præcipue antiquitus coluerunt (*b*), ſummopere veneratur, nec non labentibus exinde temporibus Veſpuccium, Galileum, aliosque laudibus evehit quam plurimos, ſed etiam præſtantiſſimos in Medicina commendat viros, quos inter Cæſalpinus, Redius, atque Bellinius videntur præ cæteris jure quidem, ac merito computandi. Univerſa præter ipſam Italiam, qua late

(*a*) *Vocatur in ſacris litteris* civitas litterarum. *Vid.* Joſuæ cap. 15, v. 15; & Judic. cap. I. v. 11.

(*b*) *Vid.* ΔΙΟΔΩΡ. ΣΙΚ *βίβλ. ο*, & Bruker Hiſt. Philoſoph. Tom. I, l. 2, cap. 10.

patet Europa, non ſolum viros habuit celeberrimos, ſed plurimos nunc quoque habet, quibus Salutaris Ars multum debet. Hujuſcemodi Medicinæ cultoribus tot inventa debentur, tot commoda, quæ ſunt progreſſu temporis adinventa, adeo ut, quicumque amœniſſimos luſtrare Medicinæ campos in votis habet, ut ſelectiora quæque colligat, uberrimam ſæpenumero meſſem obſervationum citra exſpectationem agnoſcat ſe reperiſſe, ut nihil amplius optari poſſe plane ſentiat, & ingenue fateatur. Neque alienam a veritate protuliſſe ſententiam dicendus ille eſſet, quoties ſola cadaverum extiſpicia conſiderentur, quæ maximam titubanti Medicorum animo quietem largiuntur, ut exinde quidquid confuſe edoctum, perceptumque fuerit, tutius obſervatorum oculis innoteſcat. Antiquariis equidem feliciorum Medicum prædicaverim, qui non rariora Imperatorum Regumque cimelia inviſere diuturna ſuſcepta peregrinatione compellitur, ut admiranda naturæ arcana, atque artis portenta contempletur: Valetudinaria enim ubicumque poſita ſunt, quæ ab inducta a Romanis ſervitute ſunt adumbrata (*a*) atque octingentis jam elapſis annis latius ad communem hominum utilitatem propagata, ubi penes arbitrium eſt quaſcumque animadvertere, majoriſque momenti ægritudines, nec non mortuorum corpora Anatomico cultro ſubjicere, atque ex aſſidua, & vigilanti eorumdem contemplatione quodcumque rarum ac peregrinum obvenerit adnotare. Hæc autem dum mecum ipſe vel ſtatim ac Medicinæ tyrocinia ſuſceperim, animo volutarem, Etruſcorum felicitatem magni faciendam cenſebam, cum apud ipſos ſupra cætera, in quibus CÆSARIS elucet munificentia, atque Etruriæ Præſidum vigilantia, permulta valetudini ſervandæ apprime neceſſaria conſtituantur (*b*). Quum vero hujuſcemodi abuti nefas eſſet emolumentis, hinc vel dum Praxeos limen attingere aggreſſus ſum, rariores naturæ luſus peculiari genio ſum contemplatus, ut quidquid exinde frequentius accideret, ſedulo meditarer: Videbam etenim, quod ſi quid eſt in me litterarum, ſi quod veritatis ſtudium, Etruria mihi elargita eſt, quæ propria commoda omnibus æque affluenter, ac liberaliter impertitur, pariterque noſcebam, diſci plurimum poſſe

---

(*a*) *Vid.* Zorn. Opuſc. Sacr. Tom. I, pag. 336. Schulz. Diſſert. de Serv. Medic. Midlet. De Medic. Veter. Cond. & Brunings Antiq. Græc. cap. 30, §. 3.

(*b*) *Inter hæc Piſana recenſentur balnea, de quibus accuratiſſime diſſernit Cocchius. Vid.* De' Bagni di Piſa.

jam aliqua extante diſcendi cupiditate, ceu Demonico ſuo inculcare ſæpe ſæpius Iſocrates (*a*) conſueveverat. Hiſce itaque permotus rationibus neceſſe mihi eſſe arbitrabar prænoſcere mihi largitas proficiendi occaſiones, nobiliſſimumque Medicinæ ſtudium, de quo ſummopere glorior, attente perſequi, ut probe cognoſcens

Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo (*b*)

hominum valetudini tutius invigilarem.

§. IX.

Occasio scribendi.

Hæc dum olim Florentiæ peragerem mirabar profectò, multiplices in præcordiis, ubi Veſtalis ignis nativos lares, & focum habet, ægritudines ſuboriri, quæ nullam propemodum curationem admittere videbantur. Sed multo magis mirabar, cum paucos perlegerem clariſſimorum virorum libros, qui de præcordiorum morbis ad Aneuryſmatum præcipue claſſem referendis fuſius agerent. Videmus etenim quandoque, & non abſque ſtupore videmus, cor ipſum admodum dilatatum, illiusque cavitates crebro protenſas; attamen hujuſcemodi morbum haud accurate deſcriptum reperiri non ipſe dumtaxat fatebor, cum clariſſimus Imperialis Archiater Gerardus Baro Van-Swietenius præcipuum hujus ſeculi decus, & ornamentum id ipſum animadverterit, ubi de vulneribus ſermonem inſtituit, dum celeberrimi Præceptoris Aphoriſmos pro more ſuo mirum in modum enuclearet. Atque ego ipſe, ſi Lanciſium, paucosque alios exceperis, parum, aut nihil de præcordiorum Aneuryſmate videbam ſcriptores fuiſſe locutos, ac ſi aliquas adinveniſſem relatas obſervationes, mere practicas eſſe dolebam, nec non huc illucque adeo per libros diſperſas, ut nonniſi magni laboris eſſet utiliora quæque colligere, atque colligendo diſponere. Ecquis igitur ad congrediendum cum hoſte vaferrimo incitabitur, niſi prius ejuſdem vires, ſtrenuamque naturam aperte cognoverit, abditosque receſſus ignorare ſe fateatur? Optandum ſane, ut præcipuæ colligerentur in poſterum obſervationes præ-

(*a*) Πρὸς Δημόν λόγ.

(*b*) *Vid.* Lucan. Pharſ. lib. 2. verſ. 383 & Cicer. Offic. lib. 2.

cordiorum Aneuryſmata reſpicientes : Tunc enim ætas noſtra præſtantium ingeniorum ferax, qua

. . . . : tenet inſanabile multos
Scribendi cacoëthes . . . . (*a*)

ſedulam Aneuryſmatum id temporis ſemper ingraveſcentium deſcriptionem ſuppeditabit, proindeque niſi hoſtilem debellare morbi naturam, illius ſaltem vires retundere permoleſtum non erit, & difficillimum. Ego equidem quibuſdam a me inſtitutis obſervationibus alienas addere, easque præcipue, quæ raritatis charactere donari videntur, minime recuſavi, veluti videmus Bartholinum (*b*), Van-Hornium (*c*), & noviſſime Heiſterum (*d*), ſupra cæteros peregiſſe, ut certis quodammodo firmatis principiis aliqua non inutilia proponerentur, quorum ordinem curſim raptimque arbitror exponendum, cum illud, quod ſemper fuit apud eos in more poſitum, qui in lucem eſſent librum aliquem prolaturi, ut nempe nonnulla præfari decernerent, id ſane unum reſpicere videatur, ut lectores nimirum de operis utilitate certiores facerent, atque ordinem rerumque ſynopſim exponerent.

§. X.

Operis distributio.

Aneurysmatum itaque præcordia torquentium cognitionem haud exoletam a Galeni temporibus, tametſi Græcis omnibus Arabicisque Scriptoribus hujuſcemodi morbos innotuiſſe nonnulli ſentiant (*e*), repetendam tutius eſſe decernitur, proindeque clarior eorumdem idea præmittitur, ex qua variantes emergunt ſpecies ægritudinis, quæ plus minusve pro variis cauſis gravem induere naturam videtur. Hinc nil repugnare arbitror, quominus præternaturalis cordis amplitudo ad talium affectuum claſſem reducatur, cum ex amplitudine

(*a*) *Vid.* Juvenal. Satyr. VII, verſ. 51.
(*b*) Anat. Aneuryſm. diſſect. hiſt.
(*c*) Epiſt. de Aneuryſm.
(*d*) *Vid.* Annal. Academ. Juliæ Sem. XII, pag. 81.
(*e*) *Vid.* Planque Bibliotheque choiſie de Medecine Tom. VI, p. 1.

vaſorum idem ambientium poſſit quam ſæpiſſime proficiſci. Nonnulla interim circa polypos offeruntur proponenda, quæ ad morbos, de quibus præcipue ſermo inſtituitur, inferendos haud leviter apta ſunt. Porro quomodo efformentur Aneuryſmata exponitur, ut variantes effectus facile quidem ad proprias, etſi non ſemper eaſdem cauſas, referri queant. Quum autem teneriorem infantum ætatem multis, iiſque graviſſimis ſuccumbere morbis perſpectum ſit, id unum vel maxime inquiritur, utrum Aneuryſmaticis præcordiorum vitiis obnoxia ſit, quod ego pro certo habendum eſſe reor, quoties errata ipſis communia expendantur diligentiſſime. Neque aliter autumandum de adultis fateor, qui non modo diverſas aëris, & anni temporum viciſſitudines experiuntur, ex quibus non leve damnum exſurgit, ſed locorum delectum deſpicientes graviſſimos ſibi morbos accerſunt, qui præcordia vehementer adoriuntur. Quod ſi errores in ſex non naturalibus rebus attente conſiderentur, haudquaquam remotas Aneuryſmatum excogitari cauſas fit manifeſtum: Hinc etenim inopportunæ corporis exercitationes ex Græcorum, & Romanorum temporibus propagatæ, hinc peculiares morboſi fœminarum affectus ad æternam ſequioris ſexus formidinem conſtituti, hinc Lues Aphrodiſiaca ad humani generis perniciem ſubcreſcens, hinc denique eduliorum abuſus ideo vetuſtiſſimos, ut Medorum Abyrtaces ab Athenæo (*a*), & Plutarcho (*b*) relatos antecellere videatur, argumenta non inutilia Aneuryſmatum explicationi ſuppeditant.

§. XI.

ANEURYSMATUM COGNITIO.

OPTANDUM mehercule, ut quædam tutior & accuratior diagnoſis proponeretur, ex qua ægritudinis exitus dignoſci valeret, veluti in quibuſdam pluries animadverſis morbis uſuvenit, qui facile quidem a Medicis ſapientioribus dignoſcuntur. Jam ex obſervatis id unum vel maxime elucet, permulta Aneuryſmatum & polyporum innaſcentium latuiſſe veteribus argumenta, neque facile nimis eſſe, ex conſtitutis quibuſdam ſignis ſtatim agnoſcere, utrum Aneuryſma, ſive

---

(*a*) Βίβλ. γ. . .
(*b*) Συμποσ. δ. . .

polypus præcordia adoriatur, cum affectiones utraſque communia quædam ſymptomata comitentur. Clariſſimi tamen non defuere viri, qui ex aſſidua hujuſcemodi morborum cognitione notabiliores quoſdam reſpexere characteres, ex quibus vel Aneuryſma, vel polypus deduci poſſet, etſi fidenter nimium aſſeverare quiſpiam quandoque malit, unum, aut alterum vitium in præcordiis deliteſcere. Non pauca profecto præſto eſſent exempla, ex quibus aperte concluditur, celeberrimos quoſdam viros adeo tuta collegiſſe ſigna, ut morbum, qui diu latuerat, ejuſdemque gradus fuerint illico divinati. Doctiſſimus ſit inſtar omnium Alexander Knips Macoppe primarius in Athenæo Patavino Praxeos Medicæ Profeſſor, qui cum anno 1695 ad inviſendum Carolum Patinum in eodem Athenæo Medicinæ Profeſſorem clariſſimum vocatus eſſet, extare polypum in aorta nulla interjecta mora Medicis adſtantibus pronunciavit, quos tanti viri oraculum irridentes ægrotantis interitus rubore complevit, eo quod ſecto cadavere polypus in aorta locatus deprehenſus fuiſſet, qui ſedulo animadverſus epiſtolæ ſummo plauſu exceptæ, atque e Germania jam ægrotanti tranſmiſſæ, Medicoſque conticeſcentes reddentis occaſionem illuſtrandæ præbuerit opportunam: Qualiacumque enim ab aliis Medicis pronunciata comperimus in irritum cecidiſſe viſa ſunt, cum modo pectoris Hydropem, modo Aſthma humoroſum, aut ſiccum, aut convulſivum, modo pulmonis vomicam, modo arterias craſſis redundantes humoribus, modo alia diverſæ indolis in media extitiſſe cavitate corporis credidiſſent. Neque rara admodum ſeſe offerunt Anatomicorum inventa, quæ de nonnullis abſolute cognoſcendis eventibus quoſcumque certiores faciunt, quibus naturalia arridere phænomena conſueverunt. At cum non tam facile variantes prænoſcere conſtitutiones corporis concedatur, hinc haud variabiles ſtatui canones nequeunt, quibus firmiter conſtitutis ſedula prognoſis emergat & accurata.

§. XII.

Exitus prudenter investigandus.

Quæ tamen vel ad diagnoſim firmandam decernendamve prognoſim conſpirare tutius conſueverint, adducere optimum duxeram; ſed prudentis eſt utiliora quæque colligere, ne error aliquis in pronunciandis

ciandis quibuſcumque propoſitionibus ægro pernicioſis inſurgat. Adductis autem, niſi aliquis abſolute mederi queat ægritudinibus, auxilia quædam proponenda cenſeo, quæ, etſi quandoque non proſint, obeſſe tamen nequeunt ægrotantibus, ſi adhibita fuerint opportune; Medicus enim ſemper laude dignus cenſetur, quotieſcumque in morbo, qui ſuapte natura agnoſcitur inſanabilis, adeo ejuſdem ſymptomata compeſcendo lenire valeat, ut niſi ſalus ſit attendenda, diuturniorem ſaltem lucis uſuram ægrotanti polliceatur. Hujuſcemodi vero hæc, ne obruerer copia rerum, ideo elucubrare meditabar, non ut abſolutam, riteque diſpoſitam tractationem proponerem, ſed ut animadverſiones quaſdam a me inſtitutas, atque ex generalioribus deductas principiis, veluti efflagitantibus ſpoſponderam, evulgarem, quæ niſi Medicorum exſpectationi reſponderint, alios fortaſſis ad inquirenda veriora excitabunt, ac ſi nil ex eis, quæ a me fuere propoſita, legentibus arrideat, ea procul dubio arridere conſiderem, quæ ex aliena præſtantiſſimorum virorum ſententia lectorum oculis ſubjiciuntur. Hæſitabam profecto, utrum has qualeſcumque obſervationes publici juris facerem, cum probe cognoſcerem, quodcumque evulgatur univerſi Orbis hominibus exhiberi: Metuebam enim, ne ingenium meum, quod ſentio, quam ſit exiguum, in re tanti momenti humilia nimis proferret, quin in ſcientia, & judicio Phyſico-Medicorum ſecurum acquieſceret. Verum cum attente conſiderarem, quibuſcumque in libris, qui evulgantur, ſemper aliquid reperiri, quod prodeſſe Societati hominum poſſit, hinc me hærentem dubio quoddam impulit genium communis ægrotantium emolumenti, ut quidquid nimirum de Aneuryſmate præcordiorum, ejuſque peculiaribus cauſis ſentirem fidelibus Medicorum oculis ſubjicerem, plane confidens, eos quæcumque in præſens proponam, benigne laturos, quæ fortaſſis meliora erunt cum majorem obſervationum numero comparavero. His, aliisque fretus rationibus opus exegeram, quod niſi placuerit perpolita dumtaxat, & diligenter elaborata probantibus, ab iis ſaltem non contemnetur, qui cum pietate, ſuaviſſimisque moribus non deſtituantur, etiam mediocria non deſpiciunt, eo quod operoſum eſſe agnoſcant, quod evulgatur. Atque, ut ingenue fatear, non ea omnia, quæ vel a doctiſſimis viris fuere conſcripta, ſemper veri ſpeciem præ ſe ferunt, non obſervationes omnes accurate inſtitutas eſſe fatendum eſt, adeo ut præter ea, quæ a quolibet de proprio

penu congeruntur, ea etiam, quæ jam palam fiunt, ſint expendenda, atque obſervationes iterum peragendæ, ut ſi quid temere & inconſulto perceptum fuerit, corrigatur: Medici namque munus eſt, ex univerſa obſervationum meſſe manipulos quaſi colligere, & deleterias a genuinis ſejungere. Id autem non abſque labore ſummo obtineri poſſe dicendum eſt, ſi de iis præcipue ſit cogitandum, qui arduum Medicinæ ſtudium inſtituentes indubias ac prudentiſſimas ſapientum ſententias ſummo labore aſſequuntur, dum imitari poſſe confidunt: Quemadmodum enim nemini conceſſum eſt, niſi illis, qui pares Apelli Phidiæque fuerint, imitari Coæ Veneris pulchritudinem, atque Jovis Olympici majeſtatem, ita præſtantiſſimorum virorum oracula nemo, niſi qui eorumdem ſapientiam fuerit aſſecutus, exprimere graphice poſſe arbitrabitur. Quamobrem cum innata ſit omnibus diſcendi cupido atque innata pariter ſint ingeniis noſtris virtutum ſemina (*a*), omnesque optimarum artium capiantur pulchritudine, & aperte intelligant, quod nemini ad laudem properanti arridere mediocritas debet, nil mirum, ſi plerique non nimis anguſtos ingenio terminos circumſcribant, neque nimis vulgarem ſibi proponant finem laborum, ſed meditentur altiora, nihilque niſi excellens, aut arduum concupiſcant. Hæc tamen in addiſcendis præſertim Salutaris Artis præceptis, abditisque contemplandis naturæ arcanis occultisque miraculis mirifice patefiunt, eo quod

Res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi, aliquid moneat
. . . . (*b*)

mortalibus incompertum.

§. XIII.

CADAVERUM DISSECTIO NECESSARIA.

Non me fugit, permulta eſſe Medicinæ præſertim tyronibus neceſſaria, atque ex adverſo quæ, quantaque illi etiam, qui optimam praxim arripiunt, aſſidue profiteri debeant, quibuslibet innoteſcit.

(*a*) *Vid.* Cic. Tuſcul. lib. 3. cap. 1.
(*b*) *Vid.* Terent. Adelph. Act. 5, ſc. 4.

Verumtamen cum ea inter, quæ veluti maxime opportuna conſtituuntur, cadaverum ſectiones jure optimo collocentur, nemo non videt, quam fauſta eorum conditio ſit, qui ea frequentare valent Noſocomia, ubi non modo præſto ſunt corpora mortuorum, quæ diſcentibus frequenter incidere monente Celſo (*a*) ſit neceſſarium, ſed ſapientiſſimi extant Medicinæ proceres, qui ea, quæ peculiarem extorquere videntur obſervationem, theatrali veluti pompa adſtantium ſubjecta oculis libenter indigitant. Ego equidem inter ea, quæ ad Etruriæ felicitatem magis magisque firmandam conſpirant, celeberrimum procul dubio ponendum eſſe Florentinum Valetudinarium cenſuerim, ubi Præſide Nobiliſſimo Equite Franciſco Maggio, votisque publicis olim annuente viro celeberrimo Antonio Cocchi Rei Medicæ atque Anatomicæ Moderatore, quem etſi e vivis ereptum honoris cauſa, utpote Præceptorem, memorandi mihi munus incumbit rapidum Medicinæ progreſſus invidi temporis curſum velociori greſſu confectati ſunt, & nunc quoque magis magisque favente fortuna mortalibus augentur. Verum enim vero non in Etruria ſolummodo, ſed ubique tum maxime obſervari cœpit Salutaris Artis jubar & incrementum, cum permulta corpora mortuorum Anatomico eſſe ſubjicienda cultro decretum fuit, ut intima obſervari valerent humani corporis penetralia. Et ſane vel priſcis viguiſſe temporibus cadaverum ſectiones autumare conceſſum eſt, quoties novum morbum ad Ptolemæorum tempora referendum (*b*) contemplemur, ad cujus inſtituendam obſervationem aperta Regum juſſu fuiſſe cadavera exploratum eſt (*c*); tametſi rariores inter epochas hujuſcemodi ſit computandus eventus, licet Phœnicum atque Ægyptiorum edoctus ſapientiam Democritus vitam longævam in aperiendis brutorum corporibus tranſegiſſet. Id autem non ſufficere ad veram humani cognitionem corporis aſſequendam apparet, ſi Zootomicæ dumtaxat analogiæ innitantur obſervationes, quas perraro ab Empyricis Traumaticam tantummodo ac Vulnerariam laudantibus Anatomen perfici poſſe arbitrarer, quotieſcumque de externis repente advenientibus cauſis ſit cogitandum. Attamen quam plurima elapſis retro

---

(*a*) In Præfat.
(*b*) *Vid.* Schulz. Hiſt. Medic. ſect. 1, cap. 3, §. 15.
(*c*) *Neminem ante Herophilum humana diſſecuiſſe cadavera conjicere quiſpiam poteſt. Vid.* Cocchi dell' Anatom. diſcorſ. pag. 48.

temporibus tumulabantur in hypogeis veterum corpora, quæ ſi inciſionem paſſa eſſent diligentiſſimam, utique cognitiones innumeras præbuiſſent : Anatomicæ namque ſectiones probe inſtitutæ nonniſi utiles eſſe conſueverunt, niſi quidpiam adverſum contigerit, & inopinatum; ceu perſpectum eſt, Andreæ Veſalio Bruxellenſi viro cæteroquin doctiſſimo contigiſſe (*a*).

§. XIV.

ANATOMICORUM INVENTA.

JAM veſicularem pulmonum ſtructuram, & glanduloſam hepatis ſplenisque compagem non detexiſſet Malpighius; genuinam nervorum originem Fracaſſatus; lymphaticorum vaſorum valvulas Sylvius & Rudbekius; fabricam cordis Lowerus; genitalia mulierum organa Graafius; varium plurimarum glandularum uſum Warthonus ac Steno; muſculorum motus fabricamque Borellus; ſalivales ductus Gliſſonius; inſenſibilem atque irritabilem quarumdam partium naturam Hallerus; aliique alia quam plurima minime detexiſſent, niſi cadaverum inciſiones frequentius Anatomicorum manibus, atque Medentium oculis patuiſſent. Neque nova quædam inventa prætermittenda ſunt, quæ illas præſertim reſpiciunt partes, in quibus ea locantur Aneuryſmata, circa quæ animadverſiones noſtras proponere in animum induximus. Proprias itaque in corde fœtus deſcripſit accurate Galenus anaſtomoſes, venoſarumque uſum valvularum agnovit; externas cordis conditiones Veſalius aperuit; binas arterias ac venas, tranſverſumque cordis ſitum Euſtachius detexit; Arterioſas Arantius valvulas nominavit; naturalem propoſuit Rudius, atque morboſam cordis conſtitutionem; lymphatica cordis vaſa pinxit Rudbekius; fibrarum deſcriptionem tradidit Steno; muſculares obſervavit fibras Lowerus; cardiacas vires æſtimavit Borellus; ſpiralem humano in corde texturam, ſanguinisque ex arteriis coronariis ingreſſum, nec non excretorios liquoris pericardii ductus Vieuſſenius agnovit; papillares muſculos plures in dextro, quam ſiniſtro cordis ventriculo deprehendit Bartholinus; ventriculos, auriculas, arterioſa, & venoſa cordis vaſa Santorinus dimenſus eſt. Sed longum nimis eſſet inventa omnia,

(*a*) *Vid.* Paræus lib. 23, cap. 46.

quæ ſolummodo circa cor a Bellinio, Lanciſio, atque aliis doctiſſimis viris propoſita ſunt, memorare, quæ Aneuryſmatum in præcordiis genitorum doctrinam haud parum colluſtrant. Quum autem & vaſa cordi adhærentia ſub præcordiorum nomine contineantur, in his quoque poſt frequentiorem humanorum cadaverum inciſionem permulta, quæ jamdudum latuerant, tractu temporis fuerunt ab Anatomicis obſervata: Hinc etenim accurata aortæ figura perperam a Veſalio deſcripta correcta eſt a Caſſerio, ac principes ejuſdem rami a Riolano reſtituti; hinc illius arcus ſedulo a Ridleio depictus, & a Bergero ſubtiliter obſervatus, hinc denique innumera tum a Ruyſchio, Cowpero, tum ab Heiſtero, Morgagno, aliiſque viris de Anatome optime meritis obſervata extant, quæ non aortam dumtaxat, ſed omnia quæcumque vaſa, quæ præcordia conſtituunt, neceſſaria lege penitus conſectantur. Neceſſitas igitur ſecandi cadavera elucet, eamdemque dum Bononiæ doceret adeo imprimere auditorum ſuorum animis clariſſimus conſueverat Albertinus, ut infinitum propemodum ſecandorum cadaverum numerum ad celebrem conſtituendum Salutaris Artis Profeſſorem non modo utilem ſæpe ſæpius eſſe prædicaverit, ſed cunctis Medicinam exercentibus. Quam itaque olim eſſe barbaram, atque contrariam Religioni ſuperſtitionem priſcorum aliqui delirantes ſibi ſuaſerant, rem agnoverunt ita proficuam recentiores, ut ex hujuſcemodi frequenti uſu caput extulerit Chirurgia, quæ viſa eſt redolere crudelitatem, uſque dum incidere mortuorum corpora homines perhorreſcerent.

§. XV.

VETUSTAS STUDII CHIRURGICI.

JAM vetuſtiſſimum extitiſſe Chirurgiæ ſtudium compertum eſt, quoties tranſacta retro ſæculi colluſtrentur: Chaldæi etenim, atque Ægyptii illud vel maxime novis, quantumvis barbaris, inſtitutis locupletarunt, Græci ſubtilius excoluerunt, Romani poſtmodum amplexi ſunt, donec undequaque diffuſum cœperit accuratius a doctioribus quibusque nationibus uſurpari. Græci tamen principem in inſtituendo Chirurgiæ ſtudio ſibi vindicant locum, cum non ſolum perarduas inſtituerint ægritudinum curationes, ſed notabiliora quæque e viris ſapientiſſimis excerpta collegerint, quæ noſtris hiſce tem-

poribus ſummopere veneramur. Inter præcipuas itaque hujus generis collectiones pervetuſta, eaque commendanda Nicetæ collectio eſt ſub Conſtantino Imperatore, ut videtur, elucubrata, cujus exemplar magni faciendum Imperialis aſſervat Bibliotheca Florentia in Ædibus D. Laurentii nobiliſſime conſtituta, atque idem inter raros, eosque celeberrimos MSS. codices collocandum ſummo labore & induſtria publici juris factum maximo Medicinæ & Chirurgiæ incremento omnes gloriantur & gaudent, quibus Populorum & Scientiarum arridere felicitas conſuevit (*a*). At quando partium ſtructura, ſitus & ordo tutius Anatomicis affulſerunt, audaciores illico facti ſunt ac difficillimas inſtituere minime recuſarunt operationes. Anatomicis igitur diſciplinis perfectius adauctis allata debentur emolumenta humano generi ſaluberrima, neque a Phyſico-Medicis contemnenda, cum iis ex externis quibuſdam ægritudinum argumentis affectæ intrinſecus partes ſint agnoſcendæ, ut diagnoſtico conſtituto ægrotantium ſtatu vera decernatur prognoſis, quæ philoſophico intuitu elicienda eſt, ut Medicus Deo perſimilis, monente Hippocrate (*b*), conſtituatur. Quum autem illæ quoque obſervandæ ſedulo ſint ægritudines, quæ vix medelam admittunt, cum intima penetralia humani corporis adoriantur, & quæ inter arduas recenſentur, nemo non videt, quantum in ſectionibus cadaverum inſudandum ſit, ut quæ a clariſſimis viris pronunciata fuere lydio veluti lapide ſubjiciantur. Hujus profecto generis eſſe præcordiorum Aneuryſmata denegat nemo, omnesque fatentur, qui humani ſtructuram corporis probe callent. Id ipſum itaque cum ego animadverterem, has qualeſcumque animadverſiones breviter concinnatas tradere legentibus conſtitueram, eaſdemque ingenue quidem tum ex ſpectatiſſimis, & fide dignis ſcriptoribus, tum ex Anatomicis obſervatis, tum denique ex propriis quibuſdam conjecturis, atque rationibus ultro deduxeram. Monitos quidem lectores velim, me fortaſſis a natura rerum agendarum compulſum (quod Scriptoris vitio aliquid conſcribendis vertendum non videtur) exiguum obſervationum numerum protuliſſe; quod licet invitus peregerim, meo tamen muneri forſitan video parum

(*a*) *Vid.* Græc. Chirurg. lib. Soran. un. De fract. ſign. Oribaſ. duo De fract. & luxat. e collect. Nicetæ deſcript. converſ. atq. edit. ab Ant. Cocchio Anat. Prof. publ. & Ant. Cæſ.

(*b*) Περὶ εὐσχημοσύνης.

accurate ſatisfeciſſe, quoties incomptam eruditionis ſupellectilem, atque altiorem aliquando dicendi rationem a Scientiis alienam in hiſce exarandis animadverſionibus adhibuerim. Sed ſi ætatis fervori atque occaſioni aliquid concedatur, præſto erunt excuſationes, ex quibus rei veritas eniteſcet. Quod ſi in re adhuc obſcura quidpiam prolatum parum attente perſtiterit, æqui bonique monitos faciam quoſcumque aſſentatorum nota deſtitutos invenero mihi res haud diligenter prolatas indigitantes. Atque utinam bene ſentiant de laboribus meis optimi rerum æſtimatores; ſpero equidem, ſi faxit Deus, alia Medicinæ cultoribus me progreſſu temporis oblaturum.

Την διαιταν των ανθρωπων οκοιη ηδονται ποτερον φιλοποται και ἀταλαιπωροι η φιλογυμνασται τε και φιλοπονοι και εδωδοι και αποτοι και απο τουτεδεων χρη ενθυμεεσθαι εκαστα.

ΙΠΠ. *περι αερ. υδατ. τοπ. γ.*



M A T A N I

DE ANEURYSMATICIS

PRÆCORDIORUM MORBIS

ANIMADVERSIONES.

PARS PRIMA.

§. I.

Introductio.

Vetusta ſane, eaque communis omnium querela eſt ex priſca mortalium gente ad nos uſque traducta, vigens adhuc, & uſque in poſterum duratura, quod nempe natura rerum in iis, quas poſuit, legibus truculenta nimium adverſus humanum genus extiterit, non modo breviſſimos ipſis vitæ terminos circumſcribens, ſed perampla morborum agmina ad eorumdem perniciem adinveniens, quaſi omnes penitus humanitatis, & ſollicitudinis notas exuerit : Nam unica tantum naſcendi conſtituta via, innumeræ ad moriendum panduntur hominibus. Si tamen humanæ vitæ regimen animo revolvat, quicumque mores hominum ſedulo perſcrutari decreverit, omnem pene culpam ſemper propemodum tribuendam ipſis eſſe ultro fatebitur. Et ſane rerum non naturalium abuſus, qui jamdudum irrepſerat, novos intulit morbos, quos recrudeſcere in dies coëgit humanæ naturæ ſocordia. Eos inter, qui nobiliores adoriuntur partes, præ-

cordiorum Aneuryſmata, vel ſponte obvenientia, vel longe protracta, noſtræ præſertim Italiæ hoc ævo familiariſſima, accuratam Medicorum attentionem extorquent: Horum quippe morborum originem, ſi ſponte naſcantur, hominibus ipſis tribuendam eſſe non inficiamur; at ſi ab ineunte ætate exordia ſumpſerint, verendum profecto eſt, ne origo eadem in iis, quorum cuſtodiæ pueri demandantur, non ſit utique refundenda. Illud vero unum ægrotos magis angit, atque ſollicitat, quod nimirum hujus naturæ affectionum ſcaturigines tum prænoſcuntur, cum remediis haud ſuppetit locus. Accurata itaque opus eſſet obſervatione, ſi præcipua, quæ hoſce reſpiciunt morbos, perſtringi vellent, ut iis, qui hujuſcemodi pernicioſis, atque lethalibus ſuccubuerunt affectibus, aliquod exinde levamen accederet. Id autem aliqua ex parte peragendum mihi eſſe propoſui, ut, ſi fas eſt, aliquid lucis ex obſervationibus mutuari concedatur, quæ ad veri inquiſitionem vel propriæ, vel alienæ valetudinis cupidos veluti manuducat, ut frequentiſſimi morbi vires, quantum licuerit, infringantur.

§. II.

HOMINUM QUERELÆ.

QUAM plurimos ego ſæpiſſime audio, qui non modo de morbis popularibus, & hæreditariis conqueruntur, ſed adverſam incuſant ſortem, eo quod quam plurimis conflictentur, quos inſcii in adoleſcentia nonnunquam adepti ſunt. Id autem non abſque ſtupore conſiderandum occurrit, quod, cum in Noſodochiis Anatomicæ inſtituuntur obſervationes, innumera eaque inopinata in inciſione cadaverum præcordiorum vitia perpetim deprehendantur, inter quæ Aneuryſmatica præcipue expendenda offeruntur, quæ miſerum exhibent quotidie obſervatoribus ſpectaculum. Ut igitur hiſce calamitatibus humanam vitam breviorem reddentibus, & diuturna lucis uſura homines immature privantibus conſtitui remora poſſit, id unum neceſſarium videtur, ut nempe funeſti tales eventus phyſiologicæ ſubjiciantur analyſi, ut, inveſtigatis præcipuis cauſis, aliqua exinde nanciſcantur ægrotantes emolumenta. Itaque minime alienum a veritate mihi videtur, pueros a parentibus, aliisve illorum cuſtodiæ negotium nactis neglectos, ac perperam tractatos Aneuryſmatica præ-

cordiorum vitia, atque alia, quæ teneram ætatem illam, cujuſcumque impreſſionis capacem, invadere conſueverunt, contrahere poſſe (Vid. §. XXVIII. LXVIII.), quæ pro datis occaſionibus manifeſtentur, & ingraveſcant. Antea vero hujuſmodi affectuum vetuſtatem, atque naturam examinare non diſplicebit.

§. III.

ANEURYSMATA APUD VETERES.

ARTERIOSOS canales a corde non longe poſitos, quorum nomine ampliores quoſque truncos longius protractos deſignari velim, Aneuryſmata contrahere haud infrequenti obſervatione compertum ſit. Latius interea præcordiorum nomen accipere congruum erit, quandoquidem id & a Celſo (*a*) peractum noverim, qui eadem uſque ad hypochondria protendit, adeo ut in tali ſpatio univerſus comprehendatur aortæ tractus, ubi efformantur frequenter Aneuryſmata, veluti ex dicendis evidenter apparebit (§. XXV). Non videtur tamen hujuſmodi affectibus quædam deneganda vetuſtas ex vitæ hominum regimine, & analogia corporum deducenda: Quidquid enim quibuſque contingere corporibus ex eorumdem textura ducens originem deprehenditur, paulo intenſius, ſive remiſſius in uno eodemque corpore aliorum reſpectu agere exploratum eſt. Aſt vitæ regimen, circa quod tanto magis laſciviunt recentiſſimi quidam, & delicatuli hominum, quanto in deterius valetudinem ruere quotidiana nos edocet obſervatio, eo deveniſſe apud veteres, Græcos præſertim, atque Romanos narrant hiſtoriæ, ut ſi exercitationes corporis, & lauta convivia, quæ temporibus illis inſtruebantur, dumtaxat expendi velint, nonniſi deplorandus exceſſus ad propriam perniciem traductus valeat obſervari. Quemadmodum vero, quidquid ad corpus quatiendum, atque ejuſdem depravandam œconomiam accommodatum eſt, vitia præcordiorum inducit, veluti demonſtrabitur (§. XXIX, XXXII, XXXIV, LII, LVI &c.); ita veteres, utpote iis ferme omnibus addictos, quæ talia efficere poterant, credendum eſt ſæpenumero adductis affectibus ſuccubuiſſe. Cadaverum ſectiones, quæ res hujus

(*a*) *L. 4, cap. 1 & 8. l. 2, cap. 3. l. 5, cap. 26 &c.* Vid. *Morgagn. Epiſt. IV. in Celſ. Tom. II, pag. 101. Patavii 1750. & Lomm. Medic. Obſerv. I, II. Tornaci 1557. Sylv. de le Boe Prax. Medic. Ap. Tr. VI, §. 39, pag. 741. Trajecti ad Rhenum 1695.*

generis extra omnem dubitationis aleam collocant, cum parum, aut nihil vigerent, hærentem dubio relinquunt animum, neque alio referenda certitudo eſt, niſi ea, quæ noſtris temporibus uſuveniunt, cum iis, quæ apud illos contigerant, conferantur. Luxus itaque adeo creverat, ut tum in exercitationibus (§. LVI), tum in conviviis (§. LIV), quidquid libuiſſet, non autem quidquid eſſet proficuum, veteres amplecterentur, & cuncta, quæ ipſi peragerent; voluptatem, atque libidinem redolerent. Eo inſuper priſcorum deliravit inſania, ut vel in Gymnicis peragendis exercitationibus, quidquid populo placuiſſet, præſtandum foret, & in opiparo, & multis ferculis inſtructo convivio dignus laude cenſeretur nonniſi quicumque delibatis dapibus univerſis peculiarem ingluviem oſtendiſſet. Omnis igitur relinquenda inquiſitio eſt, qua decerni poſſit, utrum nempe præcordiorum affectibus veteres magis, quam recentiores homines tentarentur: Ipſi namque non modo in adductis rebus frequentiſſime delinquere conſueverant, quin & perſæpe promiſcuam venerem appetebant, ex qua non levia detrimenta dimanant (§. LII), & quæ peragerent, intempeſtivis immiſcebant illecebris univerſa.

§. IV.

VETERUM COGNITIONES.

Ex his itaque concludi poſſe videtur, errata in iis, quas non naturales res Medici nuncupare voluere, plurimum apud nationes veteres viguiſſe, ex quibus morbi, de quibus ſermo eſt, cumulati fuerint, veluti eorumdem mores oſtendunt, qui ex accuratis hiſtoriis depromuntur. Quoſcumque inſuper illorum præmatura morte fuiſſe peremptos in ipſis Medicinæ primordiis accepimus, etſi oracula neutiquam conſuluiſſe, ne dum optimum antea extorſiſſe reſponſum credendum ſit, quandoquidem dum præcordiorum frequentius graſſarentur morbi, ſuperſtitioſæ gentes illæ moribus efferatæ perraro Deorum frequentare delubra conſueverint, ut oblato libamine ex oraculis vaticinia captarent, exindeque valetudinis, aut interitus nanciſcerentur ſecuritatem; quum tamen vitæ adhuc ſuperſtites oracula de morbi origine, atque ſucceſſu compellare decreviſſent, nullum extorquebant tutius reſponſum, quam ut amuleta non deſpicerent, ne, ut ipſi commenti ſunt veteres, repentino aliquo cordis

morbo ſuccumberent. Quod autem licet prioribus illis, rudibusque Medicinæ ſæculis contigiſſet, quibus falſa extiſpicia, veſana ſuperſtitio, eriſticæ fraudes, & multiplicia deliramenta viguerant, rem tamen, de qua agimus, adumbrare videtur: Subdola enim Sacerdotum reſponſa, atque fraudulenta verba, quæ temporibus illis uſurpabantur, aliquid, quod nonnunquam accideret, videntur ſupponere, cum ipſi vel ea, quæ ab aliis pronunciari audiverant, vel quæ ſibi veritati magis conſona viſa forent, effari ſæpe ſæpius conſueverint. Longe probabile igitur elucet argumentum, ex quo id vel maxime erui queat, quod nempe eos inter morbos, qui præcordia torquebant veterum, Aneuryſma ipſum recenſendum ſit ipſis adhuc hominibus incompertum. Hippocrates tamen veram cardiaci Aneuryſmatis habuiſſe notionem ambigitur, licet variis in locis tumores in vaſis cordi adhærentibus, inque arteriis ſedem habentes enumeret (*a*). Inſuper ipſi Galeno (*b*), Aetio (*c*), Æginetæ (*d*), Actuario (*e*), aliisque ex Græcorum familia vario quidem nomine fertur innotuiſſe, quodque non de Græcis modo ſcriptoribus, verum & de Arabibus ipſis ſynchrona evulgantibus volumina vaticinari cuilibet datum eſt. Quare non Hippocratem tantum præcordiorum Aneuryſmata forſitan perſpexiſſe, & ab Herodico Selymbriano eorumdem percepiſſe notionem ſuſpicantur, cum & reliquis, quamvis humanorum cadaverum ſectionum haud inexpertibus, comperta credantur. At ne conjecturis potius quam veritati litare videamur, ultro contendimus, Galenum nimirum utique Aneuryſmata perſpexiſſe, nullumque ex his, qui ante illum ſuperſunt ſcriptoribus, de tali morbo aperte fuiſſe locutum, cum ille primus præ cæteris videatur, qui hoſce affectus aliqua ornatos obſervatione complectitur.

(*a*) Ιπποκϱ. πϱογ ῶς. Sed male deducunt Medico critici ex ipſius libro Πεϱὶ καϱδὶης, cum ſit apocryphus, neque Galeno ipſi innotuerit, etſi alii contrariam tueantur ſententiam. Vid. *Georg. Seger Diſſert. de Hipp. lib.* Πεϱὶ καϱδὶης *ortu legitimo. Baſileæ 1661.*

(*b*) Πεϱὶ φλεβοτομ. ϑεϱαπευτ.

(*c*) ΤετϱαβιβΛ. κεφ. ί.

(*d*) Βίβλ. ϛ'.

(*e*) Μεϑοδ. ϑεϱαπευτ., βίβλ. ά, κεφ. ή.

§. V.

ANEURYSMATUM OBSERVATIO.

NEQUE is ego ſum, qui veteres ſanguinis circuitum agnoviſſe ſentiam, etſi vetuſtiſſimum ſanguinis in gyrum acti inventum nonnulli prædicent (*a*), ex quo, quidquid de Aneuryſmate cogitarent, plane deduxerint. Si ulla proinde conſtituenda epocha tutior occurrit, in qua relati hucuſque morbi obſervari cœperint, hæc ab inceptis cadaverum ſectionibus, & ab invento ſanguinis circuitu repetenda eſt, quin vetuſtiora eminus attendantur figmenta, luridisque agyrtarum commentis fides habeatur, qui falſa pro veris obtrudere delectantur. Quum igitur Medicinæ incrementum, & inſtauratio illis accepta referenda ſit ſæculis, quibus incidenda frequentius occurrerunt corpora mortuorum, non ſecus ac illi fauſtiſſimo, quo ſanguinis circuitus deprehenſus eſt, hinc decerni poſſe videtur, veram cordis affectuum, præſertim vero Aneuryſmatum, naturam una cum peculiaribus conjunctam obſervationibus elapſis retro ſæculis cimmeriis involutam tenebris latuiſſe, uſque dum ex autopſia pateret veritas, qua poſita, eorumdem morborum cauſæ ſuppeterent indagandæ, quod ab inventa circulatione fieri accuratius potuiſſe neminem latet. Illud autem vel maxime obſervari meretur, quod nempe efformato Aneuryſmate vehementes perſentiuntur ut plurimum pulſationes (§. VI), quibus a veteribus ſedulo animadverſis præberi ipſis debuiſſe crederem indicia circulationis: Nulla etenim alia ſuppetit conſideranti ratio; quæ aliam vehementis hujus arteriarum motus oſtendat cauſam præter adauctum fluidorum impetum, niſi ad occultas ipſi qualitates illico confugiſſent. Sat igitur eſt decernere, quodnam tutius tempus ad inveniendas Aneuryſmatum cauſas affulſerit: Nam haud aliter cogitandum ſupereſt, quotieſcumque indubia perquirantur fundamenta, quibus obſervationum tempus innitatur; perarduum profecto eſt criticorum lites componere, niſi adſciſcantur obſervationes. His itaque fidendo vitia præcordiorum ad Aneuryſmatum claſſem referenda veniunt examinanda.

(*a*) Notum Sinenſibus antiquitus fuiſſe ex Clyero refert Th. Bartholin. *Act. Hafnien. an. 1677, pag.* 4. Emiſſæque Epiſcopum Nemeſium id agnoviſſe creditum fuit. Vid. *Freind Hiſtory of Phyſick from the time of Galen to the beginning of the ſixteenth century. London 1751.*

§. VI.

ANEURYSMATUM DEFINITIONES, ET DIVISIONES.

PATET jam ex Anatome cordis fabrica, ſimulque obſervata recentiorum docent, quatuor, ſive quinque tunicis arterias ſtipari prope cor magis conſpicuis, in aorta videlicet, & pulmonali. Media inter has, quæ tenax eſt, & ad tendineam ſubſtantiam accedit, obſervationem exigit peculiarem, cum *vero*, & *ſpurio* Aneuryſmati, quod attentius examinandum occurrit, ſupervenienti, non exiguo eſſe poſſit impedimento, & ſat validum exigat impulſum, ut diſſiliendo fatiſcat. Diſtinctionem hanc ab aliquibus receptam, exploſam ab aliis, neceſſariam in præſenti tractatione eſſe arbitror, etſi ſæpius *verum*, quam *ſpurium* in arteriis præcordiorum deprehendatur, ut rerum obſcuritas evitetur. Sed ne fallacia ex nomenclaturis exoriatur, utriuſque ideam a me receptam, præmiſſa generatim Aneuryſmatis definitione, in medium afferam, Aneuryſma itaque, Græcis ἀνεύρυσμα (*a*), quod ab ἀνεύρυνω deduci poſſe videtur, tumor eſt ab arterioſo extravaſato ſanguine productus, veteribus alio fortaſſis nomine notus, præternaturalis, mollis, circumſcriptus, & facile cedens, ſyſtaltico, atquè diaſtaltico motu interdum præditus, pulſationem habens illi ſynchronam, quæ in illa, ubi locatur, arteria ſuſcipitur, & quæ evenire quandoque poteſt, ut ex excedenti, duroque tumore ex grumeſcente ſanguinis in extenſione Aneuryſmatis contenti quantitate ſuborto prohibeatur, vel obſcura admodum fiat (*b*). Si ſimplex

(*a*) Ab Arabibus *Aporiſma*, *Hyporiſma*, nec non *Emboryma*, & a Barbaris *Emboryſma*, teſtante Fuchſio *Inſt. Med. I, III, ſect. 1, cap. 26. Lugdun. 1541.* corruptis nominibus appellatur.

(*b*) Veterum Græcorum definitio juxta Hippocratis, & Galeni mentem reperitur apud Gorræum *Defin. Medic. v.* ἀνεύρυσμα *Pariſiis 1622.* & apud Foeſium *Œconom. Hippocr. pag. 38. Genevæ 1662.* Legitur in Codd. MSS. ἀνεύρυσμα, & nonnunquam ἀνεύρισμα, quemadmodum videri poteſt apud Budeum Lex. Græc. Lat. pag. 185. Pariſiis 1562. *Sed*, ut ait Henricus Stephanus *Theſaur. Græc. Lingu. pag. 1310. Pariſiis 1720. mendoſam eſſe hanc ſcripturam conſtat*, & in *Indic. Theſaur. pag. 443* affirmat, quod ἀνεύρισμα, & ἀνεύρισμος *perperam apud Medicos reperiuntur ſcripta pro* ἀνεύρυσμα, & ἀνευρύσμος. Hæc tamen varietas facile iis innoteſcet, qui Medicorum Græcorum textum conſiderare non recuſabunt: De hac enim ægritudine differuerunt præ cæteris Galenns Περὶ φλεβοτομ. θεραπευτ. Aetius Τετραβιβλ. κεφ ί. Ægineta βιβλ. ϛ. Actuarius Μεθοδ. θεραπευτ. βιβλ. ά κεφ. ή. & Dioſcorides βιβλ. δ. Sed quidpiam ex Heſychii operibus, & Fabriciana Bibliotheca comparari poſſe compertum eſt. Vid. *Scapul. Lex. Græc. Lat. pag. 513. Lugduni 1693.*

arteriæ dilatatio, ſeu alicujus dumtaxat interiorioris tunicæ diſciſſio, cæterarumque protenſio adſit citra cruentam ex arterioſo tubo eruptionem *verum* erit Aneuryſma. At vero ſi ſanguis idem e ſuis effluat p omeriis abſque repagulo, & patens alicujus tunicæ, ſive tunicarum omnium ſeu eroſio, ſeu repentina ruptio deprehendatur, *ſpurium* dicetur, cui alii Aneuryſmaticam addunt *ecchymoſim* non longe ab ea diſſimilem, quæ innotuit Galeno (*a*) ex arteriotomia ducens originem, & quæ pro variis gradibus tranſitum ex *vero* ad *ſpurium*, & ex *ſpurio* ad *verum* Aneuryſma præmonſtrat, veluti deprehendit Anelius (*b*). Verumtamen hæc raro in præcordiorum contingit Aneuryſmate: At allata diſtinctio non modo in Aneuryſmate aliarum corporis partium conſpicua fit, cum & in eo, quod circa præcordia gignitur, obſervanti manifeſtetur; ex quo fit, ut affectiones omnes, eaque ſymptomata, quæ tali morbo communia ſunt, parum, aut nihil pro varietate locorum inter ſe differant, quibuſdam dumtaxat exceptis caſibus, quos proponemus. Sed morbus ipſe, etſi eodem ferme modo in pleriſque naſcatur partibus, nihilominus ſuas ex loco accipit differentias, ut & ipſe jam in reliquis humani corporis morbis agnovit Hippocrates (*c*). Harum præcipue, quæ ex loco deſumuntur, in eo conſiſtunt, ut nempe plus, minusve Aneuryſmaticus protendatur tumor, qui ſi parum, aut nihil reſiſtentiæ ex contiguis partibus acceperit, abſque ulla remora exſpatiabitur; ſin minus, difficulter peranguſtos fines prætergredietur, niſi quidpiam validum ſupervenerit, ex quo reſiſtentia partium ſuperari admodum queat. Ut igitur *verum* conſtituatur Aneuryſma cauſæ adeſſe debent, quæ cordis, & arteriarum texturam debilitaverint, nec non connaturalem imminuerint reſiſtentiam. *Spurium* vero, niſi ortum ab eroſione fuerit, adauctam agnoſcit vim impetus recti, ſive reflexi ſanguinis ſupra nativam cordis, & arteriarum reſiſtentiam impellentis, niſi quidpiam extrinſecus ſupervenerit. Diagnoſtica vero utriuſque ſigna, licet vagentur incerta, tutius tamen ex obſervationibus eruuntur (§. LXXII.).

(*a*) Περὶ φλεβοτομ. θεραπευτ. Vid. *Ballon. Conſ. Medic. l. 1. conſ. 107. Pariſiis 1640.*

(*b*) *Mémoires pour l'Hiſtoire des Sciences, & des Beaux Arts. A Trevoux 1716.*

(*c*) Τῶν δὲ δὴ νούσων ἁπασέων ὁ μὲν τρόπος ὁ αὐτὸς, ὁ δὲ τόπος διαφέρει. Ιππ. περὶ φυσ. Hæc omnia clariora fiunt, ſi internum Aneuryſma ab externo diſtinguatur, & alia obſerventur, quæ proponuntur præſertim ab Heiſtero *Inſtit. Chirurg. P. II, ſect. I; cap. 13. Norimbergæ 1731.*

§. VII.

Aneurysmatum efformatio.

Sed quotusquisque eſt, qui minime noverit, inter Aneuryſmata, quæ maxime circa præcordia naſci conſueverunt, multa variæ indolis obſervari? Nil igitur repugnare videtur, quo minus cordis prolapſus, ejuſdemque immutatus locus (*a*), & adaucta ipſius moles ad Aneuryſmatum claſſem reducantur. Immodica ſanguinis quantitas, quæ vaſa cor nutrientia pervadit, poteſt hujuſmodi vitia producere, & cordis etiam magnitudinem a naturali recedentem (§. x); id tamen Aneuryſma *cardiacum* liceat appellare. Ramis innumeris arterias, quæ coronariæ vocitantur, per intimam divagari cordis ſubſtantiam docet Anatome, quæ diametro fiunt ſenſim ampliore, ſi inſignis adſit cruoris affluxus, & craſſitie polleat non exigua. En itaque major in arteriarum canaliculis preſſio, atque earumdem expanſio, ex qua validiſſime adiguntur cordis fibræ, & gradatim moles extenditur univerſa. Quum autem craſſa, rugoſaque tunica in arteriis coronariis deprehenſa ſit valde ad eroſionem ſuſcipiendam accommodata, hinc ſi ſanguineæ plethoræ eroſivum interdum ſuperveniens adjungatur principium (§. LI. LXXIII), tunicarum affectio facillime promovebitur. Quare non incongruum erit aſſerere, ipſas coronarias arterias peculiari fieri obnoxias Aneuryſmati, quod *idiopaticum* appellabitur. Immodica in vaſis coronariis amplitudo ut plurimum cum glutinoſa, craſſaque ſanguinis in iiſdem vaſis contenti materie copulatur. Sanguinei proinde globuli mole aucti dum magno adiguntur impetu ultimi generis vaſcula difficile pervadunt, exindeque aut ſenſim ampliantur, aut ex grumeſcente obturantur ſanguine, fitque impedimentum, ubi vaſorum rami divaricantur, ex quo in alternis cordis contractionibus eadem ſemper præternaturalis vaſorum amplitudo ſuboritur, atque interna cordis ſtructura pervertitur. A robore fibrarum, ex quibus vaſa coaleſcunt, eorumdem vaſorum robur enaſcitur: Atqui major, minorve vaſorum latitudo compoſita menſuratur ratione ex directa impetus impulſi fluidi, atque inverſa reſiſtentiæ laterum: Ex atonia igitur fibrarum reſiſtentia laterum minuetur, & vaſa conſequenter

(*a*) In puero cor in dextra locatum detectum eſt, quin ne minimum quidem ne dum in læva, ſed ne in medio quidem Thoracis propenderet. Vid. *Journal des ſçavans a. 1668.*

diſtendentur eodem ſemper impetu permanente. Quum itaque in tumorem Aneuryſmata concreſcant (§. VI), utique percipitur, quomodo impulſus fiat in ſubſtantiam cordis adeo validus, ut ſpiralium fibrarum ſuperare valeat reſiſtentiam. His accedit, quod ſanguinis impetus minime remoratur ex arteriis majoribus, quinimmo facilior redditur: Tunc etenim arteriæ coronariæ replentur cum exinanitur aorta, ex qua ipſæ ducunt originem, adeoque prioribus in ſyſtole permanentibus altera perſiſtit in diaſtole, veluti monuit Bœrhaavius (*a*). Immanem cordis amplitudinem in homine ex ipſis incunabulis admodum ingluviei dedito ego ipſe obſervavi, ex qua interitus fuerat conſecutus, quodque titubanti animo calcar addidit, nimirum ut arbitrarer, non ſecus ac ſuſpicabar, ex nimia ſanguificatione, quæ in ipſa pueritia inchoaverat, cardiacum ſenſim Aneuryſma ſuperveniſſe: Etſi enim in parva puerorum machina neceſſaria ſit ad ejus incrementum progreſſiva ſanguificatio, ea tamen ſi modum exceſſerit, vaſa plus æquo reddet ampliora, ac fibræ gradatim dilatabuntur, & perrumpentur; quod non uſuvenit, ſi debita quantitate edulia facile digerenda, cruoremque mediocriter augentia commedantur (§. LXIX). Apparet inſuper cauſa Hydrocardiæ (§. XXIII), quam ſimul cum excedenti cordis amplitudine mihi crebro videre contigit, ſemperque propemodum conſecutivum mortis effectum eſſe arbitror, niſi aliæ præextiterint cauſæ ratiocinationes theoreticas eludentes. Age dum nonnulla de hac præternaturali cordis amplitudine proponantur, ut proinde majorum vaſorum cordi adhærentium Aneuryſmata phiſiologica expendantur diſputatione.

§. VIII.

Ingens cordis amplitudo.

QUONIAM vero præternaturalis hæc cordis amplitudo, unæ eo vel maxime, quia ex adaucta cavitatis vaſorum ſanguinem ferentium amplitudine produci poſſit, ad Aneuryſmatum claſſem jure meritoque reducitur, perſæpe in incidendis corporibus mortuorum occurrit obſervatoribus inſpicienda altumque de illius cauſis penes Scriptores ſilentium eſt, niſi ea, quæ de polypis, abſceſſibus, calculis, tophis,

(*a*) *Prælect. in propr. Inſtit.* §. *183. Lugdun. Batav. 1734.*

callis, aliisque organicis impedimentis continui ſolutionem ultro inducentibus, & unicuique conſpicuis effati ſunt recentiores, comminiſci velint, e propriis nondum tenebris, ubi jamdudum conſepulta delituerant, accurate exturbata, ceu rudioribus quibusque innoteſcit; hinc obſervationibus, ſi quæ præſto ſint, innitendum foret, ut ex iis, quæ luculenter Scriptores meminerint, aliquid lucis emergeret. At enim Philoſophorum obſervationes prævia analyſeos ſuffultæ methodo nonniſi ex rite conſtitutis quibuſdam, optimisque principiis deducuntur, hisque profecto Medicina careret, ni ad obſervationes tamquam ad ſacram anchoram, optimumque præſidium confugiendum ſupereſſet. Itaque amplitudinem hujuſcemodi in hoc ancipiti rerum ſtatu conſiderandam aggredimur, ejusque cauſas ex obſervationibus deducendas eſſe putamus, ne nimium fortaſſis in tenebris trepidando, ſi quæ peculiares ex generalioribus advenientibus cauſis hauriendæ contigerint, minime detegantur.

§. IX.

Causæ peculiares.

HAUDQUAQUAM neſcius ego ſum, vel præteritis, longeque diſſitis temporibus ſtupendas cordis amplitudines deprehenſas fuiſſe, quas aſſidua annorum ſerie, frequentique cadaverum inſpectione magis magisque patuiſſe conſtat, noſtrisque præſertim ſæculis, quæ parum, aut nihil habent, quod antiquitati invideant, haud infrequenter obſervantur, dum experimenta in humanis jugiter captandi corporibus innata pene dixerim Medico-Anatomicis libido eſt. Præternaturalis tamen, & ingens cordis amplitudo non morboſa ſemper cenſenda eſt, niſi dilatationis cauſa vel in corde ipſo, vel in vaſis ipſi adhærentibus palam fiat: Nam in ipſa fœtus efformatione monſtroſi cordis geneſin contingere poſſe haud repugnat, quod quantumvis rarum ſecluſis tamen cauſis manifeſte apparentibus oriri poſſe dicendum videtur. Morboſa tamen affectio adeo diverſa cohoneſtatur imagine, ut variantes ſæpe ſæpius variis in corporibus exhibeat magnitudines multum a primæva conſtitutione degeneres: Modo enim cor univerſum undique protenſum (*a*), modo in baſi, modo in cuſpide

(*a*) Cor triplo majus obſervavit Marchettus *Obſerv. Chirurg. Obſerv. 49.* maximumque pariter viſum eſt cum ingenti cavæ amplitudine ſupra diaphragma demiſſum. Vid. *Miſc.*

dilatatum adinvenitur, modo fungoſa carne externo ejuſdem cono adhærente repletum, nothoque veluti carcinomate; & ſycoſi fulcitum, modo cruore inexhauſtum, modo prorſus exinanitum, nævisque refertum, glabra ſuperficie, atque inſolitis maculis circumſeptum, internisque quaſi carneis lemniſcis, ac veluti myrmeciis, qui ex ejuſdem ſuccuſſi cavernulis foras profluunt, muſculoſam, quam & ipſi ſubſtantiam referunt, penetrantes obductum, ſuique plane diſſimile, ut quandoque ne cordis quidem imaginem in unaquaque propriæ compagis parte præ ſe ferat. Hæc autem in majoribus quoque canalibus cordi proximis detecta ſunt, ita ut ad oſtium aortæ in ſingulis ſemilunaribus valvulis duræ, fungoſæque ſubſtantiæ, nec non exigua quædam, & inæqualia ſarcomata fuerint adinventa in fimbrias, atque lacinias ad inſtar condylomatum eo uſque protenſa, ut intus aortam ipſam inclinarent, neque ſe citra ſciſſuram avelli ab iiſdem valvulis paterentur. Id autem reticendum nequaquam videtur, quod nempe ideo morboſam cordis magnitudinem, eamque excedentem a naturali diſtinxerimus, quia in peragendis circulationis muneribus augeri neceſſario cor debet mole ſua, ut poſtea ſanguineus latex ex ejuſdem erumpat ventriculis, qui tanto magis minuuntur, quanto majus ſubſtantiæ cordis eſt augmentum; idque morboſæ diſcrimen amplitudinis a naturali diſtinguit, propterea quod ſemper illa augeſcit, quando hæc eadem aſſidue perſiſtere compellitur.

§. X.

VARICES VENARUM.

EGO equidem arbitror, præcipuis adductorum phænomenorum cauſis, vaſorum, quæ coronaria vocitantur, quorum nomine tum

Nat. curioſ. Dec. 1. Tom. IV, Obſ. 40. Hæc dum olim Florentiæ ſcriberem vita functum vidi ex immani morbo Religioſum Virum nomine Carolum Philippum Angelinium Mediolanenſem ex inclita Capuccinorum familia, pietate, moribus, & doctrina conſpicuum, qui in Imperiali Laurentiana Baſilica Apoſtolicum Concionatoris munus in Quadrageſima illius anni 1756 Florentiam perrexerat impleturus. Cadaveris itaque inſtituta ſectione ſupra cætera notatu digna, inter quæ lapideſcentes, & calculoſæ quam plurimæ tum in cyſtide fellea, tum in ureteribus adinventæ ſubſtantiæ peculiarem philoſophandi materiem Medico-Anatomicis tribuere, cor plus quam duplo majus eſt adinventum, cujus præternaturalem magnitudinem cum aliis morboſis affectibus conſociatam adeo functiones corporis immutaſſe ſuſpicandum videtur, ut interitus exinde fuerit conſecutus. Id etiam nuper obſervavi in homine, qui Pleuritide laboraverat, nullumque auctæ cordis magnitudinis ſignum oſtenderat, veluti ex epiſtola apparet, quam ad Novarenſem amicum miſi. Vid. *Novell. letter. di Firenze d'Agoſto an. 1758.*

venæ, tum arteriæ accipiuntur, varices (*a*), aut idiopatica quædam Aneuryſmata non immerito accenſenda eſſe, quandoquidem quidquid varices iſtas producit, & adducta pandit Aneuryſmata, præternaturali cordis amplitudini producendæ non leviter ſuffragatur. Ac profecto quæcumque in coronariis vaſis inordinatæ extenſiones adveniant ad præternaturalem cordis amplitudinem promovendam conferre poſſunt, ſi arteriarum, in quas a corde velociter truditur ſanguis, reſiſtentiæ vim cordis exſuperent, quod ex multiplicibus, variantibusque cauſis deduci poteſt, quas inter plethoricus corporis habitus recenſendus eſt, auctaque in morbis acutis celeritas, inflammatoria corporis conſtitutio, arteriarum vitia, & alia quam plurima ab unoquoque facile prænoſcenda. His, aliisque conſtitutis facile pervertitur œconomia circulationis: Tunc enim integra cordis obtineri nequit exinanitio, cruentaque congeries in coronariis vaſis ſenſim apparebit, ex qua vaſa ipſa plus æquo protendentur, inductoque idiopatico Aneuryſmate illico cardiacum conſequetur. Id vero clarius oſtendetur, ſi adductorum vaſorum proprietates ex eorumdem deſcriptione deſumantur.

§. XI.

VASA CORONARIA DESCRIBUNTUR.

VASA hæc modo majora, modo minora ſe prodūnt, eumdemque non raro ſitum juxta majorem minoremve cordis magnitudinem aſſervare videntur; ſemper tamen obſervatorum oculis patent, eorumque ramificationes ab unoquoque cernuntur. Hæc in arterias & venas diſtingui poſſunt, quarum priores in unum coëuntes varia, & multiplici inter ſe cohærent anaſtomoſi, atque in exiliſſima diſtribuuntur vaſcula, quæ cuncta ſenſibilia cordis puncta pervadunt, omnemque pene cordis ſubſtantiam una cum venis componunt, & quæ perſtant in diaſtole, quando reliquæ corporis arteriæ in ſyſtole manent (*b*).

(*a*) Non valde differt varix ab Aneuryſmate, niſi morbi ſedes obſervetur: Aneuryſma etenim in arteriis locatur, varix autem in venis, quas, præſertim prope valvulas, in ſuis tunicis ita extendit, ut deperdita qua donabantur forma, in aliquo venoſi tractus ſitu in ampliorem ſaccum abeat, ut in vero ſit Aneuryſmate. Sed uterque morbus ad cyſtides, ſive tumores capſulatos reducitur. Aneuryſma eſt cyſtis ab alterutra dilatata arteriæ tunica dependens; Varix vero eſt nodoſa, vel interpolata venarum dilatatio. Vid. *Sauvages Patholog. Method. pag. 310. Amſtelodami 1752.*

(*b*) Tametſi hoc ipſum plures doctiſſimi viri aſſeruerint, nonnulla tamen contrarium demonſtrare videntur experimenta in animalibus inſtituta.

Aliæ vero, quæ ſanguinem verſus auriculam dextram ferunt, tum inaniuntur, cum reliquæ in corpore implentur, tenuiſſimamque oſtio ſuo valvulam poſitam habent. Coronariæ tamen arteriæ id peculiare habent, ut nempe ex iis interior ſuperficies exterioris arteriarum tunicæ denſum accipiat rete, quod in ſyſtole aortæ repletur, & in diaſtole exinanitur, ipſamque aortam in univerſa contegit ſuperficie, velut ex injectionibus ipſis deducitur, quibus in ſiniſtro cordis ventriculo inſtitutis, ejuſdem membranæ immiſſo liquore tinguntur, cum ejuſdem inſuper vaſa cordi proximiora ex arteriis profluant coronariis, quæ nonniſi ab aorta replentur. Deinde quando cor in diaſtole laxatur, tunc utraque coronaria vaſa eo ſanguine turgent, qui ex aortæ contractione in coronarias arterias impellitur. Expellitur ſanguis, dum cor eſt in ſyſtole, atque per coronarias majores venas in ſinum, auremque dextri lateris effunditur, ac per exhalantes venas in univerſam effluit cavitatem; neque alienum a veritate videtur, quod ſanguis in coronariis contentus arteriis per earumdem oſcula in aortam retropellatur. Arteriæ autem coronariæ ſupra ſemilunares exoriuntur valvulas oppoſita ex aortæ lateribus directione, ubi maxime illa e corde egreditur. Harum una dicitur dextra, ſive inferior, quæ ex aorta ipſa prodiens juxta oram auris dextræ deſcendit, & circa marginem acutum reflectitur: Siniſtra vero, ſive ſuperior circa obtuſum reflectitur marginem ad planum inferius, & dextræ trunco occurrit; ideoque ambæ oppoſita oriri directione dicuntur. Dextra inter cordis baſim, dextramque auriculam, ſiniſtra vero inter baſim cordis, atque ſiniſtram inſinuatur auriculam, ejusque rami deſcendendo una cum poſtremis dextræ ramis, mox ſiniſtræ rami cum ramis dextram componentibus communicant. Hujuſcemodi vero rami adeo exiles inventi quandoque ſunt, ut injecta cera vix ad ſolis radios ope microſcopii ceræ globuli conſpiciantur, qui modo in venas, modo in alias lymphaticas exhalantes venas videntur inſinuari. Venarum tamen tres ſtatui poſſunt ex uno dumtaxat tubo valvula ſtipato, qui in ſinu cordis locatur, provenientes, quarum maxima juxta radicem ſiniſtri ſinus per ſeptum in ſuperiori plano, ac per obtuſum marginem diſtribuitur; media vero in inferiori plano abit ad cordis mucronem, ſeque priori inoſculatur; anterior tandem ad latus mediæ contraria inſeritur directione. His autem aliæ adduntur innominatæ ſenſim minores, quæ præcipue in dextram auriculam inſeruntur. Itaque hujuſcemodi

tum arterioſa, tum venoſa vaſa, quæ cor extrinſecus ad inſtar coronæ ambiunt, & per totam internam illius ſubſtantiam divagantur, una ſimul accepta coronaria dicuntur.

§. XII.

Vasorum turgescentia.

Quæcumque in vaſis nuper deſcriptis mutationes adveniunt, facile quidem omnes propemodum conſpirare videntur ad præternaturalem cordis amplitudinem promovendam, ipſumque Aneuryſmaticum efficiendum. Id autem nonniſi ab autopſia deſumendum occurit, cum hujuſcemodi aliquando vaſa obſervata fuerint ab Anatomicis turgidiſſima (*a*), horumque turgeſcentia non ex ipſo dumtaxat oborta ſupponitur ſanguine, ſed ex ipſa cordis fabrica, quæ ex ramis vaſorum innumeris in modum glomi intortis, ſive ramoſæ arboris coaleſcit. Quum vero exploratum ſit, majorem ſanguinis quantitatem in cordis baſe, quam in ejuſdem cuſpide contineri, utpote quod conico donatur perimetro, hinc ſi craſſiora quomodocumque fluida evaſerint, perardue quidem e corde propellentur, & paulatim grumeſcent, neque ſemper ex vi circulationis advenientia ſuperabuntur impedimenta. Fieri tamen poteſt, ut quæcumque obvenerit grumeſcentia non ſemper perſeveret, quinimmo ex aliquo naturali conatu diſcutiatur, ceu in fœminis deprehenſum eſt, quæ cum ſymptomata cordis adaucti præ ſe tulerint, ſupervenientibus affatim catameniis ex incipiente morbo ſanæ evaſerunt; id quod nonniſi ex liberiori ſuperaddito per vaſa ultimi generis in corde cruoris tranſitu deducitur eveniſſe. Id tamen ſecluſis hujus naturæ conatibus obtineri nequit, cum impedimenta potius creſcant, quam minuantur. Quoniam igitur abſque libero ſanguinis tranſitu per proprias cavitates cordis motus fieri nequit, cum hic quantitatem aſſentare debeat internam cordis ſubſtantiam pertranſeuntem, nec non ordinem ſervare circulationis, hinc quo magis pondus adaugetur in cavitatibus, eo minus perfectas interna cordis ſubſtantia perficiet expanſiones. Cæterum qualeſcumque fluidorum cunctationes in minimis canalibus fiant, ideo a majori

(*a*) In cadavere militis coronaria cordis vaſa in corde magno, duro, & albicantibus referto maculis turgidiſſima obſervavit Fantonus *Obſerv. Anat. Medic. Obſerv. VII*, §. 2; *pag.* 20. *Venetiis* 1713.

minorum nexu relate ad majores exoriuntur, quia cum fluida hujuſcemodi anfractus pertranſire conantur, majori reſiſtentiæ reluctando vim propriam exercent. Vaſa inſuper coronaria id peculiare habent, ut nempe ſanguis arteria allatus haud revertatur per venas, verum in cordis ſe exoneret cavitates, atque vena, quæ revehere ſanguinem ſolet, eumdem in cavitatem ipſam extrudat, quin neceſſaria fatiſcere conetur lege, dum incertis vagari curſibus adſolet (*a*).

§. XIII.

SANGUINIS CONSTITUTIO.

PRÆTERQUAM quod ſi craſſis nimius partibus ſcateat ſanguis ad minimos pervadendos canales ineptis, obex ſanguinis circulationi apponetur, quæ ne intercipiatur, iiſdem partibus in hiſce itineribus abſolvendis maxima in lateralibus vis occurret facienda, ex qua coronaria vaſa dilatabuntur. Minime vero id uſuveniet, ſi ſanguis tenuibus partibus globuliſque coagmentetur exilibus, veluti ſecluſis morboſis affectibus prænoſcitur, & a Medico-Phyſicis comprobatum eſt (*b*), etſi eadem ſemper cordis fabrica debeat neceſſario perſiſtere, quod in valetudinariis corporibus, quæ optima hæmathoſi deſtituuntur, neutiquam deprehenditur, cum in his heterogeneæ partes plures ſint quam in corporibus bene valentibus, in quibus adſunt quidem, ſed æquam haud prætergrediuntur quantitatem. Atque, ut vera fateamur, ſanguinem heterogeneum fluidum eſſe ex iis infertur, ex quibus ipſe ſuboritur, ceu ex Chymicis evincitur ſolutionibus, quæ aqueas, pingues,

(*a*) Omnium primus, quantum videtur, Raymundus Vieuſſenius *Traité de la Structure & des cauſes du mouvement du cœur. A Toulouſe 1715.* animadvertit, ſanguinem ex arteriæ coronariæ ramis, aliiſque finibus in cava cordis trudi, inque internam cordis ſubſtantiam exonerari, ex quo peculiaris in corde conſpicitur injectionum ope circulatio ex duplici exorta ſanguine; ex eo nimirum, qui fluit per auriculas, eoque qui per arteriæ coronariæ fines ultimos in cavitatem cordis immittitur.

(*b*) *Lorſqu'on regarde les globules rouges du ſang d'un homme, & qu'on ſe donne la peine de les conſidérer avec patience, juſqu'à ce qu'ils ſe ſoient diſſous & changés en ſéroſité, on découvre, que chaque globule rouge ſe partage en ſix autres plus petits globules ſéreux de couleur jaune; ſi on continue enſuite à les obſerver encore avec la même patience, & à l'aide d'un microſcope, on les verra ſe ſéparer l'un de l'autre, & ſe diviſer en ſix autres globules aqueux, qui ſont ſi tranſparens, & ſi fins, qu'il n'eſt pas poſſible de pouſſer plus loin ces recherches à cet égard avec les microſcopes, qui ſont aujourd'hui en uſage.* Eſſai de Phyſique par M. Pierre van Muſſchenbroek, chap. 2. A Leyden 1739.

pingues, atque tartareas partes ſeorſum exhibent inſitas ſanguini, uti vel ex longe diverſis, quibus coaleſcit materiis divinari fas eſt: Ipſe enim a fluidis, ut lacte, vino, aliiſque heterogeneis rebus incrementa ſuſcipit, nec non a carnibus, herbis, frugibus, & a ſolidis quibuſcunque corporibus augetur. Neque deſpicienda proclivitas eſt ipſis perſpecta veteribus, qua ſanguis vel in corporibus non valetudinariis ad concreſcendum diſponitur (*a*) prout majori, minorive ſuperveniente calore concreſcendi vis augetur, veluti in acutis affectibus deprehenditur. Nil itaque mirum videri debet, ſi craſſus nimis quandoque ſanguis evaſerit, adeo ut nonniſi magna vi per coronaria adigatur vaſa, & quemadmodum valde ſolutus aptior ad motum redditur, atque majori efficacia proprios pervadere canales nititur, ita cunctari compelletur, ſi nimium craſſus extiterit. Omnis inſuper ſanguinis motus fatiſceret, ſi ea ipſi contingerent, quæ poſt inſtitutam phlebotomiam deprehenduntur: Si etenim e vena miſſum fictili exceperis ſcypho, ejus ſenſim rubentem partem in fibroſum conglutinari rete conſpicies, cujus in areis, quæ nonniſi per microſcopium cernuntur, qua limpidus ichor, qua rubri globuli continentur; mox ſerum undequaque exprimetur, quod diuturna dudum pruna concoctum in cartilagineam, ac pene oſſeam duritiem convertitur. Hæc tamen licet diverſimode in ſanguine fiant, dum in venoſis, & arterioſis vaſis locatur (*b*), ſæpe ſæpius obſervatorum oculis innoteſcunt, ipſumque cor infeſtare videntur.

§. XIV.

Cordis obstructiones.

ADDUCTA proinde conſtituta remora ex inducta craſſitie ſanguinis originem trahente obſtructiones intus cor ſuboriri neceſſario debent non idiopaticum modo in coronariis vaſis producentes Aneuryſma,

(*a*) Veteres ob concretionum metum ſanguinem ſibi frequentiſſime detraxiſſe alienum a veritate non arbitrabitur, quotieſcumque Ægyptiorum præſertim mores obſerventur. Ipſi enim ne in magnam ſanguinis abundantiam incurrant *præſervationis gratia plurimi, ne omnes dicam, quotannis non modo ſemel, ſed bis vere, & autumno ſanguinem ſibi detrahunt, & hoc faciunt tam urbani; quam agreſtes homines*, ut ait Alpinus *Hiſt. Ægypt. Natural. l. II, cap. 10, pag. 126.* Lugd. Batav. 1735.

(*b*) Quælibet fermentationis ſpecies in corde, atque arteriis excitata ob mutuos cordis motus major eſt quam in venis, atque adeo efficere poteſt, ut ſanguis magis caleat,

at ipſius quoque cordis amplitudinem promoventes. Obortæ obſervantur tales obſtructiones ſive in ipſis arterioſis canalibus, ſive ad extrema eorumdem oſcula, ex quibus liber ſanguinis circuitus aliquatenus præpeditur. Quum vero cordis contractiones nuſquam fieri deſinant, atque ſanguis ipſe in arterias perpetim deferatur, evidens eſt, ex tali occurrente impedimento reniſum quemdam ſanguinis in cor effici, & utraque coronaria cordis vaſa repulſo aortæ cruore repleri (§. VII), nec non muſculoſam cordis ſubſtantiam uberiorem nutritium ſuccum recipere, valvulasque laxari, ac pene diduci ſemilunares. Quapropter cum in unaquaque cordis diaſtole non modo conſuetus fiat in cor ſanguinis impetus per auriculas, & venarum truncos, verum & ſuperadditus in cor ipſum ex arterioſo tuborum latice refluxus, hinc non ſola ventriculorum utrobique protenſio conſequitur, ſed auricularum quoque, ubi ſæpius propter minorem quam in ventriculis reſiſtentiam, Aneuryſmata ab Anatomicis reperta ſunt, proindeque univerſi cordis amplitudo induci magis magisque debebit. Idipſum itidem ex ebulliente cruore exſpectandum fore concludendum eſt, ſi in fibrarum poris dudum effuſus in coronarias effluere venulas prohibeatur; conabitur enim ſe in meatus fibrarum intrudere, atque ex inducta quadam veluti phlogoſi torreſcens ſanguis coronaria ſenſim diſtendet, & haud raro perrumpet vaſa, credendumque videtur præternaturalem ipſum cordis amplitudinem pariturum. Reticendum autem illud non eſt, quod nimirum grumeſcens in corde mole aucto ſanguis abſque concretione polypoſa nonnunquam adinvenitur. Has quidem grumeſcentes ſubſtantias cardiaco jam præexiſtente Aneuryſmate mihi aliquando intueri contigit gelatinoſam referentes naturam, colore præditas nigricante, facile tamen anatomico cultro cedentes, atque nullis internis ipſius cordis vaſis fortiter adhærentes, ſed a quibuslibet propemodum partibus ſegregatas. Minime vero conſolidari poſſe apparet, niſi fibroſæ gignantur in ipſis partes ſubſtantiam ipſam duram reddentes, & aſſiduis cordis contractionibus reluctantes, quod raro admodum fieri poteſt, cum hujuſmodi grumeſcentes ſubſtantiæ vel in obitu ipſo, vel paulo poſt ipſum quandoque efformari queant (§. XVII). Hujus generis fuiſſe

---

rubeat, & mutationes plane diſſimiles in arteriis producat, quæ ab iis non parum differant, quæ in venoſis vaſculis efformantur. Mecum autem conſentire videtur Widmerus *Chym. corp. Animal. cap. VII*, §. *55*, *pag. 26*. Argentorati 1752.

videntur illæ, quæ anno 1656 obſervatoribus affatim patuere, & quæ plurimos repentinos produxerunt interitus, & cor, ejuſdemque vaſa turgentia, cruentaque ſubfluida maſſa, & nigricante latice referta reddere viſæ ſunt. Etſi itaque ex polypo, aliisque dureſcentibus concretionibus conſequi præternaturalis cordis amplitudo queat, eodem tamen ſecluſo ſit manifeſta; grumeſcens etenim obſervatur quandoque ſanguinis in corde congeries, non vero fibroſa, firmiterque coronariis vaſis adhærens (*a*).

§. XV.

VASORUM SANGUINEORUM ALTERATIONES.

MINORES canales cujuſcumque generis multo minus ex cordis vi ampliantur, quam majores, quibus admodum extenſis minora vaſa fortiter comprimuntur. Ex hujuſmodi vero compreſſione minor in iiſdem ſanguinis affluxus peragitur, ex quo magnopere debilitantur. Alicujus proinde momenti laxitas in his quoque viſceribus fieri debet: quæ a ſanguine, qui per minores canales defertur, enutriuntur, exindeque determinatum robur accipiunt. Si itaque vel qualibet levi de cauſa id in coronariis vaſis acciderit, hæc laxabuntur, alternisque aliquantulum deperditis motibus circulationem ſanguinis in vaſe illo, ubi locatur impedimentum, lentius peragi certum eſt. Reliquæ igitur ramificationes minoris, & infimi generis ex prohibita conſueta ſanguinis alluvione exinanitæ propemodum ſupererunt, ac paulatim humore illuc ſenſim extillato, & per ſpatium, quod ſupereſt, pertranſeunte refertæ illum eumdem diu detinebunt, uſque dum paulatim craſſeſcens debilia, ubi locatur, vaſa immaniter extendat, quæ

(*a*) Concretiones aliquæ polypoſæ dicuntur ob quamdam fortaſſe ſimilitudinem cum animalibus quibuſdam marinis, quæ tale nomen ſortita ſunt, ſeu cum aliis ejuſdem nominis in aqua dulci manentibus, & ad Inſectorum claſſem reducendis, quæ a Lyonetto graphice tabulis deſcripta ſunt, & in obſervationibus Trembleyanis inſerta. Vid. *Trembley*, *Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire d'un genre de Polypes d'eau douce a bras en forme de cornes. Mém. I. &c. A Leyde 1744.* Quemadmodum autem animalia hæc longis donantur brachiis, ita & polypoſæ humani corporis concretiones ea ratione diſponuntur, qua deſcripta ſunt a Caldeſio *Oſſervaz. Anatom. intorn. le Tartarugh. Tav. IX. Firenze 1687.* polyporum nempe brachia repræſentantes, quibus alia inſecta præſertim terreſtria frequenter arripiunt, veluti adnotavit Ovidius *Metam. l. IV, v. 366.*

Utque ſub æquoribus deprehenſum polypus hoſtem
Continet, ex omni dimiſſis parte flagellis.

in aliqua cordis ſyſtole tandem aliquando diffringentur, cruoremque inter muſcularis ſubſtantiæ minimos anfractus immittent. Inſuper cum non modo fluidi nervei, ſed determinati cruoris affluxus ad promovendam muſcularem actionem non leviter conferant, nil mirum, ſi quadam ſuperveniente preſſione nervoſa, & ſanguinea vaſa alterationem quamdam ſubeant, ex qua ipſius cordis imminuatur actio, & æquabiliter haudquaquam exerceatur (*a*). Hinc palpitatio, & intermittens pulſus emergunt; tunc enim fluida conſtitutas ſibi ipſis leges non ſervant, conanturque vaſa remiſſius alternos motus peragere. Hujuſcemodi tamen preſſiones extrinſecus fieri quoque poſſunt, præſertim ad baſim cordis, quin aliquid aliud interne agens ſemper adveniat. Et ſane pinguedo illa, quæ in ejus baſe continetur, nec non glandulæ nimium ampliatæ vaſorum truncos adeo comprimere valent, ut illud idem conſequatur, quod jam innuimus. Minor ergo ex hac compreſſione in coronaria vaſa propelletur ſanguinis quantitas, ex qua vaſorum eorumdem actiones immutabuntur; debiles namque fient, neque ſufficientem fluidi quantitatem in vaſa ſibi reſpondentia tranſmittent. Sanguinis interim portio aliqua ſupererit, quæ cum proprio, perennique motu deſtituatur, facile quidem depravabitur, & eos, intra quos continetur, canales afficiet, ibique, vel extra ipſos grumeſcens expatiabitur, donec cordis moles incipiat extendi, & cardiacum ſubſequatur Aneuryſma (*b*).

§. XVI.

Polyporum indoles.

Quæ autem de grumeſcente paulatim ſubſtantia effati ſumus determinatam reſpiciunt ſanguinis quantitatem, qua ſenſim dureſcente, licet ejus moles ex vi circulationis nequeat ut plurimum diſſipari, incrementum illius lente perficitur; pertranſeunti enim ſanguini ſupereſt locus uſque dum immani confecta mole ſanguinis fluxus prohibeatur, ex quo mors repentina ſuboritur. Id tamen & vero in

---

(*a*) Id clarius apparet ex cognitione relationis inter vim dilatantem, & reſiſtentiam intercedentis. Vid. *Bernoulli Diſſ. De mot. Muſc.* §. *12. Lugdun. Batav. 1710.*

(*b*) Frequentiores eſſe ſanguinis coagulationes, rarefactionesque demonſtravit præ cæteris Jo. Tennentius *Phyſical diſquiſitions demonſtrating the cauſe of the bloods morbid rarefaction, and ſtagnation. London 1745.*

polypo aliquando contingere poſſe aſſeruit Malpighius (*a*), qui eodem in cordis ventriculis exiſtente relinqui ratus eſt canalem ſanguini pertranſeunti. Polypus vero celerius incrementa ſuſcipit (*b*) citiusque dureſcit, ac retropulſo ſanguini facilius obſiſtit, veluti ex ejuſdem geneſi comprobatur, ſi ipſe præſertim paulatim fiat; nam in interitu ipſo efformari quandoque poſſe credibile eſt (§. XVII). Majorem uberioremque ſanguinis quantitatem in venis cadaverum, quam arteriis collectam reperiri repetitis comprobatur experimentis, propterea quod cum motus ſanguini impreſſus aliquantulum in morientibus perſeveret, arteriæ mediocriter exinaniuntur, dum ſanguis, qui in eaſdem ruebat, in venas exinde protruditur, ubi copioſior hæret. Enimvero ſive ex rubra, ſive ex alba ſanguinis parte polypus fiat, plane conſtat, coronaria vaſa ſanguine referta, & plus æquo amplificata, ex majori poſt interitum additione peracta adeo immaniter turgere, ut fieri prorſus nequeat, quin illico diſrumpantur, atque internæ cordis ſubſtantiæ ſuperent reſiſtentiam. En igitur & poſt ipſum interitum prætumida cordis mole magis magisque reddita inceptum, auctumque coagulum deficiente ſenſim nativo calore multiplices recipit mutationes. Neque attendenda ſemper polypoſa ægritudo eſt, ex qua homines interierint, cum eſſe queat polypus ipſe mortis effectus: Si enim ſanguis motum omnem deperdat, coagulari poteſt, ſi tenuior demittatur pars, dum præcipue a poſtremis exprimitur palpitationibus (*c*). Si quid interim polypoſum antea præextiterat, ex majori adveniente cruoris quantitate itidem extenditur, ipſique quodammodo calcar additur, cum ſupervenientes recentis hujuſce ſanguinis partes grumeſcentis ſubſtantiæ particulis ita adhæreſcant, ut unaquæque homogeneas, quæ inſunt, amplectatur particulas, cunctæque veluti attractione quadam mutuo intercedente in unum inibi corpus concreſcant (*d*).

(*a*) *Oper. Poſth. Amſtelodami 1698.*

(*b*) Experimenta in animalibus inſtituta idipſum oſtendunt: ſi enim ea animalibus ſuppeditentur alimenta, quæ concretiones valent producere, diſſectis eorumdem cadaveribus concretiones ipſas poſt mortem fuiſſe repertas, eſt ab aliquibus deprehenſum. Quinimmo in iis, quæ ob venenatum viperæ morſum interierunt, congelationes ſanguineas fuiſſe adinventas teſtatus eſt Redius, *Oſſervazioni intorno alle Vipere pag. 59. Firenze 1664.*

(*c*) Talis coagulatio non ſolum in ſanguine ipſo, ſed in tenuioribus ejuſdem particulis poſt ſeparationem aliquam obſervatur. Vid. *Boyle App ad hiſt. hum. ſangu. P. IV, Tit. 10. Londini 1684, & Mairan Diſſert. ſur la glace Part. I, chap. 18. A Paris 1730.*

(*d*) Attractionis vires in humano corpore interdum agere certum eſt: Relicta enim

§. XVII.

Polyporum efformatio.

Quicumque polypoſas concretiones ſeu poſt mortem, ſeu in ipſo mortis tempore fieri decreverunt, ex vario ægrotantium decubitu eſſe deducendas opinati ſunt, quandoquidem ſanguinea poſita cruſta, quæ ubi ſanguis in grumeſcentis ſubſtantiæ ſuperficie concreverit, deprehenditur, eamdem ita locatam in vaſis corporis obſervaverint, ut ex ejuſdem ſitu exortos in inſtanti fuiſſe polypos peculiari ſuſpicione perſtricti fuerint. Ac profecto qui cœlum verſus ſpectante facie mortem oppetere viſi ſunt, hi memoratam cruſtam ita poſitam habuere, ut albicantes ſanguinis partes ſupremam grumeſcentis ſubſtantiæ ſedem abripuerint, ac rubræ inſuper deſcenderint, pariterque quilibet variante decubitu, ſi e vita deceſſerint, rationem quamdam allatæ haud abſimilem quodammodo ſervant, ideo ut ſi inſtituta ante obitum ſanguinis miſſione enunciatam cruſtam, poſtquam e vena ſanguis eruperit, quis deprehenderit, vaticinari protinus poſſit, ægrotantem ex polypo moriturum, ceu inſtitutæ demonſtrant obſervationes (*a*). Num itaque ſemper in interitu, vel ante ipſum ſemper

---

cohæſione plurimarum partium, quam tantopere laudavit Hambergerus *Phyſiol. Med. ſeu de act. corp. hum. ſan. Jenæ 1751.* & quam ab attractione mutua pendere omnibus eniteſcit, patet humanum corpus ab externo aëre circumdari, qui per omnes ejuſdem cavitates inſinuatur, & humoribus immiſcetur, quibus humidas aliquando particulas, ipſumque frigus communicat, ita ut quantum una die ſanum corpus per poros amiſerit, tantum attractionis ope recipiat, quemadmodum in vegetabilibus experimenta demonſtrant. Perſpectum inſuper eſt allium plantis pedum admotum faucibus proprium odorem communicare, aſſumptasque cantharides ad renes ſolum deferri, & mercurium intima, & remotiora quæque pervadere corporis penetralia. At vero æquabilis fluidarum partium permixtio fieri non poſſet, ſolidæque partes propriam non aſſervarent formam, & magnitudinem, neque corporis nutritio rite perageretur, ipſiusque neceſſaria fierent incrementa, niſi hujuſcemodi vires admitterentur, quemadmodum oſtendit Robinſonius *Animal. Œconom. Prop. 29. London 1738.* Neceſſaria inſuper eſt attractionis mutuæ vis, ut vulnera facilius uniantur, & coaleſcant arteriæ poſtquam inciſionem ſubierint. Verumtamen efformato Aneuryſmate ſanguis minimorum ramorum majori quantitate fertur verſus eam ſanguinis maſſam, quæ ab Aneuryſmate continetur, & ab ipſis membranis attrahitur.

(*a*) Vid. *Andr. Paſtæ Epiſt. ad Alethophilum de mot. ſang. poſt mortem & de cord. Polyp. in dub. revocat. Bergomi 1737, & Medic. Eſſays of the Society of Edimbourg vol. II, p. 273.* Polypos ante mortem gigni putavit Kerckringius *Spicileg. Anatom. Obſerv. 73, pag. 145. Amſtelodami 1673;* ſed ipſum fuiſſe hallucinatum oſtendit Mangetus *Biblioth. Anatom. T. II, p. 2, pag. 124. Genevæ 1685*, vel quia grumoſas fortaſſe concretiones a polypis non diſtinxit, veluti obſervandum eſſe docet Peyerus *Met. Hiſt. Anatom. Med. cap. 6. Genevæ 1681*, vel quia adipoſæ ſubſtantiæ ſanguini permixtæ, & nonnunquam concreſcentis indolem non agnovit, quemadmodum in vena cava deprehendit Bontius *Medic. Indor. Obſerv. 8, p. 36*

enaſcatur, ſtatuendum minime videtur, cum ex obſervatis innoteſcat, illum tum multo ante, tum in obitu ipſo efformari utique poſſe. Atque, ut vera fatear, quamvis inficiari ipſe non audeam, ægrotantes nonnullos polypoſas, dum e vivis exceſſerint, contrahere concretiones, ipſis tamen adhuc viventibus eaſdem jampridem effici nonnunquam cepiſſe ex quodam veluti morboſæ affectionis charactere conjicitur.

§. XVIII.

Polyporum signa.

NEQUE is ego ſum, qui obſervationes proprias eouſque protenderim, ut complures ex polypoſis concretionibus vita functos noverim, diuque in vivis degentes inviſerim, ex iisque ad veram comparandam ætiologiam experimenta captaverim; quin potius ex viris ſpectatiſſimis Medicam praxim longo annorum intervallo exercentibus acceperim, modo hæc, modo illa, etſi maxime diſparia, expendenda in infirmis occurrere morbi argumenta optimis quibuſque, & accuratis obſervatoribus inconſpicua. Vibratus tamen, atque intermittens pulſus, coarctata præcordia, protenſa in jugulo vaſa, animi defectus, ſæpiſſime recurrentes, palpitationes (*a*), brachii torpor, pulſusque in eodem obſcuritas, nec non ſpaſmodicus ſterni dolor non ideo obſervatorum ingenia torquent, ut ſi luculenter in uno eodemque

---

Lugdun. Batav. 1658, vel tandem quia carnis fruſtula ſanguineis vaſis conglutinata ea non perſpexit ſolertia, qua perſpexiſſe alios demonſtrant recentiores, qui veterum inter ſe collatis obſervationibus idipſum de Diemerbrœckio *Anatom. I, II, cap. 9, p. 372. Lugdun. Batav. 1679.* Bartholino *Obſerv. Cent. I, ep. 2, hiſt. 20. Hafniæ 1657.* aliisque affirmari poſſe conſentiunt. Diſcrimen vero, quod inter polypos intercedit, & Aneuryſmata, aperte demonſtrat polypos ipſos modo ante, modo poſt mortem efformatos aliquando fuiſſe. Videnda tamen ea ſunt, quæ infra ſumus prolaturi, quibus ea addi poſſunt, quæ apud ſcriptores deſcripta reperiuntur, & præſertim apud Severinum *De Nov. Obſerv. Abſc. cap. 2, pag. 280. Lugdun. Batav. 1724.* Riverium *Cent. IV, Obſerv. 34. Pariſiis 1646.* Heurnium *Obſerv. rar. Hiſt. 27. Lugdun. Batav. 1609.* Platerum *Obſerv. 7. Baſileæ 1755.* Williſium *Cerebr. Anatom. cap. 7. Londini 1670.* Tulpium *Obſerv. Medic. l. I, cap. 44. Lugdun. Batav. 1716.* Lowerum *De cord. cap. 2, pag. 145. Londini 1669.*

(*a*) Aliquando ex ſola palpitatione cognoſcitur polypoſa concretio, maximeque poteſt determinari, ſi poſt excedentem corporis motum ideo creſcat, ut non facile tractu temporis minuatur, pulſumque debilem habeat cum difficili conjunctum reſpiratione. Præcipua tamen ſigna nullum robur habent, ſi polypoſa jamdiu efformata concretio ægritudinem aliam produxerit, quemadmodum de Apoplexia dicendum eſt: Tunc enim utriuſque morbi ſigna ita confundi poſſunt, ut aliqua ab aliis facillime deſtruantur, veluti obſervationes Wepferi demonſtrant. Vid. *Hiſt. Apopl. Obſ. 70, 71 & ſeq. Amſtelodami 1658.*

caſu perſtiterint, ambigi non amplius queat, revera polypum adfuturum. His autem omnibus una ſimul conſociatis perſæpe deliteſcentibus, & nuſquam niſi ſero nimis conſpicuis, nudus profecto prodirem in ſcenam Empyricus, ſi tutos quoſdam proponere canones vellem, e quibus manifeſta diagnoſis eliceretur: Unicuique enim patet, hanc, de qua loquimur, ægritudinem ex longe variantibus cauſis proficiſci, quarum aliquæ deliteſcunt denſiſſimis tenebris conſepultæ. Inſtar omnium ſit ad rem noſtram, quod de polypo hæreditario dicendum foret, quem cuilibet ſedulo conſideranti perſpectum eſt, ex cauſa multiplici derivari poſſe, cum non iiſdem ſemper ſtipetur ſymptomatibus, ſecluſa cordis palpitatione, uti ex morborum hiſtoriis deprehenditur (*a*). In præternaturali ulterius cordis amplitudine non defuere, qui certa proponere indicia meditati ſunt, at ſi quando panduntur, non in eodem ſemper ægrotante perſiſtunt, niſi ea comminiſci velint, quæ de pondere, atque moleſtia cordis Scriptores prodiderunt (*b*).

§. XIX.

ANEURYSMATIS, ET POLYPOSÆ CONCRETIONIS CONJUNCTIO.

ILLUD unum maxime juvat agnoſcere, quod nempe polypoſæ ſatis ſuperque adinveniuntur concretiones modo in vitæ curriculo, modo in interitu exortæ, modo denique, uti quondam legimus, contigiſſe, hæreditario veluti ſemine propagatæ (§. XVIII). Haſce non Aneuryſmate quovis dumtaxat efformato in ipſis coronariis vaſis agnitas novimus (*c*), quin & ex iis idem produci Aneuryſma conſueviſſe contendimus, ex quo prænaturalis cordis amplitudo deduci queat: Nam quod in reliquis arteriarum truncis uſuvenit, id & in ipſis coronariis canalibus animadvertitur, externo tamen, & validiori ſecluſo impedimento ex ipſa muſculoſa cordis ſubſtantia interveniente, quo reliqua vaſa, ubi obſervantur Aneuryſmata, nonnunquam deſtituuntur, quodque ex valido, alternoque cordis motu pro diverſa huma-

(*a*) Vid. *Act. Berolin, Dec. II, vol. 7, pag. 99.*
(*b*) Vid. *Lang. Oper. Medic. Part. III, pag. 211. Lipſiæ 1704.*
(*c*) Vid. *Leeuwenhœck Experim. & contempl. pag. 179. Lugdun. 1696. Mémoires de l'Académ. Royale des Sciences an. 1707, & Haller Mémoire ſur le mouvement du ſang, & ſur les effets de la ſaignée chap. II, pag. 22. Lauſanne 1756.*

humanorum corporum firmitate ſuperatur, dum prope cor univerſum vaſorum genus concutitur. Ac profecto quacumque poſita grumeſcenti materie, quæ paulatim in coronariis gignatur vaſis, ſanguinis affluxus aliquatenus intercipitur, ac ex perenni ipſius reniſu intimæ canaliculorum parietes adiguntur, uſque dum majori peracta concretione ex ampliore vaſis capacitate inſuperabile nanciſcantur impedimentum. Præterquam quod ſi prava ſanguinis accedat conſtitutio, & præſertim eroſivis ſcateat ipſe particulis (§. LI. LXXIII), tunc facile dignoſcetur, quomodo vel in ipſis minimorum vaſorum cor ipſum ambientium oris haud diſſimilis conſequatur effectus: Ea etenim, quæ ex eroſione contingunt Aneuryſmata, in tenuioribus vaſorum orificiis frequentius apparent cum aliquo dolore conjuncta, & quamcumque præripiunt intercapedinem (*a*). Nil itaque prohibere videtur, quin & in extremis minimorum vaſorum, quæ cordi inſunt, oſculis idem quadam veluti conſtituta ſimilitudine fiat, quod in nimio catameniorum in fœminis fluxu, nec non in hæmoptyſi obſervatur, quodque alias ex vi circulationis fieri prohibetur.

§. XX.

Eroſionum efformatio.

QUUM vero coronaria cordis vaſcula tenuia fuerint in extremis oſculis conſtituta: erodi haud difficile valebunt, exindeque cruore per anfractus muſcularis cordis ſubſtantiæ diffuſo augebitur cor admodum mole ſua, neque aliquid aliud adveniens incuſabitur. Ex quo fit, ut cardiacum Aneuryſma in iis ſæpius detegatur, qui ſive ſyphiliticis, ſive ſcorbuticis tentantur affectibus (*b*), cum in iiſdem

(*a*) Vid. *Hiſt. Morb. Uratiſlav. an. 1701, pag. 238. Lauſannæ 1746.* Mortua Ducis Brunſvicenſis conjuge Chirurgus aperuit cadaver, & obſervavit dextrum cordis ventriculum ab ulceroſa eroſione fuiſſe diſruptum. Vid. *Mémoires de l'Acad. Royal. des ſciences an. 1732.*

(*b*) Hæmorrhagiæ, quæ in ſcorbuticis obſervantur, ex ipſa humorum acrimonia deducuntur, ex quibus eroſa vaſa ſanguinea, ſive mollia reddita, ſanguinem contentum effundunt, veluti reluctante licet animo in chariſſima ſorore mihi obſervare datum fuit, quæ quantitatem ſanguinis univerſam per nares paulatim effudit, uſque dum integro elapſo ferme anno ſeroſa, & albicante ſuperveniente ſubſtantia, & languidiore ſenſim reddito cordis motu, tandem occubuerit, cum vix novem annos attingeret. Si ergo ex affectione dumtaxat ſcorbutica adeo depravatur ſanguinis maſſa, ut eroſivam naturam adipiſcatur, multo magis in Aphrodiſiacis id uſuyenire poſſe cenſendum eſt, cum ipſi labem immiſſo

coagulantes, adnotante Malpighio (*a*), acidique ſales contineantur (§. LI). Quod vero ad polypoſæ cujuſvis concretionis pertinet productionem, innuendum eſt, non ex polypo dumtaxat emergere Aneuryſma conſueviſſe, verum Aneuryſmate conſtituto polypum ipſum in arteriæ expanſione efformari, ceu animadvertit Morgagnus (*b*). Quid quod & in expanſione alicujus coronarii vaſis ex allatis caſibus inducta enaſci concretio poteſt, ex qua liberiori cruoris affluxu intercepto cor admodum creſcere compellitur mole ſua (*c*). Quælibet autem exorta hujus generis concretio perſæpe in ventriculis, & auriculis cordis adinvenitur, qui ramoſas propagines in arterias, & venas emittunt, ibidemque pariter oſſificatas hirſutaſque repertas fuiſſe partes accepimus totam ſiniſtram cordis regionem occupantes (*d*). Quo in loco reminiſcendum occurrit, quod obſervatum eſt, polypos ipſos facilius in dextro, quam ſiniſtro cordis ventriculo concreſcere, & ampliorem quoque molem acquirere.

---

veneno acceptam referant. Quod vero gravius in ſcorbuticis extat, ſtatim apparet, & ex ipſis, etſi maxime variantibus, ejuſdem ſignis eruitur: Puſtularum enim eruptio, membrorum extenuatio, pruritus, & eroſio gingivarum, & alia, quam plurima lethalis hujus ægritudinis argumenta oſtendunt, ſanguinem adeo depravari, ut vaſa, quæ ipſum continent, erodantur; & mollia fiant, ut facile ſanguinem ipſum effundant. Hic e vena miſſus atram, & grumeſcentem indolem in fibroſa ſui ipſius parte præ ſe fert, ſalſam, & acrem in ſeroſa, ut ſi in minimis hæreat vaſis, ex ea, qua pollet acrimonia, ſanguinea erodat vaſa, ut ex varicoſa venarum, quæ raninæ dicuntur, conſtitutione deducitur. His in minoribus humani corporis vaſis rite perſpectis, facile in coronariis cordis oriri poſſe concludimus.

(*a*) *De Polyp. Cord. Diſſert. Londini 1686.*

(*b*) *Et nos revera in muliere quadam cum nihil uſpiam polypoſi, & nominatim in corde; & cerebri ſinibus inveniſſemus, intra Aneuryſma tamen non magnum, in quod ſiniſtra ejus arteria ſubclavia expandebatur, adhærentem oblongum polypum obſervavimus.* Adver. Anatom. II. Animadv. 40. Lugdun. Batav. 1723.

(*c*) Vermes in corde circa coronaria vaſa repertos fuiſſe veteres crediderunt. Hos polypoſas fuiſſe concretiones aſſerimus inſectorum ſpeciem referentes.

(*d*) Vid. *Bonet. Sepulch. Tom. II, l. 3, ſect. 16, pag. 313. Genevæ 1700.* Cor Leonidis Lacedæmoniorum regis ex genere Heraclidarum hirſutum fuiſſe repertum ex Ariſtide Perſicarum rerum ſcriptore aſſeruit Plutarchus Παραλλ. δ., quod tamen inſolitæ cardiacorum vaſorum alterationi arbitror eſſe tribuendum, quæ ipſum quaſi hirſutum reddere potuiſſet. Sed nonnulla libenter audire fas eſt, quæ eruta ſunt ex *Miſc. Natur. Curioſ. Dec. III, an. 5 & 6. Obſerv. 122.* Ita namque ibidem legi poteſt; *De corde hirſuto meminit clariſſ. Dom. D. David Grebnerus Med. Vet. Reſt. c. 16. De cord. p. 121, & ante ipſum de tali corde alii. Hinc narrat Valer. Max. de Mirac. lib. I, c. 8. Ariſtomeni Meſſenio cor repertum fuiſſe hirſutum, de quo etiam Plinius Hiſt. Nat. lib. 11, & Jo. Schenckius Obſ. Med. lib. 2. De corde pilis referto ſcribunt curioſas obſervationes Pet. Crinitus. De hon. diſcipl. Bauhinus Anat. Antiqu. Benivenius De abdit. morb. cauſ. Theod. Craanen De hom. Plutarchus Paral. Cœl. Rhodigin. Antiq. lect. l. 4. M. Ant. Muretus Var. lect. l. 12, c. 10. & tandem Amatus Luſitanus.*

§. XXI.

Concretionum quantitas.

Monendum tamen videtur majorem minoremve polyporum in ventriculis cordis ſedem habentium amplitudinem eorumdem capacitati proportionari : Dexter enim quoad ſubſtantiam dimidia parte mollior, & tenuior ſiniſtro eſt, eodemque amplior, adeo ut illius vis dimidio ſaltem robore polleat, atque ſufficiat ſanguinem ad uſque proximos deferendo pulmones, quando ſiniſter ad omnes totius corporis partes per minimos propellere canales debet. Dextera tamen cordis auricula non admodum ſiniſtra major extat, propterea quod ſanguineus latex minori vi ex venis in cor effluens ampliorem exigit diametrum, quam qui majori cum velocitate per venam effluit pulmonalem; vaſis etenim anguſtia ab aucta celeritate rependitur. Animadverſum pariter fuit, non ita frequenter in canalibus a corde remotis hujuſcemodi concretiones adeſſe, rariusque in arterioſo aortæ tubo ſedem habere, quandoquidem ex ſanguine vehementer a corde propulſo diſſipari valerent (*a*). In iis tamen aortæ locis, ubi ipſa incurvatur, & ubi ramoſæ fiunt vaſorum elongationes, ex obſervatis eſſe frequentiores innotuit, eaſdemque cum Aneuryſmate in aortæ tractu frequentiſſime conſociari. Id autem ab unoquoque facile percipi poteſt, ſi ſuperveniens obſtaculum cum exorto conferatur Aneuryſmate : Si namque concretio aliqua, quæ efformari jampridem cœperit, ex vi circulationis per aortæ truncum deſcendens in locum, ubi iliacæ ex aorta proficiſcuntur arteriæ, ſtatim deſcenderit, ibidemque conſtiterit, ſanguini ad iliacas fluenti remora quædam fiet, quæ ſi inſignis ſit, ſubitam mortem minabitur, ſin vero mediocri

cent. 6. narrat olim Ferrariæ noſtræ (ſunt Lanzonii verba) *ſe obſervaſſe cor cujuſdam latronis inſignis, & audaciſſimi pilis circumſeptum, ſic pariter hic Ferrariæ an. 1696. ſub fine menſis Aprilis quemdam plebeium ætatis an. 47 forti Pleuritide extinctum in hoſpitali S. Mariæ Novellæ* (idem loquitur Lanzonius) *meæ curæ commiſſo cultro Anatomico aperui, & cor inventum eſt undique pilis refertum; in pulmonis autem ala dextra abſceſſum vidimus mortis ac morbi cauſam; ſic monſtra naſcuntur in dies, & mirabilia depromit natura ſemper admirabilis, ſemperque curioſa in triplici ſuo regno, animali nempe, vegetabili, & minerali.* Permulta etiam ex aliis ſcriptoribus eruuntur.

(*a*) Rarum videtur, per omnes corporis arterias, & venas polypoſas ſimul diffundi poſſe concretiones. At ex Zoologicis obſervatis evincimur, canem vita functum eſſe ex polypis venas, & arterias omnes corporis occupantibus. Vid. *Act. Hafnienſ. an. 1679. Obſ. 29.*

ſtipetur mole, concretio hæc quotidie magis ſubcreſcens arteriæ parietes amplificabit, atque in emiſſaria arteriarum ab aorta derivantium proruet ſanguis, & modo cœliacam, modo meſentericas, modo emulgentes, modo vero ſpermaticas comprimere conabitur, uſque dum varii generis exſurgant Aneuryſmata. Quare non abs re concludi poſſe videtur, non ſolum ex efformato jam Aneuryſmate innaſci polypum poſſe (§. XIV), ſed ex polypo ipſo emergere Aneuryſma conſueviſſe, etiamſi ejuſdem locus ab eo, quem occupat polypoſa concretio, aliquantulum diſtet.

§. XXII.

Cordis læsiones.

His itaque poſitis idem in ipſomet corde ſtatui poſſe apparet: Nam ſive in ejuſdem ventriculis, ſive majoribus ramis adſit impedimentum, Aneuryſma ſenſim conſequitur, quod ſeu cum polypoſa concretione, ſeu cum aliqua vaſorum obſtructione copulatum cordis amplitudinem æquo majorem ingenerabit. Potiori ergo jure arguendus videtur Plinius (*a*), qui cor morboſis nuſquam tentari affectionibus effatus eſt, neque forte fortuna læſum illico necem inferre audacter nimis pronunciare non dubitavit. Attamen ipſa probe cognovit Antiquitas, ex læſo animalis corde œconomiam perverti univerſam, atque ipſi acceptum vitæ principium eſſe referendum: Non enim ignem, & caloris cardinem cauſamque ſolummodo veteres appellarunt, ſed humanæ vitæ theſaurum, vivifici aureique nectaris fontem, τȣ μικροκόσμȣ ſolem, ipſiusque animæ ſedem, veluti ex ipſa voce, quæ animum quoque deſignat, ad nos uſque deducta concluditur (*b*). Ipſo igitur morboſa qualibet affectione laborante niſi repen-

(*a*) *L. XI, cap. 42. Pariſiis 1723.*

(*b*) Id non ſolum a Græcis, apud quos vox *καρδία cor animumque* ſignificat, indigitatum videmus, ſed inter Orientales ab Judæis acceptum novimus, quandoquidem ex voce Chaldæa *cor*, & *animus* deſignatur, quaſi ex Hebræa voce tranſpoſita deduci velit, quodque vel apud Arabes idem videtur eſſe, cum *cogitationem* ex Judæa voce מחשבה intelligant. Vid. *Buxtorf. Lex. Hebr. & Chald. pag. 75. Baſileæ 1735.* Alia hujus generis proponuntur a Williſio *De an. brut. cap. 8. Londini 1677.* Neque defuiſſe compertum habemus quoſdam ex veteribus, qui ex aucta, vel imminuta cordis magnitudine diverſas deduxerunt animi proprietates, veluti eruitur ex hiſtoriis, quarum nonnullas retulit Silvaticus *Controv. Medic. contr. II, pag. 17 & ſeq. Mediolani 1601.*

tinum interitum, interruptam ſaltem lucis uſuram ægrotantes experiuntur, cum non circulatio dumtaxat ſanguinis perturbetur, at vel morboſi emergant affectus, quos recenſuimus.

§. XXIII.

HYDROCORDIÆ ORIGO.

NON omnis profecto cordis labes internam agnoſcit originem, cum alterationes quædam ex humore pericardii ſubſequantur: Licet enim illo deficiente oriantur maraſmus, & palpitatio, tamen & immodica exiſtente quantitate ſive congelatur (*a*), ſive copioſo plus æquo ſubſiſtente valde pernicioſam affert Hydrocardiam. Ac profecto nihil aliud humor pericardii eſt niſi latex quidam lymphaticus e glandulis ſupra baſim cordis jacentibus, & per univerſum pericardium conſperſis extillatus, qui ignis calore concreſcit, additoque ſpiritu nitri lacteſcit aliquando, & loturæ carnium colorem præ ſe fert, rubenteſque particulas continet microſcopio conſpicuas. Hic non modo diverſi coloris particeps deprehenſus quandoque fuit ab Anatomicis, ſed purulentus, ſalinis, acribuſque refertus particulis, aliisque inquinamentis, a quibus affici pericardium valet, ejuſque capſula exulcerari, nec non phlogoſim ſuſcipere, veluti ex interno fixoque ægrotantium circa medium ſternum dolore deducitur. Quum vero quantitate nonnunquam minui conſueverit, decepti ſunt Anatomici, cum viderint pericardium ipſum arctiſſime cordi conjunctum ut vel ipſum aſſeruerint defuiſſe. Quamobrem ne major, minorve hujuſce humoris quantitas decipiat aliquem, cum nunc major, nunc minor eſſe debeat (*b*), prout diverſitas rerum expoſtulat, atque juſtius ferri velit judicium, obſervatio in recenti cadavere, minimeque præviis morbis, & macie confecto inſtituenda eſt. Licet itaque excedenti, ac præternaturali poſita cordis amplitudine, aliiſque vitiis enaſci queat Hydrocardia (§. VII), tamen & ipſius pericardii humore qualitate peccante cor affectionibus quibuſdam obnoxium fiet: Ea namque omnia, ex quibus hujuſcemodi coaleſcit humor, ideo extimulanti

(*a*) Vid. *Philoſoph. Tranſact. for the year. 1670.*

(*b*) In fœtu copioſius reperiri teſtatus eſt Du Verney. Vid. *Act. Petropolitan. Acad. vol. 2.*

pollent facultate, ut nempe quidquid in illa capſula continetur, difficile putreſcat. Putreſcet igitur, ſi quantitas minuatur; ſin minus, pericardii membranæ depravabuntur, ipſumque cor prava & aſſidua torqueri colluvie non deſinet. En labes abſque repagulo, quæ nonnunquam in cadaveribus deprehenditur neque polypo quopiam, neque alio ſuperveniente impedimento.

§. XXIV.

Pericardii alterationes.

Majorem tamen humori, qui in pericardio continetur, labem ex putreſcentibus ſanguinis ibidem contenti particulis, quas ſatis ſuperque adeſſe ex rubentibus maculis, atque colore loturæ carnium conſimili concluditur (§. XXIII), arbitror acceſſuram, quam ex univerſa ipſius maſſa, in qua ſalinas, acresque reperiri particulas adnotavimus. Id autem tum verum eſſe cenſendum eſt, cum hujuſcemodi ſanguineæ partes maxime exuberant: tunc enim facile corrumpentur, & ſuppurabunt, propterea quod effuſus affatim ſanguis e propriis canalibus facile in pus convertitur, monente Hippocrate (*a*), niſi quidpiam contrarium advenerit, veluti in nonnullis Aneuryſmatum tumoribus monendum eſt (§. LXXI). Verumtamen quantitas ſanguinis univerſa utique putreſceret, niſi magna coaleſcendi vis ineſſet ſanguini, ac præter defectum balſamici ſpiritus liber ambientis aëris influxus adjiceretur (*b*). Verum etſi talia ſupervenirent, ex aſſidua fortaſſis, perennique humorum circulatione ad nihilum deducerentur, quod tamen in pericardii humore nequit uſuvenire, niſi ſanguineæ ſubſtantiæ quantitas cum quantitate acrium & ſalinarum partium minorem habeat proportionem. Quod denique attentionem quamdam videtur exigere illud profecto eſt, quod nempe pericardii membranæ phlegmone perſæpe afficiuntur, veluti ex preſ-

---

(*a*) Ἤν εις τὴν κοιλιην αιμα ἐχυθῃ παρα φυσιν, αναγκη ἐκπυνθῆναι. Ιπποκρ. αφορισμ. τμημ. ϛ., αφ. κ.

(*b*) *Duplex ergo putrefactionis cauſa exiſtit: prima defectus influentis balſamini ſpiritus; altera ambientis aëris, & corpuſculorum ibidem contentorum influentia, qua evenit, ut partes ſpiritu vitali balſamino deſtitutæ, quo antehac ab omni externa cauſa defendebantur, & præſervabantur, jam ab ambiente aëre (aliisque circumſtantiis) influentiam, & actionem patiantur.* Beccher. Phyſ. ſubt. l. I. ſect. 5, cap. 1, num. 23, pag. 276. Lipſiæ 1703.

ſione quadam circa ſternum, aphonia, aſſidua febri, inquietudine, ſiti, calore, ſudoribusque dignoſcitur. Si itaque ſuppuratio intus pericardii capſulam fiat, maxima ibidem materiæ putreſcentis alluvies conglutinabitur, ex qua nova conſequentur ſymptomata cordi infenſiſſima. Sed iis animadverſis, quæ præcipue cor afficiunt, jam ad arteriarum Aneuryſmata perpendenda deveniendum putamus.

§. XXV.

Aortæ Aneurysma.

Quædam itaque veluti ſeries aliquando conſtituenda videtur, cum evenire poſſit, ut idiopatico Aneuryſmate conſtituto oriatur cardiacum, habita ſemper ratione plethoræ, ex qua allato duplici etiam exiſtente Aneuryſmate reliqua conſequantur, quæ arterioſos canales cordi proximiores invadant: Poſita namque aucta cordis magnitudine, cum major in ipſo contineatur ſanguinis copia, quam antea, ideo major in aortam impulſus in ſyſtolis actu continget. Aortæ igitur Aneuryſma fiet, ſi hujus tunicæ ex aſſiduo & diuturno ſuperveniente ſenſim impulſu debilitentur. Cadaverum ſectiones rem evincunt, cum magis in aorta aſcendente, quæ cordi cohærens eſt, quam in deſcendente, quæ ab eodem dimovetur, frequentiſſime reperiantur Aneuryſmata: In aortæ enim flexione major exoritur reſiſtentia, quæ ex ejuſdem curvatura ſanguini opponitur. Aucta inſuper attendenda vaſorum amplitudo eſt in naturali ſtatu probe conſpicua, quæ in vaſis a corde haud longe poſitis prænoſcitur, quorum initia magis ampliantur, quam eorumdem extremitates. Ac profecto arteriarum extenſiones ex vi cordis ſanguineum laticem in eas impellentis dimanant, & magis minusve augentur juxta majorem minoremve cordis actionem, quæ in arteriis ipſi proximioribus major eſſe, quam in remotioribus neceſſario debet, cum ex vicino cordis impulſu majorem in egreſſu ſanguinis ipſi eidem cogantur apponere reſiſtentiam (*a*). Plura tandem ſunt, quæ ſanguini in aortam propulſo reluctantur, inter quæ ſanguis arterioſa vaſa replens, conica arteriæ figura, &

(*a*) Major in aorta requiritur reſiſtentia, quæ ſiniſtro, eidemque admodum robuſto cordis ventriculo aliqua ratione reſpondeat, ut neceſſariæ quædam actiones facilius peragantur. Vid. *Berger Phyſiolog. Medic. l. I. cap. 5, pag. 61. Francofurti 1737.*

poſtremorum anguſtiæ vaſorum merentur obſervationem, niſi ea in medium producantur, quæ de imminutione cavitatis binarum arteriarum, nempe axillaris dextræ, & ſubclaviæ ſiniſtræ fuerunt excogitata; unde aortæ Aneuryſma deductum quandoque fuit utpote a defectu virium elaſticarum exortum.

§. XXVI.

Aliorum vasorum vires.

Neque præternaturali dumtaxat aortæ vaſorum amplitudini ſemper inſiſtendum eſt, quandoquidem hujuſcemodi amplitudo effectus eſſe poteſt arterioſi vaſis, qui ſuam diametrum breviorem, exindeque perimetrum anguſtiorem reddiderit: Tunc enim ex cauſa, quæ contraria effectui apparet, idem conſequetur effectus, qui eidem cauſæ adverſari manifeſte videtur. Id vero nonniſi ex accuratis profluxit obſervationibus cuilibet conſideranti evidenter oſtendentibus, ex multiplicibus nempe, iisque variantibus accidentibus, a quibus recitandis ſuperſedere ſatius eſt, ne longe nimium protrahatur ſermo, imminui vaſorum capacitatem poſſe: Sat namque eſt, ut ſive ex tumore cartilagineo, ſive ex ſuperſtructa viſcerum vaſis adhærentium preſſione, ſive alia quacumque de cauſa imminui queat vaſis cujuſcumque, & arterioſi præſertim perimeter, exindeque amplitudo aliqua non longe ab hujuſmodi impedimentis inſurgat. Id autem haud difficulter agnoſcitur, ſi ea obſervari velint, quæ in circulatione ſanguinis non interrupta fieri debent: Quemadmodum enim ex nimia, puſillave ſanguinis alluvione pravi naſcuntur effectus circulationem quandoque ipſam intercipientes, etſi definita vaſorum diameter eadem ſemper perſiſtat, ita eadem conſtituta ſanguinis maſſa idem, vel huic perſimilis conſequetur effectus, ſi vaſis anguſtia contigerit: Perſpectum quippe eſt, internum vaſorum ſpatium in compoſita ſuboriri ratione ex directis diſtendentibus, inverſisque contrahentibus facultatibus. Neque longe admodum ab anguſtiæ ſuperadditæ ſitu quidpiam arteriæ parietes fortiter comprimens adinvenietur, eo quod major ſemper vis prope reſiſtentiam fiat ſupervenientem. Hæc ſi circa præcordia fiant, nil mirum, ſi validæ exoriantur palpitationes obſtaculum non exigui momenti demonſtrantes obſervatoribus. Retropellitur itaque ſanguinis portio quædam, cui prohibita reluctatur vaſorum expanſio, idemque retro-

retropulſus ſanguis fieri nequit, quin ibidem, ubi majori adigitur vi, præternaturalem promoveat amplitudinem, cujus cauſa ſi inſuperabilis fiat, repentinus obitus ſubſequetur, inſpectoque mortui ægrotantis cadavere Aneuryſmaticus apparebit tumor, quem in aorta exiſtentem, inter cor, & obſtaculum ſedem habiturum credendum eſt, cum comprobetur ex obſervatis, ex ligata aorta tumorem fieri, qui inter cor, & vinculum intumeſcit. Major autem allata ſuperius vis ex immutata ſanguinis velocitate, non ſecus ac ex ſuperaddita reſiſtentia deduci poteſt: Oſtenderunt enim Hydrologi, quod ſi fluido quopiam per canalem variæ amplitudinis excurrente tanta ejuſdem quantitas æquali tempore pertranſeat, ubi minor diameter eſt: quanta ubi major, velocitatis diverſitatem in contraria eſſe proportione cujuſcumque quadrati diametrorum. Quum autem perſpectum exploratumque ſit, ex fortiori obſtaculo minorem fieri ſanguinis velocitatem, facile quidem illa prænoſci poterit, ſi maſſarum producto in quadratum earumdem reſpectivæ velocitatis ducto per earum ſummam dividatur: Tunc enim vis in impulſu deperdita ex quotiente innoteſcet.

§. XXVII.

Explicatur, quomodo fiant Aneuryſmata.

Sed ut intelligatur, quomodo verum fiat Aneuryſma, ponantur cordis reſiſtentiæ $= m$, cordis vis $= y$, & arteriarum ſyſtoles $= b$; erit $m + b = y$. Si itaque debilis evaſerit b aliquo gradu x, manente tamen y, non erunt $m + b - x = y$. Quamobrem arteriarum diaſtoles reſpondebit decremento reſiſtentiæ x, verumque conſequetur Aneuryſma pro varietate locorum, quæ afficit dignoſcendum (*a*): Sanguis enim defluere per vaſa debet ſervato virium a corde datarum exceſſu

(*a*) Neque difficile nimium videtur decernere, quæ quantaque ſit præternaturalis amplitudo, quæ in majoribus arterioſis canalibus uſuvenerit: invento enim Aneuryſmate, rotundaque poſita arterioſi vaſis peripheria, ejusque diametro, jam vaſis ejuſdem innoteſcit dilatatio, veluti in aortæ Aneuryſmate demonſtravit Valcarenghus *De Aortæ Aneuryſm. Obſervat. Obſ. I. Cremonæ 1742.* Et ſane in homine mediocris magnitudinis eſt juxta Keillium *Tent.* 2. aortæ diameter 0. 73. ſeu per decimalem calculum $\frac{73}{100}$ pars unius digiti Londinenſis, area vero 0. 4187. His poſitis ſic præcitatus Auctor inſtitutam a ſe reſpiciens obſervationem ratiocinatus eſt: *Etenim iſtius* (aortæ nimirum) *circumferentia tres digitos menſurabat una cum viginti duabus centeſimis digiti partibus. Unde cum circumferentia ad diametrum, juxta Archimedis regulam, ſit ut 22 ad 7, inde deduximus, ejuſdem arteriæ diametrum*

ſupra reſiſtentias aggregatas, minimeque æquari debet vis cordis iis dumtaxat reſiſtentiis, quas invenit ſanguis in proprio circuitu peragendo, uti perperam putavit Keillius (*a*). Quum vero efformato Aneuryſmate graviora ſenſim evadant incommoda, pateſcit jam, vim contractionis in arteriis, quæ vi ſanguinis eaſdem diſtendentis reſpondere debet, creſcere cæteris paribus in ratione molis, & velocitatis, qua ſanguis ipſe movetur. Denique ex conformatione tunicarum magis, minusve reſiſtentium in arterioſis quoque vaſis a corde remotis Aneuryſmata totius arterioſi generis emergunt, veluti Florentiæ anno 1755 in viro, qui ſenectutem attigerat, obſervatum fuit, in quo innumera diſperſa reperta fuerunt per univerſum corpus Aneuryſmata, quæ in ipſis quandoque Zootomicis ſedulo peragendis inquiſitionibus palam fiunt (*b*). Quæ vero de tunicis arteriarum minus reſiſtentibus effari volumus non ſemper de internis intelligenda videntur: Externæ enim & ipſæ a quacumque vel compreſſione, vel contuſione, vel alia immodica vi immutari queunt (*c*). Id autem reticendum non eſt, quod nempe minor internarum reſiſtentia ex imminuta externarum vi contingere ſolet, ideoque ſi vel ex eroſione (§. LI. LXXIII), vel alio quovis adveniente caſu aliqua ex externis tunicis ſive laxetur, ſive dehiſcat, impulſus ſanguinis, qui in arterias truditur, minorem inveniet in internis reſiſtentiam, ubi maxime externarum conſueta

---

æquari uno integro digito + 0. 2. $+ \frac{5}{11} = \frac{2}{10} + \frac{5}{11} = \frac{22+50}{110} = \frac{72}{110}$; *ideoque diameter iſta alterius diametrum ſupra expoſitam ſuperabat per* $\frac{29}{100} + \frac{5}{11} = \frac{319+500}{1100} = \frac{819}{1100}$; *id quod ſatis ſuperque probat, quantum iſtius area conſuetam aortæ naturalem capacitatem ſuperaret. Siquidem hoc manifeſtum fiet medietate diametri in circumferentiæ dimidium ducta* (Vid. *Grandi Sez. Con.*, *Prop. 50, coroll. 1, pag. 122. Firenze 1744.*); *nam dimidia circumferentia erat* 0. 161, *medietas autem diametri erat* 0. 51. $+ \frac{1}{2} \frac{5}{11}$: *quibus inter ſe invicem ductis, fit* 0. 8246. *circiter. Quamobrem area arteriæ detectæ erat ad aream arteriæ a Keillio ſuppuratum ut* 0. 8246 *ad* 0. 4187; *quæ ſane magna differentia eſt cum fere duplum referat.* Hæc ſi aliis arterioſis vaſis applicentur, veram, & præternaturalem extenſionem utique computabimus.

(*a*) *Eſſay on ſeveral parts of animal œconomy. London 1717.*

(*b*) Aneuryſma obſervavit Eduardus Tyſon in animali, quod *Tajacu* appellatur, ſeu Indico nomine *Quauhtla*, *Coymatl*, & *Quarizotl.* Vid. *Tranſ. Philoſoph. for the year. 1683, num. 153.*

(*c*) Neque difficile admodum eſt decernere qualis in ſanguine velocitatis immutatio fieri poſſit non ſolum ob quamlibet compreſſionem, contuſionemque, ſed etiam ob quamlibet obſtructionem, & contractionem, inductamque ab Aneuryſmate dilatationem. Vid. *Robinſon Animal Œconomy Prop. 19. London. 1738.*

deeſt elaſticitas, ibique haud raro Aneuryſmaticus tumor ſenſim efformabitur. At vero ſermo nunc de iis eſt, quæ in corde ſitæ ſunt, Aneuryſmaticis ægritudinibus, iisque in aortæ, carotidibus, aliisque arteriis a corde non longe remotis ſedem habentibus, etſi circa jecur, & alia abdominis viſcera, & alibi conſpicuæ fiant (*a*). Sed in aorta quam ſæpiſſime Aneuryſmata deprehenſa fuiſſe unus eſt obſervatorum ſenſus, pariterque apparet, ea, quæ in interno Aneuryſmate notatu digna perleguntur, in aorta ipſa ut plurimum contigiſſe. Et ſane præ cæteris peculiaria quædam memorantur a Littrio, Morando, aliisque Scriptoribus de Medicina optime meritis (*b*). Inſigne inſuper obſervarunt Laſagius (*c*), & Roſinus Lentilius Archiater Wurtenbergicus (*d*), nec non Noortwyk (*e*), & Horſtius (*f*), rarumque pariter in muliere abſcidit Doddius (*g*) monſtroſumque ſe vidiſſe narrat Ruyſchius (*h*), mediocre pulvinar, quo in ſedili utimur adæquans, aliudque infantis recenter nati caput repræſentans, hisque rariſſime ſubnectitur Aneuryſma tribus jam elapſis annis Florentiæ a Viris doctiſſimis obſervatum, quod magnitudine ſua aortæ tractum occupaverat univerſum. Neque deſunt diſſectorum Aneuryſmatum hiſtoriæ ideo inter ſe variantes, ut propriam in unoquoque Aneuryſmate aſſignare cauſam nonniſi perarduum videatur. Quæ autem de hac ægritudine vocitantur haudquaquam neſcius ego ſum, utrum ex cauſis nimium proximis deriventur. Arbitror equidem, perraro Aneuryſmata illico pateſieri cum incœperint, cum ea, quæ in virilitate obſervantur, in adoleſcentia, vel infantia ipſa exorta ut plurimum fuiſſe

(*a*) Inter jecur & ventriculum Aneuryſma obſervavit Tabarranus *Obſ. Anat.* §. *8*, *pag. 16. Lucæ 1742.*

(*b*) Vid. *Mémoires de l'Acad. Royale des ſciences an. 1707, 1712, 1721, 1732, 1733 &c.*

(*c*) Vid. *Of the Philoſoph. Tranſ. Abridgment. Tom. III.*

(*d*) Vid. *Ephem. Acad. Nat. Curioſ. Cent. I. an. 1712.*

(*e*) Aneuryſmatis in quadragenario viro a DD. Tronchin, & Van-Leent obſervati hiſtoriam refert Wilhelmus Noortwyk, qui cadaveris diſſectioni interfuit, ante obitum deducti ex tumore dorſi ſynchronam cum pulſu carpi habente pulſationem, in quo tam ampla evaſerat aorta, ut in veſicæ urinariæ inflatæ amplitudinem intra Thoracem aſſurgeret, atque ex arcu aortæ ad uſque diaphragma protenderetur. Hanc præmittit obſervationem in Præfatione ad latinam verſionem Nihellii editam Amſtelodami 1746, & recuſam Pariſiis, & Venetiis 1748, cujus eſt Anglicus titulus : *New and extraordinary obſervations concerning the pulſe made by D. Franc. Solano de Luque, illuſtrated with new caſes, and remarks by Iames Nihell M. D. London 1741.*

(*f*) *Obſerv. I, l. 9. Ulmæ 1628.*

(*g*) Vid. *Of the Philoſoph. Tranſ. Abridgment. Tom. IV.*

(*h*) *Obſerv. 37, 38. Amſtelodam. 1691.*

contendam. Atque ut in his rerum ambagibus aliquid exinde lucis emergat, prava puerorum nutritio vel ex incuria parentum, vel ex divitiarum defectu proveniens ſedulo videtur examini ſubjicienda, ſimulque affectus quidam ipſis communes, planeque neglecti perpendendi occurrunt in iis præcipue, quibus anguſta domi res eſt, quam ſæpiſſime recurrentes.

§. XXVIII.

Puerorum Aneurysmata.

Puerorum corpora tenerrima, & gracilia eſſe fibriſque facile cedentibus coagmentari, ex neceſſario eorumdem incremento conſequitur (*a*). Dupliciter profecto augentur, ſi ſolidorum, fibrarumve nervearum, ſive fluidorum, quæ per omnem corporis ambitum diſperguntur, contemplemur operationes: Ut namque ſolida protendantur partibus, quæ in contactum arctiſſime nitantur, neque diſtractioni renitantur, coaleſcere minime debent, alioquin ſive non protenduntur, ſive niſus, quo in contactum nituntur, vi maxima ſupererit ſubigendus. Adhæc ſi pars, quæ protentoſa extiterat, ita perſiſtat, aliquod diviſas partes ſubeat corpus neceſſe eſt, easque ita ſejunctas detineat a contactibus, ne iterum diſtractæ partes in contactus ſibi proprios commigrent. Fluidorum inſuper incrementum tale eſſe debet, ut nutriatur corpus, & augeſcat, non vero adeo valide premantur ipſius canales, ut ex fluido, quod illuc extruditur, nimis fortiter diſtrahantur, atque diſſiliant. Nil igitur mirum, ſi quaſcumque puerorum corpora ſuſcipiant impreſſiones, facileque tententur morbis, qui, niſi optima victus ratio acceſſerit, potius exacerbantur, quam mederi eos poſſimus. Invaluit profecto in multis Italiæ urbibus mos, ut nempe puerorum lactatio paucos menſes attingeret,

(*a*) Hæc ipſa gracilitas, quæ Aneuryſmaticis præcordiorum morbis excitandis conferre poteſt, non modo pueris noxia eſſe videtur, ſed fœtubus etiam in lucem nondum editis: Sæpiſſime enim Aneuryſmata in nonnullis reperta ſunt in aliqua cordis auricula ut plurimum collocata. Contra vero violentæ cordis contractiones, quibus maxima arteriarum opponitur reſiſtentia, hujuſcemodi morbum aliquando producunt, qui frequenter auriculas ipſas adoritur: *Une maladie aſſez fréquente du fetus* (ſunt Halleri verba) *c'eſt l'Aneuryſme de l'oreillette que le ſang retenu dilate & rend immobile. Ne ſeroit-ce pas l'effet des violentes contractions du cœur, auxquelles les artères oppoſeroient trop de réſiſtance?* Vid. *Mémoire ſur la form. du cœur &c. Mém. II, ſect. 13, pag. 195. A Lauſanne 1758.*

atque plurimas ex tali abuſu exoriri praviſſimas affectiones certum eſt, quibus ne illæ, quæ præcordia torquent, accenſendæ non ſint aliquantulum pertimeſco. Dolendum itaque, non modo cibos, quibus adulti veſcuntur, iiſdem exhiberi, ſed illos quoque, qui adultis ipſis olim noxii eſſe conſueverunt. Quomodo igitur machinulæ illæ teneriores detrimentis vacabunt, quæ illis imminent, indeque obvenientes morbos arcebunt? Quum autem multiplices ex hujuſcemodi fonte dimanent morbi, ecquis præcordia immunia fore prædicabit? Minime alienum a veritate videtur ſupponere, inter quam plurimas puerorum lues, quæ ex ingeſtorum abuſu proficiſcuntur, præcordiorum affectus eſſe computandos ex iis quoque morbis enatos, quibus ætas illa torquetur: Pueri namque contumaci nonnunquam tentantur Epilepſia, quam tamen in iis ſæpius uſuvenire deprehenſum eſt, qui delicatioribus epulis proprio temperamento exactiſſime reſpondentibus minime ſaturantur. Humores interea, qui meſenterium, & alia abdominis viſcera pervadunt, ſi craſſiores evaſerint, obſtructiones producent, ex quibus interna profluere non raro ſolent Aneuryſmata (§. XLV. XLVII), cum una ſimul uterque morbus ut plurimum conjungatur.

§. XXIX.

Ciborum noxa.

Itaque decerni poſſe videtur, non omnes cibos omnibus ſive ſanis, ſive ægrotantibus, maxime vero pueris convenire: Iis etenim ex Hippocrate (*a*) humidus victus ſatius convenit. Quare habita ætatis ratione cibi facillime digerendi, & nutriendo firmandoque corpori accommodati adhibendi ſunt, ut optimam pueri nanciſci queant hæmatoſim, & exinde profluat non interrupta ſanguificatio. Secus vero Epilepſiæ, & moleſtiſſimæ exſpectandæ tuſſes, aliæve ne obſervatæ quidem affectiones pertimeſcendæ. Animadvertere nonnunquam mihi contigit, facilius Epilepſia tentari ruſticos pueros, quam urbanos, idque ex pravo ciborum delectu deducendum videtur, quandoquidem iis familiaris eſt morbus, dum acre primas per-

(*a*) Αι υγραι διαιται, πασι τοισι πυρεταινουσι ξυμφερουσι: μαλιστα δε παιδιοισι, και τοισιν αλλοισι, τοισι ουτως ειθισμενοισι διαιτασθαι. Ιπποκρ. τμημ. πρ., αφορ. ις.

vadit vias, ceu adnotavit Van-Swieten (*a*): Talis quippe acredo nonniſi ex prava ciborum oboritur qualitate. Et ſane allia, cepas, & immaturos fructus, nec non glutinoſa, & dura omnia, quibus veſcuntur, indiſcriminatim abſorberi a ſanguine, in quem commutantur, perſpectum eſt (§. XIII). Nil igitur mirum, ſi conſequatur Epilepſia, ſiquidem morbus iſte ex acribus ſæpiſſime materiis in ſtomacho latentibus, & fibras irritantibus oritur, veluti docent obſervationes. Quum autem inordinati ex hujuſmodi affectione ſubſequantur corporis motus (*b*), ecquis ægritudines alias non exſpectabit? Puerorum pulſus frequentior quam in adultis obſervatur, & non raro febrem ſimulat, quæ non adeſt. Vaſa flectuntur facile, multumque ſanguinis excipiunt; & quemadmodum cor, utpote anguſtum, iiſdem replendis vaſis impar videtur, ita ex frequentibus pulſationibus quidquid deficit compenſatur (*c*). Quod ſi naturalibus hiſce, frequentioribusque pulſationibus inordinatus addatur motus ex Epilepſia proveniens, haud video, quomodo arteriarum involucra non multum firma nequeant alterationem quamdam ſubire. Si igitur ante pubertatem quatiatur ſæpiſſime corpus, contractos perſentiet morbos cum adoleverit, &, uti quandoque fit, dum effœtum ſenectute corpus macreſcit, & poſt ipſum interitum cognoſcetur, illo in corpore jamdudum præexiſtens vitium aliquod latuiſſe.

§. XXX.

Arteriarum ossificatio.

Arteriarum mutationes reliquis corporum vicibus reſpondent, quandoquidem tenuiſſimis coagmentantur eædem filamentis in embryone, quæ craſſiuſcula evadunt in pueritia, firmiora poſt pubertatem fiunt, & cartilagineam nonnunquam induunt in virilitate naturam, ex qua ad oſſificationes quoque fit tranſitus in ſenectute, veluti mihi quondam animadvertere contigit in ſectione cadaveris viri cujuſdam peragenda, qui cum ex immani morbo, quo correptus antea fuerat, ſanus evaſiſſet, dum adhuc convaleſceret, ino-

(*a*) *Comment. ad Aphor. Bœrhaav. Text. 1077. Lugdun. Batav. 1753.*
(*b*) Coſtarum elevationem ex validiſſimis Epilepticorum ſubortam motibus obſervavit *Malpighius Conſult. Medic. Cent. I. conſ. 8, pag. 23, ex Hier. Gaſp. Patavii 1713.*
(*c*) Vid. *Hales Animal Statiks*, §. *75. London 1733.*

pinato morbo correptus Hippocratica adveniente facie mortales reliquit exuvias: Invaſit itaque libido animum introſpiciendi cadaver, cumque viſcera, & reliquæ partes anatomico ſubjectæ cum cultro ſoſpites eſſent adinventæ, vixque obitus origo perſcrutanda contingeret, quemadmodum etiam in diſſecando Fœminæ cujuſdam Piſanæ cadavere nuper obſervatum eſt, oſſificatio tandem aliquando in externa carotide reperta fuit, quæ arterioſam canalem impervium reddiderat. Neque novum, & inauditum autumare lubet; quod repetitæ comprobarunt obſervationes, vaſa nempe ſanguinea prioris generis, ne corde quidem excepto (*a*), oſſeam perſæpe naturam induere, non ſecus ac in cervis, qui multum ex curſu defatigantur, crebro ſuſpicitur, quodque Medici Arabes ad longævitatem laudaverunt. Quidni Albertum ab Haller (*b*) minime reticendum putaverim, qui univerſum aortæ tractum contemplatus eſt mirifice ſquamis oſſeis variegatum? Hujuſcemodi demonſtrant immutationes, quomodo ea, quæ in infantia obvenerunt Aneuryſmata, diu multumque perſeverent abſque notabili humanæ machinæ detrimento. Ac profecto poſita in pueris Aneuryſmatis origine ſive ex Epilepſia, ſive aliis de cauſis infra producendis exorta, jam vix ac ne vix quidem perceptibilis tunc aderit dilatatio, quæ cumprimis circa præcordia verſetur, cum illic vis major adſit propter viciniorem cordis ſitum, ex quo major exinde motus adjacentibus vaſis communicatur: Reliqua etenim cæterarum partium a corde remotarum Aneuryſmata cauſam, ut ſe prodant, videntur exigere validiorem. At vero adducta conſervabitur dilatatio uſque dum inſigne aliquod in ſex non naturalibus rebus erratum eamdem ſe manifeſtare compulerit. Quamobrem ſi minime interveniente cauſa, ex qua dilatationem adeſſe cognoſcatur, ad plures annos Aneuryſma perſtiterit, major ſpes aderit, cum vaſa firmiora ſenſim evaſerint, illud idem abſque ſævitie ſymptomatum perſeveraturum.

(*a*) In corde Urbani VIII. P. M. oſſis fruſtum repertum eſt. Vid. *Dict. Univ. de Trev. Tom. I, pag. 1893. A Trevoux 1721.* Neque tendines, membranas, cartilagines, & ligamenta ab oſſificatione liberari ex obſervatis eruitur.

(*b*) *Adn. 2. ad Prælect. Bœrhaav. Text. 184. Lugdun. Batav. 1740.* Sed Auctor ipſe oſſium quoque ipſorum efformationem ab ipſa deſumit cauſa, a qua efformatio dependet, & augmentum aliarum corporis partium, ab impulſione nimirum cordis, quæ præcipue in arteriis agit. Vid. *Haller Mémoire ſur la form. des os, ſect. VIII, n. 2, pag. 262. A Lauſanne 1758.*

§. XXXI.

Fœtuum nondum natorum incommoda.

Haudquaquam neſcius ego ſum, quam plurimas in fœtibus nondum enixis mutationes fieri, ſed omnes latet, utrum in præcordiis mutatio aliqua obvenire poſſit, dum embryones in utero materno latitant, ex qua ſuſpicari datum ſit, partes illas ad Aneuryſmata ſuſcipienda diſponi. Verumtamen longe nimis morbi hujus origo deduceretur, ſi ea, quæ in utero materno fiunt, explorari valerent, niſi natura ipſa culpari velit, utpote quæ organica præcordiorum vitia, dum fœtus efformaretur, effecerit, & genuinum partibus adhuc latentibus talium morborum caracterem impreſſerit, quod adhuc incertum videretur, niſi ex obſervationibus pateſieret. Attamen nil affirmare prohibet, hæc organica vitia in iis facilius apparere, qui non modo debilem in ipſo lucis limine fibram ſortiti fuerint, ſed in illis quoque, qui dum in utero formarentur laxitudinem quamdam in univerſo corpore ſubierint. Illud profecto contingere non raro ſolet, maternos reticendo conatus, ut maritalibus leporibus fruantur fœminæ, quando prolem in utero bajulant. Apparet itaque, alterationem quamdam non exigui momenti tenellum embryonem, etſi in chorio & amnio detentum, ſubire, ſi præſertim plures ictus mater abſorbeat, dum ambo parentes amatorio perculſi pathemate in palæſtra decertant aphrodiſiaca: Exæſtuant quippe in orgaſmo partes, & intumeſcunt, aliæque repentinæ mutationes adveniunt. Quamobrem pueros, qui in exortu ipſo Rachitidem nacti ſunt, conjectandum eſt, hanc ægritudinem ex immodico parentum concubitu ipſis adhuc in utero permanentibus acquiſiviſſe. Ipſa Venerea lues, quæ comitatur aliquando naſcentes, aliique exitiales morbi, qui in utero contrahuntur, fœtum enervant. Cuncta humani corporis vaſa ideo ſenſim, & in ipſo embryone craſſeſcunt, propterea quod ex fluidorum, quæ in ipſis reperiuntur, motu annulares ipſorum fibræ protenduntur: At quacumque poſita vehementi concuſſione fluidorum motus adaugetur: Fluida igitur majori agent momento, & vaſorum ſuperabunt facile reſiſtentiam. Quum autem tenuiſſima extent in embryone vaſcula, aliqua repente fiet dilatatio, quæ tractu temporis aucta tandem aliquando innoteſcet. Quapropter ſi debilibus arteriæ

arteriæ tunicis coaluerint in iis, qui liberos genuerunt, evenire poterit, ut fœtus ipſi eadem præditi naſcantur vaſorum textura, adeoque hæreditario, ut ita dicam, conflictentur Aneuryſmate vel mediate, vel immediate a parentibus ipſis in eoſdem traducto, veluti ſe obſervaſſe teſtatur Lanciſius (*a*), qui Aneuryſmatis re ipſa hæreditarii hiſtoriam diſerte commemorat. Inſuper innata in pueris cardiacorum Aneuryſmatum ſemina nonnunquam delituiſſe deſumptis ab inciſione cadaverum obſervationibus deprehenditur, cum in his non modo cor maximum, ſed infirma cordis textura dignoſcatur, velut expertus eſt laudatus ipſe Lanciſius (*b*). Cæterum & ex ipſis generationis primordiis hujuſmodi traduci labem tum concludendum eſt, cum nempe venæ cavæ radix, auricula, ac dexter cordis ventriculus languidiori fibrarum nexu coaleſcunt, ſiniſtris interim cavorum cordis parietibus multo validioribus apparentibus: Tunc quippe adoleſcente ſenſim præcordiorum mole dextrorum amplitudinem cavorum plus æquo latiorem evaſuram leves ob cauſas pateſit. Verum enim vero ne inſudare nimis videar in demonſtrando, Aneuryſmaticos præcordiorum affectus hæreditarios eſſe conſueviſſe, ſufficiat decernere, tum hæreditarias adeſſe diſpoſitiones cum parentes debili fibra coaluerunt; & quemadmodum fortes creantur fortibus, ita ex debilibus parentibus ambigendum eſt debiles natos prodire poſſe.

§. XXXII.

PUERORUM ÆGRITUDINES NONNULLÆ.

EDITUS in lucem fœtus clamitat, ingemiſcit, illacrymatur, plorandoque nimium, & ululando tenellum calet corpuſculum, quatitur, & infirmatur. Celerior interea ſanguinis evadit circuitus, cum ex aſſidua vocis exercitatione univerſa ſanguinis quantitas magnis motibus concitetur. Unde potiori jure ex ea, quam Græci dicunt ἀναφώνησιν,

(*a*) *De Mot. Cord., & Aneuryſm. l. II, cap. 1, Prop. 22. Lugdun. Batav. 1740.*

(*b*) *Ita in puerorum cadaveribus, nec non in catulis, ac vervecibus aliquando ſpectavimus eorum corda, in altera auricularum, vel (ut frequentius) ſiniſtro in ventriculo locum quemdam, ac veluti foramen perlucidum, quod externa, internaque tantum membrana ne omnino dehiſceret, impediebat. Neque dubitandum, quin, ſi eadem corpora adoleviſſent, inter illa facile adnumeranda eſſent, quæ repentino interitu ob apertum ex tempore cordis foramen concidunt, cujus profecto mortis genus & alii ſæpe, & nos crebro etiam vidimus.* De Mot. Cord. & Aneuryſm. l. I, cap. 2, Prop. 38. Lugdun. Batav. 1740.

animam moveri perhibebant veteres Medici, cujus nomine ſanguinem intellexerant, eo quod animæ ſedem in illo Philoſophi illis temporibus collocarent. Si itaque ex frequenti ploratu quatiatur aſſidue corpus, concludendum eſt, eorum, qui debiliorem nacti ſunt corporis habitum, dum vitæ limen attingerent, dilatari ſenſim arterias poſſe, atque ad verum ſuſcipiendum Aneuryſma diſponi. Quapropter improbandi ſunt, qui fletum in teneris infantibus fovent potius, quam plane coërceant, perinde ac emolumentum aliquod foret exſpectandum. Dum ululat puer, inſignis amplitudo glottidis internoſcitur, quæ cum illa, quam adulti quique homines obtinent, rite confunditur. Illud idcirco deducitur, auctam nimirum maximopere fuiſſe muſculorum actionem, & ipſius quoque cordis, quod inter muſculos recenſetur. Non equidem inficior, quoſdam naturæ conatus perutiles extitiſſe, eosque magnopere vituperandos, qui priſcis temporibus ploratum ingemiſcentibus pueris lege vetuerant; ſed ex adverſo non video, qua permotus ratione nimium laudaverit Ariſtoteles (*a*). Porro non modo ululatus una cum gemitu copulatur, ex quo detrimenta non pauca conſequuntur, ſed ſingultus advenit moleſtiſſimus, in quo non diaphragmatis dumtaxat convulſio, uti veteres crediderunt, ſpectanda eſt, ſed longitudinalium fibrarum œſophagi contractiones animadvertendæ, ex quibus præcordia torquentur. His additur quoque cantus pueris familiariſſimis, qui ſi modum exceſſerit, uti non raro fit, poterit affectiones adductas in tenellis illorum corporibus excitare: Dum namque perardua quæque non modo pangere, ſed elata vota fundere delectantur, graves ſibi morbos acceřſunt non tam facile diſcutiendos. Tenera inſuper ætas illa plaudere, quæ ſenſus alliciunt perſæpe ſolet, adeo ut ſi clangentes choraules, tibicines, vel alios quoslibet audiverint, ad ravim clament, ni & ipſi idem peragere poſſint, quod tamen aſſidue, ſi libuerit, perſequuntur, cum facile ſupra cæteros dulcioribus inſtrumentorum modulis deliniantur.

(*a*) Τας δε διατασεις των παιδων, και κλαυθμους, ουκ ορθως απαγορευνυσιν οι κωλυοντε εν τοις νομοις, συμφερουσι γαρ προς αυξησιν, γινεται γαρ τροπον τινα γυμνασια τοις σωμασιν, η γαρ του πνευματος καδεξις, ποιει την ισχην τοις πονουσιν, ο συμβαινει, και τοις παιδιοις διατεινομενοις. ΑΡΙΣΤ. πολιτικ. κεφ. εσκ.

§. XXXIII.

Prava puerilium corporum administratio.

Educatio neglecta, & male pertractata, uti apud imperiti, & ignobilis vulgus aſſeclas conſiderari poteſt, nec non abuſus quidam, qui etiam in cultioribus Urbibus irrepſerunt, permulta in infantum præcordiis afferunt detrimenta: Mulierculæ etenim nullum aliud exſpectandum eſſe arbitrantur remedium, ut pueros ſeu nimiæ lætitiæ, ſeu fletibus oppreſſos in officio contineant, quam ut eos ſpectris, & falſis idolis, rerumque terrorem incutientium imaginibus perpetim terrefacient, adeo ut quam ſæpiſſime immoderata lætitia cum repentino mœrore confligat, dum refractariam nimium ætatem coërcere contendunt. Simulant proinde lemures iratos, horrenda ſpectra, minaces furias, informes lamias, exitialia monſtra, cerberum trifaucem, & indomita cujuſcumque generis animantia, quæ pueros repente adoriantur. Ex quo fit, ut falſis illis decepti imaginibus inſolita formidine terreantur, & maximopere perturbentur. Ignoratur ſane, utrum majus animo detrimentum ex corpore, quam corpori ex animo accedat; verum id experientia conſtat, tenera illa corpuſcula ad quaſcumque ſuſcipiendas impreſſiones eſſe multum accommodata. Quum autem adultos quoſque homines ex infauſto aliquo ipſis allato nuncio ita exagitari appareat, ut moleſtas, & intempeſtivas ſubeant convulſiones, adeo ut Epileptici decumbere videantur, & vehementi febre diſcrucientur, tanto magis id obvenire infantibus debet, quinimmo ſatis ſuperque animadvertitur, ipſos convulſionibus laceſſitos diu multumque in tali rerum ſtatu perſeverare. Quod ſi in adultis hominibus repentini metus ex ſpecie terrifica ſuborti adeo corpus afficiunt, ut cordis palpitationes, temporum pulſationes, & concuſſiones inordinate univerſi corporis conſequantur, quidnam in infantibus evenire poſſe putandum eſt, qui ſunt veluti mollis cera, in qua facile quidvis impreſſeris? Dolendum ſane, impuberibus filiis una cum imperitis, imbellibusque mulierculis vitam eſſe ut plurimum tranſigendam, cum ipſæ non modo ad optima præbenda conſilia ineptæ eſſe ſoleant, ſed callidæ haud raro malorum evadant artifices. Quorumcumque inſuper cuſtodum aſpectus ad iram compoſitus ſit, pueris moleſtus & injucundus: Dum

namque eos impetere verberibus minitantur, ac ſimulatam quandoque iracundiam præ ſe ferunt, corpus inſolito pallore perfunditur, genæ rubeſcunt, ipſique meticuloſi hærent, & ſemianimes contremiſcunt; id quod concitatiorem in corpore circulationis motum evaſiſſe ſuadet. Hinc non abs re liberalitatem pro metu arripiendam, ipſaque pueros ſatius eſſe corrigendos perſpectum fit. Poſtremo cuncta, quæ noxia admodum extare creduntur, motumque cordis augere, arterioſa flacceſcere vaſa compellunt, ipſaque ad verum Aneuryſma diſponunt propter imminutam earumdem reſiſtentiam. Quod ſi hæc eadem reſiſtentia ex adverſo adſit, multumque agat, & in ipſa ſubſtantia ſanguinis locum habeat, idem ſemper conſequetur effectus: Fluida enim non moventur, ut ex Hydraulicis legibus comprobatur, in reſiſtenti medio, niſi vires, ſive prementia pondera medii reſiſtentiam exſuperent; ſin vero illorum augeatur velocitas, auctæ tunc vires ſunt in proportione majori reſiſtentiarum. Si vero hiſce omnibus ætas addatur ſuſcipiendorum pathematum haud incapax, quæ ſolicita nimis advenit, tunc nondum firmato corpori quam plurima afferuntur detrimenta, ceu tandem in ipſis hominibus conſiſtentem ætatem nactis, atque firmiori corpore gaudentibus internoſcitur.

§. XXXIV.

Animi perturbationes.

Animum ex contagione corporis laborare, nihilque angere frequentius homines experientia rerum magiſtra nos edocet, quam animi pathemata, quibuſcum perpetuum intercedit fœdus nuſquam propemodum coërcendum: Excandeſcit quippe homo, & in furorem adigitur, mœrore torquetur, corripitur zelotypia, lacrymas fundit, in ultionem exæſtuat, permulcetur gaudio, pudore ſuffunditur, amat, odit, triſtatur (*a*) & modo hæc, modo illa præ ſe fert pathematum plus minuſve ingraveſcentium phænomena in fœminis præſertim conſpicua, quæ cuncta, ſi modum exceſſerint, corporis perturbant œconomiam. Peramplum profecto in quibuslibet, qui immodicis hujuſce generis affectionibus laceſſuntur, e quorum cenſu ipſos excipiendos

(*a*) Talis nonnunquam eſt obſervata triſtitiæ vis, ut polypoſas concretiones produxerit, quemadmodum animadvertit Lowerus *De Cord. cap. 2, pag. 145. Londini 1669.* Vid. *Berger De Polyp. Wittembergæ 1689.*

non eſſe pueros utique comprobatur, unicuique obſervare fas eſt mutationum numerum, inter quas cordis, & arteriarum motus ſæpiſſime concitatior peculiares extorquet obſervationes. Ecquis igitur ex iteratis hujuſcemodi motibus præcordiorum Aneuryſmata in iis, qui debili donantur ſtructura corporis, interdum ſubſequi poſſe inficias ibit? Reſpirationis organa moleſtiam ſubeunt neutiquam contemnendam, tuncque cordis actio, tacitaque retegitur ejuſdem poteſtas. Ipſimet probe noverunt Metaphyſici, quantitatem impreſſi in corpore motus actioni pathematum reſpondere, ſimulque exploratum eſt, eadem in cerebro, ubi hoſpitatur mens, atque nervis omnibus excitari. Dum itaque vehementi quiſpiam percellitur pathemate, ſi talia forinſecus præbeat irrequieti animi argumenta, ut a quolibet eumdem aſpiciente prænoſci poſſit valido illum pathemate perturbari, non erit abſurdum arbitrari, ex affectione nimirum nervoſi ſyſtematis reliquas corporis partes noxam aliquam perſenſiſſe. Quemadmodum autem majores, atque multiplices nervorum rami ea pervadunt loca, quæ ſanguinem ex corde excipiunt, major illic impulſus fiet, & alterni cordis, & arteriarum motus vehementiores evadent, cum ipſi ſoleant eſſe ſuapte natura concitatiores: Contractionum namque cordis velocitas radici quadratæ virium, quæ in illo contrahendo exercentur, proportionatur, pariterque libero ſanguinis in venas ingreſſui reſpondet. Percipitur itaque, quomodo ex hujuſcemodi motibus oriri quandoque poſſit præcordiorum Aneuryſma: Quinimmo & cor ipſum ex frequenti & diuturna palpitatione ex aliquo ſive bono, ſive pravo ſuborta pathemate Aneuryſma ſubire poſſe, ex quo maximopere amplificetur, concludendum videtur, quandoquidem id eveniſſe D. Philippo Nerio comperimus, quem Aneuryſmati, quod nobis cardiacum nuncupari placuit, ſuccubuiſſe autumat Cæſalpinus (*a*), eo quod quam ſæpiſſime in palpitationem cordis incidiſſet ex vehementi, atque frequenti ecſtaſi manantem. Sicuti enim cor muſculus eſt, & ipſum convulſionibus laceſſitur, ejusque vis non modo quantitati ſpirituum animalium, ſed illorum quoque velocitati reſpondet, patet, hujuſce organi vim tum creſcere admodum debere cum valido quocumque incipiente pathemate illorum motus evadit vehementior.

(*a*) *Catopt. l. VI, cap. 20. Romæ 1602.*

§. XXXV.

Sanguinis concretiones.

Quod vero prætermittendum non videtur, illud eſt, quod nempe diverſæ ſanguinis concretiones in iis facilius fiunt, qui aliquo afficiuntur animi pathemate, non ſecus ac in reliquis ægrotantibus. Et ſane quæcumque ſupponi velit hujuſce phænomeni cauſa, ex metu vita functos legimus fuiſſe obſervatos (*a*), quorum interna cordis vaſa concreto redundantia ſanguine reperta ſunt, quin & polypos ipſos in melancholicis repertos novimus: neque haud infrequenti comprobatur inquiſitione, eos, qui modo lætitiæ, modo mœroris imperio premuntur, præcordiorum affectionibus ſuccubuiſſe; id quod & in ipſis uſuvenire pueris animadvertitur, cum & ipſi propriis, etſi remiſſius agentibus, haud vacent pathematum inſultibus ex ipſo præſertim Hypochondriaci affectus fonte ſæpius manantibus. Horum proinde ſunt, qui ablegatis quibuſque mentis relaxationibus inſueto ſuffuſi metu privatos inter parietes commorari conantur, quique modo lætitia, modo mœrore perculſi repentinos ſubeunt motus, falſisque ut plurimum ludentes imaginibus irrequietis languoribus fatigantur. Quoniam vero triſtantur frequenter pueri, pariterque pro data qualibet occaſione mœrorem lætus animus excipit, hinc ex hiſce ſubortis mutationibus una cum innato pathematum ſemine conſociatis quaſſationes præcordiorum proficiſcantur oportet: Quemadmodum enim agile corpus in pueris extat, ita commotione corporis vehementi animus perturbatur, quaſi lumen, quod ventis agitatum minus clare vicina colluſtrat. Si igitur innatis pathematum ſeminibus in puerorum corpore locatis ea, quæ nonnunquam adveniunt, ſubinde luſtrentur, hæc una ſimul copulata in ipſa juventute vim exercebunt validiſſimam, cui ſi diſpoſitio aliqua ſuperſtruatur, diſſimilia præcordiorum incommoda conſequentur, quæ tum temporis maxime emergere conſueviſſe compertum eſt.

(*a*) Vid. *Bartholin. Cent. IV*, *Obſerv. 76. Hafniæ 1657*, & *Alpin. De præſ. vit. & mort. ægrot. l. I*, *cap. 11. Lugdun. Batav. 1710.*

§. XXXVI.

Tusses convulsivæ.

Verumtamen alia prænoſcenda occurrunt, quæ pueritiæ ſtatum adoriuntur, tenellumque corpuſculum ad Aneuryſma præcordiorum ſuſcipiendum diſponunt, inter quæ non poſtremum obtinere videntur locum convulſivæ quædam neglectæ tuſſes, e quibus peramplus morborum numerus profluit præcordiorum fines raro admodum prætergrediens. Quis igitur ſanæ mentis convulſivas puerorum tuſſes omnino neglectas Aneuryſmata præcordiorum producere poſſe non arbitrabitur? Has etiam, niſi mea me fallit opinio, probe noſcendas eſſe, earumque examinandum effectum cenſeo: Sunt enim quandoque adeo vehementes, ut ex ipſis peremptos fuiſſe pueros accipiamus. Ex majori, eaque valida pulmonum actione arterioſi & venoſi ſanguinis motus augetur, & talem multiplicatam actionem a convulſiva tuſſi pendere conſueviſſe nullus ambigendi locus eſt, eo quod maxima in thorace concuſſio deprehendatur. Tuſſiat puer, atque ſenſim tuſſis exacerbetur, uſque dum illius cauſa perſiſtit, maximus illico rubor faciei oborietur, oculi e propria veluti ſede dimoveri videbuntur anxietas aderit, prægreſſaque tuſſi Cephalalgia non raro, anhelitus, cordis palpitatio, nec non reliqua ſupererunt convulſivæ tuſſis ſymptomata, quæ de contitatiori ſanguinis circulatione rudes quoque homines commonefaciunt. Nonne arteriarum involucra in pueris teneriora maximum ſubibunt ex impellente ſanguine ictum, & modo debiliori, modo fortiori ſuccumbent Aneuryſmati? Hujuſmodi tamen res evidens videtur eſſe, ita ut minime ratiocinationes eludat. At ne quis ſuccenſeat mihi, pueros utpote tuſſis non expertes debere omnes Aneuryſmatica affectione tentari, varias noſcendas occurrerė circumſtantias reponam: Vel enim arteriæ vitium non adeſt, vel protinus non manifeſtatur, cum nonnunquam ne extitiſſe quidem dubitet quiſpiam, quando revera efformatum eſt (§. LV). Ego equidem non inficior, non omnes eadem arteriarum firmitate pollere, cum modo firmiora, modo tenuiora humani corporis vaſa ab ipſo exortu pueri ſortiantur, quæ quidem firmitas atque tenuitas una cum aliis eventibus conſociata, ſi vim, quæ ex tuſſi emergit, retundere valeat, atque ſubigere, jam Aneu-

ryſma evitabitur; ſecus vero his ſecluſis continget. Sed opus non eſt, ut confeſtim appareat, & toto vitæ curriculo prænoſcatur, cum aliquid aliud neceſſarium ſit, ut incœpta hæc affectio patefiat, veluti demonſtrabitur. Hæc tamen aſſumptum non adſtruunt, cum ii ſecludantur caſus, in quibus fieri nequit, ut ea, quæ monuimus uſuveniant: Sunt namque pueri, qui ſive ex ea, quam nacti ſunt, corporis diſpoſitione, ſive parentum ſolicitudine tuſſibus non tentantur, vel ſi tentantur, hæ ſelectioribus remediis arceantur. Ætas poſtremo attendenda præſertim eſt, cum ea quo magis ab exortu diſtat, eo rem ſoleat inhibere.

§. XXXVII.

AUCTÆ CORDIS VIRES.

ADNOTATUM eſt a viris in Medicina præſtantiſſimis, circa exitum tertii ſeptenarii vires cordis non amplius creſcere, quod in eo temporis tractu, qui inter exortum & finem ejuſdem ſeptenarii intercedit, nequaquam contingit: Tunc enim major eſt vis cordis, ut ex celeriori puerorum pulſu dignoſcitur, qui febrem ſimulare videtur (§. XXIX), etſi vis cordis talem vincat reniſum, qui multum ponderis adæquat. Hic tamen obiter monendum, non adeo certum eſſe, quod de vi cordis, ejuſque reniſu vocitatur a Medicis, ut analytico theoremate demonſtratum ſit, quænam vera ſit vis, quæ in quolibet exerenda corpore neceſſario videatur ad hoc, ut animalis ſervetur œconomia, cum non omnia hominum corpora eadem fibrarum polleant firmitate. Quod vero mirum videtur, illud eſt, quod nempe Medico-Mathematici non modo in aſſignanda cordis vi minime inter ſe conveniant, quinimmo magnum inter illos obſervetur diſcrimen (*a*). Non tamen id ex calculorum defectu deducendum eſt, quandoquidem animadvertendum occurrit, integram horum nonnullos vim cordis inquirere, alios vero apparentem, quæ nil ſane aliud eſt, quam

(*a*) Hujus diſcriminis cauſa dependere poteſt a diverſitate irritabilitatis, quam eſſe ultro admittendum experimenta demonſtrant in animalibus inſtituta: Certum namque videtur cor a ſanguine ventriculorum ſtimulari, quemadmodum elapſo ſeculo ſuſpicatus eſt Bohnius *Œconom. corp. Animal. Progym. VI, pag. 105. Lipſiæ 1686.* & noviſſime obſervationibus comprobatum eſſe perſpectum eſt.

quam exigua totius integræ portio, veluti ex principiis, quibus innituntur demonſtrationes, eruitur. Quod autem in ſtatu valetudinario conſiderandum ſupereſt, id profecto eſt, quod nimirum talis adducta in corde laxitas aliquando ſuboriatur, ex qua Paralyſis, exindeque Syncope fiat, quæ tum pernicioſior evadit, cum ex obſtructione, ſeu eroſione vaſorum proficiſcitur, quodque non modo ex dolore circa præcordia, verum ex anhelitu, atque animi deliquio dignoſcitur. Itaque vivendi ratio perpendenda foret, cunctæque prænoſcendæ circumſtantiæ, quæ favere pueris obſervantur, ut accuratum motus cordis diſcrimen eliceretur: Sed noſtris hiſce temporibus, quibus parum, aut nihil in puerorum regimine invigilant cæteris paribus illi, quorum cuſtodiæ fuere commiſſi, plus conſiderandæ ſuperſunt pravæ corporis diſpoſitiones teneriori machinæ ſuperſtructæ, quam reliquæ humano corpori ſalutares. Patet ergo neceſſitas quædam arcendi convulſivas tuſſes a pueris, atque id omne ſemovendi, quod ad concitatiorem cordis, & arteriarum actionem reddendam aptum cenſetur, ne aſſidue urgendo arterioſa ſenſim vaſa labefactentur, & ad quamcumque recipiendam impreſſionem diſponantur. Denique ex his omnibus illud conſequitur, quod etſi unus, aut alter ex infantum erroribus ad Aneuryſmata producenda non ſufficiat, plurimorum tamen congeries id ipſum præſtare valet, quodque novum fortaſſe frequentiſſimæ ægritudinis exhibet argumentum, ex quo ad alia generaliora gradum facimus.

PARS SECUNDA.

§. XXXVIII.

Tempestatum varietas.

Iis autem curſim raptimque perſcrutatis, quæ teneram præcipue infantum ætatem ad vitia præcordiorum ſuſcipienda poſſunt diſponere, aliqua ſunt afferenda, quæ infantibus ipſis una cum adultis communia ſunt, atque in illis viam ſternunt ad ægritudines adductæ indolis producendas, in his vero, ſi morbi primordia latuerint, in apertam lucem collocandas, & nonnunquam ſponte ſua inferendas, quæ bene perſpecta cunctis æque prodeſſe poſſunt, atque neglecta æque detrimentum allatura credendum eſt. Immutatorum itaque temporum examini inſiſtendum occurrit, ut iis, qui ex aſſiduis mutationibus panduntur, morbis conſtitutis, præcordiorum affectiones, quæ ex ipſis deduci conſueverunt, ſi libuerit, innoteſcant. Atque ut firmius innitantur obſervationes, Etruſcum contemplari cœlum decrevimus. Hoc profecto, ubi vita ſoſpes degitur, relate ad alia Italiæ loca cæteroquin ſaluberrimum, quibuſdam tamen gravibus & & ipſum morbis, ut & regiones reliquæ, ſuccumbere homines cogit, prout vices nonnunquam advenientes expoſtulant. Si quis tamen endemius ſtatuendus eſt morbus, hic in locis paluſtribus, & humilibus deprehenditur, ceu inferius oſtendetur (§. XLV). Omnes profecto probe noverunt, cœli mutationes diverſis anni temporibus recurrentes ſæpe noxias evadere, raro tamen proficuas, ſi magnæ caloris & frigoris repente mutationes advenerint, quod & ipſe jamdudum agnovit Hippocrates (*a*). In Etruria vero non adeo variare ſolent, ut unoquolibet anno novus ſemper ex adveniente hujuſcemodi varietate exſpectandus ſit epidemicus morbus, qui dominetur, atque diſſimilis, & nova febris, veluti uſuvenire arbitratus eſt Sydenhamius

(*a*) *Αι μεταβολαι των ωρεων μαλιςα, τικτυσι νοσηματα, και εν τησιν ωρησιν αι μεγαλαι μεταβολαι η ψυξιος, η θαλψιος, και τ' αλλα κατα λογον ουτως. Ιπποκρ. αφορ. τμημ. τρ. ά.*

(*a*), qui novum ſemper graſſantem morbum exſpectandum eſſe aſſeruit, qui quaslibet regiones adoriretur, & quodcumque anni tempus invaderet. Illæ autem, quæ in Etruria noſtra pateſiunt affectiones, perraro aliam agnoſcere ſolent peculiarem mutationem præter exceſſum caloris & frigoris, ceu elapſis retro ſæculis fuit ab accuratis obſervatoribus adnotatum, quos inter prætermittendus haudquaquam videtur Marcellus Virgilius (*b*), qui dum vitam Florentiæ duceret, catharrales præcipue morbos familiariſſimos obſervavit ex ingenti frigore tunc temporis manantes. Verumtamen non omnis frigoris exceſſus eoſdem ſemper morbos producit: Elapſo quippe anno 1755 magnum frigus deprehenſum eſt, quo juxta thermometrum Fahrenheitianum Januario menſe ad duodecimum ferme gradum ſubter trigeſimum perveniſſe conſtat, quodque relate ad teterrimum frigus anni 1709 tredecim gradibus juxta idem thermometrum differt: Illo enim anno vigeſimum quintum ferme gradum attigiſſe patet, tuncque frigus juxta Ramazzinum (*c*) ad frigus præcedentium octo annorum Pſicrometro teſte proportionem Patavii habuit ſexquialteram, hoc eſt, ut ternarium ad binarium. Hic autem adnotandum, anno videlicet 1691 hiemem ventoſam, & ſiccam, frigidamque elapſi conſtitutionem extitiſſe, atque inter eos, qui graſſati ſunt, morbos a ſanguinis incœpta coagulatione oriundos, polypoſas circa cor deprehenſas concretiones fuiſſe (*d*). At non omnis frigoris exceſſus adeo periodicam aſſervare videtur naturam, ut eoſdem morbos producat: Anno enim 1755 non ita frequentes morbi catarrhales obſervati ſunt, veluti ævo Marcelli Virgilii nuper laudati contigerat, quinimmo chronicis ſecluſis ægritudinibus, parum, aut nihil quolibet anni tempore obſervatu dignum extitit, niſi eæ comminiſci velint, quæ præcordia affecerunt, affectiones unicuique conſpicuæ. Anno autem 1756 quo frigoris vis non extitit admodum ferox, Morbilli pravis ſtipati ſymptomatibus hiemali tempore obſervati ſunt, quibus ineunte

---

(*a*) *Nihil quicquam, opinor, animum univerſæ, qua patet, Medicinæ pomeria perluſtrantem tanta admiratione percellet, quam diſcolor illa, & ſui plane diſſimilis morborum Epidemicorum facies non tam qua varias ejuſdem anni tempeſtates, quam qua diſcrepantes diverſorum ab invicem annorum conſtitutiones referunt, ab iisque dependent.* Obſ. circ. morb. acut. cap. 2. Genevæ 1749.

(*b*) *Comm. in Dioſcor. l. III, cap. 6. Coloniæ 1529.*

(*c*) *Conſt. alg. an. 1709. Patavii 1709.*

(*d*) Vid. *Act. Erudit. Lipſ. an. 1692, pag. 220.*

vere aliquantulum evaneſcentibus Pleuritides, aliique thoracis affectus dominari cœperunt (*a*). Cæterum ex his eruitur, non modo ſiccitatem & humiditatem cum algida conſtitutione conjunctas, aliosque caſus hujuſcemodi varietatibus anſam præbere, verum longa annorum ſerie varios exinde recrudeſcere morbos, qui jamdudum delituerant, aliosque frequentiores fieri, qui vix Medicorum obſervationem videbantur exegiſſe, quos inter præcordiorum affectus ad Aneuryſmatum claſſem referendi ſunt jure meritoque computandi.

§. XXXIX.

Etrusci aeris mutationes.

At vero memoratis temporum varietatibus ſenſim recrudeſcentibus hujuſcemodi morborum deberi frequentiam conjicitur. Florentinum antiquitus aërem aſſeverabat Jacobus Nardius (*b*), veluti ex anecdotis patet, non adeo noxium, ſubtilemque extitiſſe, veluti dum ille viveret, factus eſt, cum temporis progreſſu montium cacumina nemoribus fuerint deſtituta, aditusque ventorum ſeptentrionalium procellis reſeratus. Neque illum ſomniaſſe cenſendum eſt, quandoquidem majores minoresque anni temporum immutationes videntur reſecatis exinde nemoribus reſpondere. Et ſane inſignes deprehenduntur in præſens mutationes, quas non tam frequenter Etruſcis adveniſſe comperimus antequam celſiſſimæ Piſtorienſium alpes altiſſimis, quibus luxuriabant arboribus non adeo frequenter expoliari conſueviſſent; id quod prudenter quidem publica lege cautum exinde fuit, ne incolarum valetudo periclitaretur, ut nempe non tam frequenter annoſæ quercus, ac proceriores arbores, quæ ibidem conſiſtunt, humanis uſibus inſumerentur (*c*). Si igitur atmoſphæricæ varietates apparent, nihilominus frequentiſſimæ, pariterque conſtat, ex his morbos recru-

---

(*a*) Obſervationes alias ſequentium annorum a me ipſo deſcriptas tranſmiſi D. Andr. Eliæ Buchnero Profeſſ. Hall. Acad. Cæſ. Phyſ. Med. Nat. Cur. Præſ. ut in Actis Norimbergenſibus imprimerentur.

(*b*) Anonim. *Ricordi varj. MS. in codic. 73, claſſ. XVI. MSS. Biblioth. Publ. Magliabeth. Florent.*

(*c*) Algidum aquilonem graviora humanis corporibus allaturum detrimenta, ſi nemora montium altiorum reſecata fuerint, poëtice pronunciavit Franciſcus Bracciolinus municeps meus, qui XVI labente ſeculo, & ineunte XVII floruit. Vid. *Schern. degli Dei Cant. VI, Venezia 1689.*

deſcere, videndum, utrum quid in præcordiorum affectibus, de quibus præcipue ſermo eſt, gignendis, & exacerbandis præſtare poſſint. Quæ pateſiunt hujus generis affectiones numquid frequentiores, quam elapſis temporibus dici poſſint, plane ignoro: Nullum tamen me legiſſe ingenue fateor Etruſcum Auctorem, qui præcipue de Aneuryſmate circa præcordia genito, & in noſtris hiſce regionibus adeo frequenti & pernicioſo, ut in præſentiarum videtur, ſermonem inſtituerit, atque tractationem numeris omnibus abſolutam prælo commiſerit, cum altum ſit de hac re ſilentium. Fatendum eſt utique cadaverum ſectiones non adeo frequenter elapſis retro ſæculis in uſu fuiſſe, veluti adnotatum eſt (§. III): Sed res tanti momenti ſi ſæpiſſime contigiſſet, ſecluſis etiam cadaverum ſectionibus videbatur ex congerie ſymptomatum eruenda.

§. XL.

Locorum constitutio.

Si quæ tamen attendenda forent, ut optimæ & accuratæ morborum ephemerides complanarentur, id unum eſſet expetendum, ut ſedula & luculenta morborum, qui nobiliores adoriuntur partes a veteribus Etruſcis Scriptoribus adumbrata ſaltem enumeratio peracta eſſet, & ad ſeros tranſmiſſa nepotes: Præcordiorum namque morbos graphice propoſitos fore conſideremus. Quum autem quidquid nobiliores illis temporibus aggrederetur partes, huc illucque poſitum videatur, hinc ea, quæ præcordiorum reſpiciunt ægritudines, haud diligenti expoſita tractatione conſiſtunt, adeo ut quidquid de Aneuryſmate cenſendum eſſe ſentirent, obſervatores plane ignoretur. At ne lucem in tenebris quærere videamur, atmoſphæricæ rurſus conſtitutionis examini inſiſtendo, longe nimis Aneuryſmatum, quæ cordi evadunt infenſiſſima, progreſſus deducere quemvis non poſſe aſſerimus, ſi annuam hodiernamque cœli conſtitutionem conſideraverit, quæ aliis fortaſſe regionibus pernicioſior animadvertitur: Autumnali etenim ingruente tempeſtate multum elaſticitatis ſuæ non ſatis diu humilibus in locis deperdit aër, qui humilis pariter fit (*a*), eamque

(*a*) Vid. *Jo. Keil. Introd. ad ver. Phyſic. & Aſtronom. lect. 20, pag. 386. Lugdun. Batav, 1739.*

non valde celeriter recuperat, niſi ſicca ſit hiems, ceu anno 1755 patuit obſervanti. Ac profecto humiditas eo tempore maxima longos interdiu noctuque tractus occupat, ſitque capiti permoleſta, atque homines valetudinis cupidos adſcititiis calvariam munire comis cogit, & nuſquam propemodum in iis præcipue locis, qui a paludibus alluuntur intercalares dies habere ſolet. Nebulæ plus minusve compactæ huc illucque vagantur, ex quibus perennis, ac veluti filamentoſus humor extillat non tegmina ſolum ambulantium per vias humectans, ſed internos domorum parietes, & ſtragula inſolito humore madida reddens, adeo ut ipſa hominum corpora inflata quandoque appareant, quod non aliunde deducendum videtur, niſi quia externæ partes ſic quaſi in perpetuo detinentur balneo, unde labefactatæ cedunt liquidis diſtendentibus, ceu adnotavit Van-Swieten (*a*). Talis hæc maritimis præſertim in locis conſtitutio ad plures etiam hebdomadas extenderetur, niſi flabra ventorum, nec non frigoris exacerbati dominium ſuperveniret. Capitis gravedines, anxietas in præcordiis, & hypochondriacæ affectiones tunc graſſari ſolent, quæ niſi aſſidua corporis exercitatione eliminentur, evadunt ſenſim contumaciores. Quamobrem nullimode improbandum videtur illorum conſilium, qui ruſticantur, & montano perfruuntur aëre, uſque dum frigus ſiccum ſupervenerit. Qui vero Civitatis Pagorumque flagrant cupidine, easque præcipue incolere compelluntur regiones, quæ marinis conterminæ litoribus extant, ſi cum in eas venerint ex igne ſuppetias mutuentur, & artificialibus hypocauſtis deciduam diſcutiant humiditatem, non leve nanciſcentur emolumentum. Quum autem allata humiditas extrinſecus occurrens caput lædat, hinc montanus aër haud inſalubris cenſendus eſt: Montium namque cacumina purioris aëris nota gaudent, ceu Barometrorum uſu percipitur, uti mirifice patefecit Muſſchembrœckius (*b*). Major ulterius ſalubritas ex puriori emergit aëre, magisque proficuum vel æſtuante Sirio in montibus experiuntur, qui ibidem degere aſſueſcunt, veluti longa comprobatum fuit obſervatione.

(*a*) *Comment. ad Aphor. Boerh. Text. 26. Lugdun. Batav. 1742.*

(*b*) *Eſſai de Phyſique, chap. 36. A Leyden 1739.*

§. XLI.

Observationes nonnullæ.

Quicumque itaque adductam nequeunt evitare conſtitutionem, neque opportunas adhibere præcautiones, non modo debiles fient, ſed præter cætera, quæ ſolent advenire ſymptomata, Anorexia laborabunt cum organa triturationi ciborum dicata nonniſi remiſſius proprio munere perfungantur; id quod fibrarum indigitat atoniam ex adductis ſymptomatibus adumbratam. Obſervare mihi non raro datum eſt, eos, qui morbis ex atonia conflictantur, humida ſuperveniente conſtitutione in deterius ruere, quod conjiciendi locum præbet vel eos, qui ſive cordis magnitudine præternaturali, ſive præcordiorum laborant Aneuryſmate ex eadem atonia deducto, non levia incommoda laturos, ea ſane ratione, qua cæteros debili fibrarum nexu coaleſcentes ad morboſis affectibus ſuccumbendum, in quos proni ſunt, diſponi cernimus, veluti accidit iis omnibus, qui Otalgia laborantes aliquantulum aëris humiditate diſcuſſa ſonoras recipiunt impreſſiones, eademque ſuperveniente auditus iterum ſenſu deſtituuntur. Conſtituta hujuſce naturæ atonia plurima emergunt incommoda, inter quæ non poſtremum obtinere videntur locum anomalæ quædam febriculæ contumaces, quæ auctam cordis actionem fuiſſe demonſtrant. Id mehercule reticendum non eſt, quod nempe talis adaucta cordis actio non modo pendere poteſt ex ſuperveniente febricula, ſed ex ipſa tunicarum, quibus ſtipantur arteriæ, laxitate, atque imminuta earumdem reſiſtentia: Internas quippe arteriarum tunicas comprimens ſanguis, ſi majori adigatur impetu, ac imminutam invenerit reſiſtentiam, ampliorem ſibi viam ſternet, & internus proinde arteriarum ambitus dilatabitur; ſiquidem non plethora tantum Aneuryſma ipſum producere poteſt, ſed & ipſa vaſorum atonia cum plethora conjuncta una ſimul conſpirant ad hujuſmodi affectiones inferendas. Ac profecto ſi ſanguinis motus in perenni ex corde egreſſu augeatur, violentior evadet impulſus, quo major erit relativa velocitas, ſive diſcrimen velocitatum hujuſce ſanguinis, illiuſque, qui per arterias moveri perrexerat, veluti demonſtrare conati ſunt viri ſapientiſſimi (*a*).

(*a*) Vid. *Sauvages Diſſert. ſur l'Inflammation.* §. 173. *A Geneve* 1744.

§. XLII.

Effectus peculiares mutationis atmosphæricæ.

Quod ſi aucta ſanguinis quantitas conſiderari velit, quæ nonnunquam cum talibus affectibus copulatur, jam vaſa ex plethora ipſa dilatabuntur, & non tam facile in venas nimis diſtentas ſanguis ipſe propelli poterit; unde major circa arteriarum fines exorietur reſiſtentia. Hac poſita, apparet aortæ diametrum, quæ definita eſt (§. XXVII), aliquantulum protendi; ex quo fit, ut cor eamdem ſanguinis quantitatem in canalem ampliorem immittat. Quamobrem minor evadet celeritas, quam antea fuerit, dum per canalem conicum convergentem, proindeque anguſtiorem fluebat. Si igitur major impulſus in vaſis cordi proximioribus fiat, hinc major in ipſis deprehendetur extenſio, & inchoabit fortaſſis Aneuryſma, inchoatumque augebitur, quæ tamen omnia tum forſitan veluti prægreſſa conſpiciuntur, cum adducta immutati temporis conſtitutio varietatem quamdam oſtendit: Vel enim immane frigus advenit, vel totalis repentina ſiccitas ſuperſtruitur, ex qua terra ipſa dehiſcere quodammodo videtur, dum tempeſtas primæve conſtitutioni æmula dominatur, ex qua variantur ægritudinum ſymptomata humanis haud innoxia corporibus. Hæc quidem omnia tamquam relativa ſtatuenda volumus, cum non omnibus eadem atmoſphæræ officiant inquinamenta, neque omnibus eadem ſit ſolidorum firmitas, atque textura adductis immutationibus obſecundans: Adnotatum namque fuit a Medicis præſtantiſſimis, non omnes perſimili donatos fuiſſe corpore, adeo ut etſi plures facile debilitentur, nonnulli tamen graviſſimas quaſque noxas evadant. Hujus notæ illorum plerique videntur eſſe, qui borealibus in regionibus commorantur, ubi licet quam plurimi ex flamine venti cujuſdam intereant, cujus tanta denſandi vis eſt, ut vel Hiſpanicum vinum conglaciet, ipſi tamen vitam ſoſpitem degunt, pariterque mortuos in Arabia legimus animales ex ingenti ac pernicioſo frigore, qui ex borea ſuper Atlantem Africæ montem ſpirante defertur, ubi tamen quam plurimi nullimode læduntur. Frigus inſuper Regiæ Urbis Pekini rapidiora quæque flumina adeo una tantum die in glaciem conſtringit, ut plauſtra ferre valeant mercatores gravioribus onuſta mercibus; at minus infeſtum evadit hominibus, quam frigus Europæum. Ad ſinum denique

denique Hutſonii vehemens adeo eſt frigoriferæ auræ poteſtas, ut frigida quælibet vaporum moles aëri interſperſa per ejuſdem terræ mixtionem congeletur, atque in exiliſſima diſcretaque glaciei ſpicula reſolvatur. Tales profectò algidæ conſtitutiones fortiori fibra donatis parum, aut nihil officiunt, aliisque debili corporis textura præditis adeo moleſtæ fiunt, ut ſi illæ eædem repente contigerint, permagnum ipſis morborum agmen adveniat, ex quo præcordia haud raro infeſtentur. Et ſane quamvis tam multos athletico pollere corpore comperiamus, tamen alios quoſdam adeo debiles extitiſſe videmus, ut ſi poſt corporis excalefactionem frigida uſi compotatione, ſive balneo fuerint, protinus occubuerint; id quod relativas diſpoſitiones affectusque relativos oſtendit. Ex ingenti inſuper frigore affici præcordia poſſe animadvertit Ramazzinus (*a*), dum algidam anni 1709 conſtitutionem erudita exponeret oratione. Quidquid autem de Aneuryſmaticis præcordiorum affectibus ex immutatione temporum ſæpe ſæpius recurrente deducendis effari conſtituimus, varios ex frigore ad humiditatem tranſitus reſpicit, ex quo debili fibra coaleſcentes lædi poſſe contendimus: Corpus enim debile redditum ex frigore firmatur, majoremque apparet illi vim acceſſuram, dum ea, quæ illius laxitati favebant, protinus evanuerint, eaque firmitas humida ſuperveniente conſtitutione deperditur. Imminuta igitur, exindeque ſuperaddita aëris elaſticitas ex adducta temporum immutatione dependens fit debilibus infenſiſſima.

§. XLIII.

ARTERIARUM VIS IMMUTATA.

NEMO igitur inficiabitur, & ipſa arterioſa vaſa firmiora fieri, diuque firmitatem ſuam fovere quoaduſque temporum viciſſitudines perſeverant. Si vero in internis arteriarum involucris quælibet vel minima dilatatio, vel ad eam proclivitas fuerit, ea ex tonica ſuperveniente facultate ingraveſcet, cum antehac gravi & ponderoſo exiſtente aëre propellenti cordi reſiſtentia fieret, humorumque præ-

(*a*) *Quotus enim quiſque eſt* (ait ille) *repertus tam denſo corio, ac tam forti a natura temperie donatus, qui non in cute ſolum, ſed intus quoque, & intra ipſa præcordia, ubi veſtalis ignis nativos lares & focum habet, ab algidiſſimi aëris inſpiratu noxam aliquam non perſenſerit?* Conſt. alg. an. 1709. Patavii 1709.

peditus pene circuitus agnoſceretur. Illud tamen vel maxime obſervatur, quod nimirum adventante verno tempore Aneuryſmata præcordiorum panduntur, haud aliter ac in reliquis anni tempeſtatibus: Quæ namque perſpiranda materies eſt, remoratur, obortisque obtemperat mutationibus, ac ſæpe ſæpius ad corporis poros pervadendos inepta per vaſcula majoris diametri refluere nititur, & dum illic detinetur extraneis coagmentata corpuſculis ibidem collocatis internos quoſdam progignit affectus ex adaucta refluente humorum quantitate innaſcentes, neque facillime exſuperabiles. Intimæ igitur extimæque vaſorum partes depraventur oportet, uſque dum Aneuryſmaticam naturam aſſequantur.

§. XLIV.

Veterum et recentiorum usus.

Frequentiora tamen putanda non eſſe videbuntur noſtro ævo præcordiorum Aneuryſmata, quandoquidem adductæ mutationes, quæ his excitandis conducunt, plus minusve præteritis temporibus uſuvenerint, quin de frequentia iſtiuſmodi morbi homines conquererentur. Verumtamen hæc dum mecum reputo, haud perperam illatæ ſententiæ refragari eos cenſerem, qui mihi talia proferrent. At vero ſupra cætera aliquid maximopere attendendum eſt, quod rem extra omnem dubitationis aleam collocet. Itaque ex aëris intemperie non adeo frequenter lædi potuiſſe majores noſtros hæſitandum minime videtur, quoties illorum pleroſque ſerotinum & nocturnum aërem plus minusve pro varietate locorum ſub dio degentes nonniſi cautione quadam exſpiraſſe novimus, ac ſi inſtantem ex aëre noxam exſpectandam fore ducerent. Nil ergo mirandum, ſi ejuſdem immutationem non incaſſum captarent, neque altiores itinerando ſitus quandoque inviſere gravarentur. Verum quantumvis graves atmoſphæricæ mutationes plus quoque quam hodiernæ contigerint, prava tamen earumdem qualitas Gymnaſticis frequentius adhibitis exercitationibus diſcutiebatur: Ipſæ enim cum corporis robur maxime reſpicerent, quam ſæpiſſime uſurpabantur, ita ut in illis quoddam veluti æquilibrium firmitas corporis ſemper propemodum aſſervaret: Hæ autem cum pene obſoleviſſent, ignoratur profecto, numquid emolumenta potius quam detrimenta humanis corporibus

acceſſerint : Deſidem namque tranſigere vitam, ſomnoque deditam plerique cupiunt, & parum, aut nihil tuendæ valetudinis deſiderio accenduntur, quin potius errata omnia ex fonte ſex non naturalium rerum manantia miſerrime conſectantur. Attamen qui ſomno nimium indulgent, præcordiorum languoribus obviam eunt, cum cordis & arteriarum motum in ſomno augeri compertum ſit (*a*). Poſitis igitur iiſdem ſemper accidentibus, iiſdemque circumſtantiis, quæ in atmoſphærica conſtitutione ingruente præſertim bruma contigerant, fieri minime poteſt, quin in præſens graviores frequentioresque vel in præcordiis pandantur morbi, eo quod perampla errorum ſeges allatis mutationibus ſuperſtruatur.

§. XLV.

Regionum situs observandi.

Quum vero ea, quæ uſque adhuc adducta ſunt, reſpectivas atmoſphæricas mutationes reſpiciant, eamdem neutiquam aſſervare periodum agnoſcuntur : Ventorum quippe flantium major minorque frequentia breviorem diuturnioremque præ ſe fert, idque nonniſi ex majori minorive acquiſita aëris elaſticitate concluditur, ſiquidem arteriarum expanſiones aëris elaſticitati quodammodo reſpondent, adeo ut ſi aëris increverit elaterium diſtenſiones, atque rupturæ in ipſis arteriis ſuperveniant, veluti adnotavit Michelottus (*b*). Locorum inſuper ſitus accurate prænoſcendi ſunt, cum ex his haud leve deducatur diſcrimen. Fauſtiſſimus ſane Etruriæ noſtræ ſitus dicendus eſt, cum modo altiſſima montium juga, modo vaſtas & amœniſſimas planities quivis intueatur. Quare facili negotio datum eſt montanum aërerem inſpirare, ſi forte fortuna, qui humilia loca ambit, morbos graviſſimos minitetur. Ea autem, quæ circa humidam autumnali tempore obſervatam conſtitutionem (§. XL) deprehenduntur, humiliora, & intermedia loca conſectari videntur, ubi haſce, etſi tranſi-

(*a*) Vid. *Bœrhaav. Prælect. in prop. Inſtit. Text. 597. Lugdun. Batav. 1740.*

(*b*) Aſſerit ille, *Sanguiferorum canalium rimas rupturasque ab inſigniter increſcente aëris vi elaſtica fieri quoque poſſe ; ſanguinea ſcilicet maſſa certis anni temporibus conſtitutionibusve, ſummo gelu, vel aliam quamcumque ob cauſam, prona ad concreſcendum exiſtente, facile intelligemus, ſi quæ de aëris ex conglaciatis aqueis particulis erumpentis vi, vel bellica tormenta frangere valente, quemadmodum humores a cruore in animalibus ſecernantur ſcribentes adnotavimus, huc traducamus.* Vid. *Inſtit. Bononienſ. Comment. Tom. I, pag. 439.*

torias & temporarias advenire mutationes adnotatum eſt, e quarum noxa facile evadet quicumque ſpatioſa & montana loca inviſere non gravabitur, vel ſubciſivis ſaltem horis aliquam corporis amplectetur exercitationem. Idcirco igitur ſaluberrimum potiori jure iſtud prædicatur cœlum, eo quod parvo ſecluſo tempore nuſquam propemodum ægritudines, quæ ex ipſo proficiſcuntur, ſuſtineantur. Verumtamen ſi quæ ſunt haud innocua loca, hæc circa marinum litus ſpectanda occurrunt, ubi aquarum non raro pravitas adjicitur, ex qua endemius profluit morbus in iis conſpicuus, qui ſalubrem aquam venalem habere nequeunt, obſtructio videlicet in hepate & liene, ex qua non modo multiplex Icterus & Hydrops, ſed ipſum cardiacum Aneuryſma conſequitur, ceu ex inferius adducendis patebit (§. XLVII). Interim e diverticulo redeuntes in viam id meminiſſe ſufficiet, quod jam innuimus, perſæpe nimirum ex ingenti frigore ad moleſtam tranſitum fieri humiditatem, poſteaquam novum frigus & calor etiam ſupervenerit (§. XL), ita ut dum humana corpora intolerabili frigore torpent, ex immodica lædantur humiditate, ſive protinus quibuſdam ardoribus torreantur. Inſuper adnotatum eſt, hominum errata homines alios incautos fallere, eosque demum cardiacis ægritudinibus ſubjicere, eo quod tum aëris, tum arteriarum elaſticitas ſanguinis actioni non bene reſpondeat (§. XLVII). Quum itaque ex allatis erroribus tales ingraveſcant mutationes, altera, niſi mea me fallit opinio, obtinebitur cauſa nullimode criminanda, ex qua frequentiora deducantur Aneuryſmata. Interim vero ad alia properandum.

§. XLVI.

Rusticorum regimen.

Peculiares nonnunquam obſervare fas eſt morborum curationes apud imperitum præcipue vulgus familiariſſimas, quæ ſolertiſſimorum quorumcumque Medicorum ratiocinationes eludunt, atque ex adverſo præcipites morbi quidam deprehenduntur, qui ne minimum quidem infelicis eventus antea indicium præ ſe ferebant. In priori itaque caſu natura morborum medicatrix ultro accerſenda foret, etſi immani inſtante morbo vix evadendi locus ſupereſſet: In altero vero ignavia fortuita conſulenda, quæ inſanum vulgus

hallucinatur. Ruſticos quæſo, & inurbanos homines ſi ſpectemus, propriæ necis artifices illico prædicabimus: Dum enim laborantes eſuriunt, veſcuntur peſſime, atque eſculenta prætereundo maxime ad rem noſtram facere videtur aquarum & aëris; qui abſorbetur, ingurgitatio: Ex aqua namque terreis referta particulis morbi quam plurimi emanant (*a*). Pateſcit jam paluſtrium locorum incolas inſalubribus ut plurimum aquis ſitim explere, quin ne hilum quidem de prava ipſarum indole cogitent. In morbum proinde incidere ſolent, quem Græci πολυσαρκιαν dicunt, ſive aſſiduas perferunt obſtructiones, ex quibus ægritudines oriuntur innumeræ, inter quas, præter vitia præcordiorum, reticendus Hydrops non eſt, qui ex Ictero ſolet proficiſci, ex obſtructionibus, quæ prius aderant, progenito, veluti in iis, qui aëre, & ſalubri aqua deſtituuntur, prænoſcitur frequentiſſime. Craſſeſcunt illi, laxa pollent fibra, & tonica contractione privantur. Peramplum ſane in Etruria noſtra munificentiæ præbuere argumentum, qui ad eam partem, quæ maritima finitimaque reſpicit loca, ſalubriorem reddendum ſtagnantibus, cœnoque refertis aquis illa arva alluentibus, atque aërem pravis halitibus inquinantibus declivem largiri curſum meditati ſunt, & ſaluberrimam exinde aquam magnificis e longo tractu ductibus derivare, & in Urbes ipſas deducere. Cæterum qui optimæ aquæ ſubſidio orbantur, pravumque inſpirare aërem coguntur, Aneuryſmaticis haud infrequenter tentantur præcordiorum affectibus, veluti in noſtris hiſce Noſocomiis fit manifeſtum, ubi maxima ægrorum e locis paluſtribus redeuntium copia tum obſervatur, cum nimirum adveniente æſtate in puriorem aërem illuc, unde diſceſſerant, revertuntur. Ego equidem arbitror, cardiaca vaſa ex aëre parum elaſtico, & pravis quandoque halitibus inquinato enervata, nec non ſanguinem pravis qualitatibus imbutum haud leves putari poſſe cauſas incipientis ſaltem hujuſmodi affectus, qui ex aſſidua adductis in locis mora major gradatim fiat, uſque dum aliquo interveniente caſu pateſiat, & ope tranſitus ex parum elaſtico ad elaſticum aërem ingraveſcat. Auſtrinæ tamen reticendæ conſtitutiones non ſunt, quibus ſupervenientibus non aliquæ dumtaxat corporis partes hebetantur, uti notum Hippocrati (*b*) fuiſſe colli-

(*a*) Vid. *A mechanical account of poiſons in ſeveral eſſais by Richard Mead*, *Tent. 6*, *London 1745*.

(*b*) Vid. Αφος. τμημ. τς. αφος. ε, και ιζ.

gitur, ſed cordi, pulmonibusque gravia ſuccedunt ſymptomata, quæ obſervationem promerentur (*a*).

§. XLVII.

Peculiares aliquæ Aneursysmatum causæ.

Insuper deprehenſum eſt, omentum in iis, qui facile pinguefiunt, mole augeri admodum poſſe, dum in obeſis præſertim opima oppletur pinguedine (*b*). Quum autem nullum extet in omento vas excretorium, omnis illa pinguedo ex validis mora laboribus abit per epiploicas venas in venam portam, atque toto inundato hepate peſſimæ obſtructiones emergunt. Ex his vero uſuvenire Aneuryſma haud videtur incongruum, quandoquidem ex cujuſcumque viſceris obſtructione cordis vis augetur. Si ergo dimidium ramorum aortæ obſtrueretur, quadrupla cordis vis neceſſaria foret, ut ſanguis in proprios canales propelli poſſet (*c*). Certum inſuper eſt, atque repetitis comprobatum obſervationibus, eos allatis morbis ſuccumbere, qui vel fibram minime nacti ſunt robuſtam, ſive laxam quocumque caſu reddiderint, pariterque conſtat, juniores, & robuſtiores præcordiorum Aneuryſmate magis tentari, ceu jam adnotaverat Albertinus (*d*). Hæc porro ut una ſimul conciliari valeant, autumari poſſe videtur, vitæ nempe genus eſſe maximopere conſiderandum, utque ab iis, qui paluſtria incolunt loca, aliquid luminis mutuemur, adnotandum videtur, id eos in votis habere, ut ſano robuſtoque polleant corpore, aſſidua edocti obſervatione, iis videlicet, qui in morbos proclives ſunt, neque ſubſtinere labores queunt, talia evitanda loca eſſe, iisque adeunda, qui parentes ibidem non valetudinarios habuere, ſed bene valentes. Attamen & horum plerique paulatim incipiunt debilitari omnemque in ſe refundendam culpam agnoſcunt, cum laxitatem experiantur aſſiduam, qua priuſquam illuc adirent, minime tentabantur. Si ergo morbis corripiuntur, non

(*a*) *Quam plurimis aliis, qui organicas varias læſiones circa cor, aut pulmones a diuturno tempore geſtabant, gravia pectoris ſymptomata cum difficultate reſpirandi in hac aëris auſtrina conſtitutione eveniſſe obſervavimus.* Vid. *Valcarenghi de aortæ Aneuryſm. Obſerv. Obſ. I. Cremonæ 1742.*

(*b*) Vid. *Van-Swieten. Comm. ad Aphor. Bœrhav. Text. 916. Lugdun. Batav. 1753.*

(*c*) Vid. *Sauvages An. a la Statique des animaux d'Hales* §. *277. Genevæ 1744.*

(*d*) Vid. *Inſtit. Bononienſ. Comm. Tom. I, pag. 382.*

ideo corripiuntur propterea quod juniores, & robuſtiores ſubito appareant, proindeque corporis laxitatem ſubierint, ſed quia cum domum remigrarint, corpus jam debile aſſidua quaſſare defatigatione non dedignantur. Tamen ſecluſa etiam omni aëris parum, aut nihil elaſtici inſpiratione illud verum agnoſcitur, quod juvenes, & robuſtiores præcordiorum Aneuryſmate magis tententur, ſi aliæ accenſeantur cauſæ validiores, ex quibus arteriarum involucra adeo valide diſtendantur, ut facillime dilatari queant, & parere ipſum Aneuryſma: Si namque aëris elaſticitati plus minusve agenti improbi labores corporis adjiciantur, eaque univerſa, quæ validas reddere diſtenſiones poſſunt, facili quidem negotio, licet athletico gaudeant corpore, Aneuryſma pateſiet.

§. XLVIII.

Aeris elasticitas.

Id vero pravam aëris naturam eſſe probe noſcendam demonſtrat, cum haud exiguam humano in corpore vim nanciſcatur, veluti tum a veteribus, tum recentioribus cognitum eſt (*a*), & non leviter conferat ad morbos allatæ indolis producendos, qui ideo frequentes ſunt, quia duris urgens in rebus egeſtas ruſticos homines illuc, ubi aëris noxa vitari nequit, adire compellit. Veteres ipſi locorum conſtitutiones ſedulo examini ſubjicere minime gravati ſunt, cum probe noviſſent, a ſicco ſolo ſalubrem, a paluſtri inclementem, & quandoque peſtilentem aërem proficiſci, veluti elapſis retro temporibus apud Ægyptios, Græcos, atque Germanos deprehenſum fuiſſe teſtatur Hoffmannus (*b*), qui Scriptorum teſtimonia accurate colligere voluit, ex quibus rei veritas inclareſceret. Contra vero ſi celſiſſime peragrari velint alpes, ubi aër perflatus, multumque elaſticus appa-

(*a*) Vid. Ιπποκρ. Περι *αερων*, *υδατων*, *τοπων*. Hippocraticæ doctrinæ inter recentiores adſtipulatur ſupra cæteros Arbuthnotius in libro, cui titulus: *Eſſay concerning the effects of air on human. body. London. 1733.* Hujus verſioni latinæ adnotationes addidit *P. Fort. de Felici. Neapoli 1753.* Agnita itaque pernicioſa aëris conſtitutione mutationes ejuſdem illico fiant oportet: Nam *peſſimum ægro eſt cœlum, quod ægrum fecit*, uti probe innuit Celſus *De Medicin. l. II, cap. I, pag. 43. Patavii 1750.* Sed aëris innovatio in navibus quoque, cubiculis, noſocomiis, carceribus, aliiſque locis obtineri poteſt non ſolum auxilio machinæ, quam Haleſius & Deſagulierius excogitarunt, verum ope machinæ ſimplicioris appoſito igne, veluti noviſſime deprehendit Suttonius *An Hiſtori cal account of a new method for extracting the foul air out of Ships. London 1749.*

(*b*) *Diſſ. Phyſ. Med. Diſſ. V. Genev. 1748.*

ret, atque optimarum ſcaturigines aquarum reperiuntur, raro admodum obſtructiones, & univerſum morborum agmen ex iis pendens, aliique innumeri affectus alibi conſpiciendi deprehendentur. Neque, mirum ſi rarius in cadaverica eorum, qui montium juga incoluerunt, ſectione præcordiorum Aneuryſmata reperiantur : Aëris namque elaſticitas, corporis labores, & vitæ regimen hujuſmodi ſunt, ut nihil admodum reprehendendum eſſe appareat, niſi fortuitus aliquis error extiterit, ſive ex ea, quam profitentur arte incommodum aliquod ſubeant : Fodinas enim montium viſcera tenent metallorum, quorum glebæ nonniſi ingenti effodiuntur labore, qui cum inſpiratione aëris modo nitroſis, modo ſulphureis, modo aluminoſis halitibus, qui undique circumvolitant, redundantis copulatus animalem perturbare valet œconomiam, & non raro mortem ipſam inferre : Vapores enim teterrimi ore hauſti exceptique pulmonibus ſanguini manus injiciunt pertranſeunti, ejusque cogunt molem, coërcent, atque conſtringunt. Quare non immerito naturæ promptuarium vocatur aër, eo quod multiplices, quæ ex ipſo derivantur, ægritudines ex mixtorum compoſitione multigena pendeant. Neque prætermittenda vis eſt, qua aëreæ particulæ ſive ſe mutuo non tangentes, ſive quandoque ſe mutuo repellentes fugere ſemetipſas conantur, quæ in ea creſcit ratione, in qua diſtantia inter centra particularum earumdem minuitur (*a*). Aër pravis effluviis inquinatus, acidis, quibus ſcatet particulis vaporibusque ad fermentationem concipiendam aptis (*b*) pulmones adigit, qui niſi firmam, integramque nacti fuerint habitudinem, afficiuntur facillime, & cauſaria præſertim corpora ad internecionem uſque deducunt (*c*). Adnotandum tamen, inter-

---

(*a*) Vid. *s'Graveſand. Phyſic. elem. Mathemat. Tom. I, l. 2, cap. 13, pag. 158. Lugdun. Batav. 1720.*

(*b*) Vid. *Optiks : or a Treatiſe of the Reflections, Refractions, Inflections, and colours of Light : The ſecond edition with Additions. By Sir Iſaac Newton, Book III. London 1718.*

(*c*) Aëris velocitatem maximam eſſe demonſtrat machina Deſagulierii, quæ in Actis Anglicanis deſcripta eſt *Tranſ. Philoſoph. for the year 1727, num. 437.* Concipiatur aër in varias atque concentricas diviſus peripherias, adeo ut vires centrifugæ ſint ut radii, in progreſſione nimirum Arithmetica. Sit itaque R radius majoris circuli = 3. 5. ped.; r radius circuli minoris = 0. 75.; m. radius circuli medii = 2. 125. $= r + \frac{R - r}{2} = \frac{R + r}{2}$; v ſpatium a medio circulo percurſum ſpat. min. 1; = 26. 1; S ſpatium percurſum ob gravitatem = 16. 1; s ſpatium a minima aëris particula ob vim centrifugam percurſum dum e centro circuli medii ad peripheriam progreditur 2 m : v. : : v : s, ſeu ob regulam

interdum ruſticos homines ſoſpites magis degere, quam urbanos: Ipſi etenim, niſi in aliorum arvis ſubſtinere labores conentur, paterna propriis bobus exercent rura, & parum, aut nihil aliquo diuturno pathemate corripiuntur. Ex quo fit, ut quandoque plebeiæ genti invidere debeamus.

§. XLIX.

PRAVUM VITÆ REGIMEN.

Ex his tamen omnibus præconceptis nonnulla eruenda ſunt, quæ Aneuryſmatum in præcordiis genitorum frequentiam videntur indigitare. Primum itaque videmus, eos, qui tota hieme paluſtribus in locis commorati ſunt, quorum plerique miſeriis tabeſcunt, ſerum admodum in proprias regiones reverti, & repentinis modo humidioris, modo gravioris aëris mutationibus obrui. Nullo deinde haud valetudinariæ tranſigendæ vitæ ardore accenduntur, nullisque utuntur remediis, ut morbos caveant, quibus alias ſuccubuere. Si denique aliquo vel levi morbo tentatos ſe noverint, id unum in deliciis habent, ut nempe ab inſtituto vitæ regimine non deflectant nihil admodum de valetudine ſervanda ſolliciti. Nil igitur mirum, ſi gravi-

---

Hugenianam $\frac{v\ v}{2\ m} = s$; G & c vim indicant gravitatis, & vim centrifugam in circulo medio ſpatia eodem tempore percurſa propter actionem duarum virium ſunt ut hæ vires S : s : : G : c, & $\frac{s\ G}{S} = c$, ac pro s adhibendo $\frac{v\ v}{2\ m}$ erit $\frac{v\ v\ G}{2\ m\ S} = c$, & pro m $\frac{R+r}{2}$ tunc $\frac{v\ v\ G}{\overline{R+r} \times S} = c$ ita ut gravitas ſit ad vim centrifugam in eodem circulo ut G ad $\frac{v\ v\ G}{\overline{R+r} \times S}$, ſeu ut 1 ad $\frac{v\ v}{\overline{R+r} \times S}$. Quod ſi multiplicetur per numerum circulorum R — r, erit preſſio aëreæ columnæ R — r producta a gravitate R — r, & preſſio centrifugarum virium $\frac{\overline{R-r} \times v\ v}{\overline{R+r} \times S}$. Quoniam vero preſſionum diverſarum velocitates ſunt ut radices quadratæ earumdem preſſionum, erit velocitas a gravitate producta ob naturale pondus, ſeu ob preſſionem R — r ad velocitatem, quam columna eadem recipit a preſſione, quæ naſcitur a vi centrifuga, ut $\sqrt{1}$, ſeu 1 ad $\sqrt{\frac{v\ v}{\overline{R+r} \times S}}$. Si velocitas a gravitate producta = R — r vocetur a = 15. 38 ped. 1." min.; erit velocitas, quæ naſcitur a vi centrifuga, a $\times \sqrt{\frac{v\ v}{\overline{R-r} \times S}}$, ſeu a v $\times \sqrt{\frac{1}{\overline{R+r} \times S}}$, ſeu $\sqrt{\frac{a\ v}{\overline{R+r} \times S}}$ id eſt in adducta machina $\frac{15.\ 38 \times 26.\ 21}{\sqrt{4.\ 25 \times 16.\ 1.}} = 49.\ 67.$ ped. 1." min.

ſimos ſibi morbos accerſant, quos ingraveſcere cogunt errores neutiquam contemnendi noſtroque ævo familiariſſimi. Quamobrem nil vetat aſſerere, inſalubrem humiliorum locorum conſtitutionem cum adductis conjunctam erroribus præcordiorum affectus efficere frequentiores conſueviſſe, inter quos Aneuryſmata vel in infantia progenita, vel ſponte obvenientia ſunt computanda, ceu aſſidua comprobatur experientia, ac ſatis ſuperque iteratæ cadaverum ſectiones evincunt. Qui tamen luculentam paluſtrium, & humiliorum Etruriæ locorum notionem habere concupiſcit, eos perlegat tractatus, ubi de cauſis, atque remediis inſalubritatis aëris in humilibus & maritimis locis diſſeritur (*a*). Nos interim, ne prætervolet nimium ſermo, alio mentem animumque convertere cogit id omne, quod alias reſpicit cardiacorum Aneuryſmatum cauſas a nonnullis ne fortaſſis quidem cognitas, etſi eas ipſam præceſſiſſe ægritudinem, ne dum comitatas fuiſſe fatendum ſit.

§. L.

Lues venerea.

EAS itaque cauſas, quæ inter extrinſecas adnumerantur, adduxiſſe ſupervacaneum foret, niſi quæ vel intrinſecus vim ſuam exerunt in apertam plane lucem deducerentur. Hujus profecto naturæ Venerea lues videtur eſſe, quam præcordiorum affectiones ſeu paulatim promovere, ſeu ante pubertatem incœptas patefacere poſſe credendum videtur, ſi præſertim virus venereum jamdiu delituerit in maſſa ſanguinis univerſa. Jam unus aut alter effluxit annus, quo in celeberrimo Florentino Noſocomio quidam juvenis decumbebat annos triginta neutiquam prætergreſſus venerea cachexia admodum inveterata correptus. Huic caries oſſium in capite inſignis advenerat, ex qua vix evadendi locus ſuppetebat. Dum interim palliativa, ut inquiunt, perageretur curatio poſt irritum ptyaliſmum inopinato exortum vita functus eſt. Inſolitum ideo aortæ Aneuryſma obſervatum fuit, quod utramque, thoracis videlicet & abdominis cavitatem, occupaverat. Hinc factum arbitror, ut ex imminuta ſenſim muſculari

(*a*) Vid. *Targioni Tozzetti Relaz. d'alcun. Viag. fatt. in diverſ. part. della Toſcana. Tom. VI. Firenze 1754.*

cordis actione , & ex violenta validaque diaphragmatis preſſione organa reſpirationi dicata obſtaculum ſubierint, ex quo inferri poſſe videtur, mortem exinde fuiſſe conſecutam. Haud diſſimilia memini quondam obſervata fuiſſe, ex quibus me conjicere poſſe arbitror, Veneream nempe luem Aneuryſmatica nonnunquam vitia producere conſueviſſe , cum hæ binæ affectiones frequentiſſime copulentur. Quum vero memorata lues diu multumque fines ſuos protenderit; hinc fit, quod ſi ſæviſſimis ſtipetur ſymptomatibus , adductas ſuperius affectiones producet.

§. LI.

Nonnulli effectus Luis Venereæ.

Quæ hactenus de veneno elephantiaco, leproſo & hydrophobico, nec non de peſtifero & varioloſo contagio haud inepte vel ab iis Scriptoribus congeſta ſunt, qui rerum veritatem fabulis obrepere meditabantur , de Syphilitico effari quoque poſſe videntur, quod phlogiſticum eſſe ex enaſcente ſubinde phlogoſi deducitur, nec non corroſivum , fixum atque coagulans ex advenientibus comprobatur effectibus. Ex hoc ipſo inquinari ſanguinem compertum eſt, quandoquidem poſt affecta primum ea loca, per quæ introgreſſum eſt, in ſanguinem ipſum deducitur, & tum gliſcenti veterno calcar additur, cum pravæ diſpoſitiones corporis præextiterint : Tunc enim exitiales vapores ſanguini permixti acidam, viſcidam & acrem, quam præ ſe tulerant, conſtitutionem ad eum inficiendum aptiorem reddunt. Nullus profecto ambigendi locus eſt, quin arteriarum tunicæ firmitate gaudeant non exigua (§. VI) , adeo ut non ita facile debilitari queant, niſi magni momenti vis acceſſerit. Hanc tamen ex eodem proficiſci veneno minime alienum a veritate putabitur : Vetuſta enim extante lue ſanguini maxima communicatur labes, quæ cum in dies magis magisque ſubcreverit, ſubſtantiam ſanguinis depravat univerſam. Sanguis itaque, poſtquam adeo pollutus, pravas qualitates, corroſivam præſertim, & hemicauſticam pene dixerim, adeptus fuerit, haud difficile internam valebit arteriarum quarumdam tunicam ubicumque diſcindere, atque ex ea ad alteram gradatim tranſitus fiet, donec tertia in conſpectum veniat, quæ cum tendinoſa ſit (§. VI), adeoque magis reſiſtenti coagmentetur materie, ſanguinis

acrimoniam forſitan retundet & ſuperabit. Quod ſi ex hujuſcemodi labe exoſtoſes, hyperoſtoſes, oſteoſarcoſes oriuntur, & alia quam plurima, quæ vim exigunt ad agendum validiſſimam, multo magis arteriarum lædentur involucra, atque verum exinde naſcetur Aneuryſma. Quoad eroſivum vero principium in ſanguine deliteſcens, & ex immiſſo veneno profluens attinet, adnotaſſe juverit, hujuſce naturam ipſis nudis oculis innotuiſſe, ceu eximii teſtantur obſervatores, qui ſanguinem hujus indolis explorare aggreſſi ſunt (§. LXXIII). En igitur inter binas interiores tunicas excurrens hujuſmodi ſanguis, ſenſimque productum Aneuryſma, quod circa præcordia innaſci facilius poſſe deprehenditur, cum præter pravam ſanguinis indolem, vis major ex vicino cordis impulſu ſanguini eidem communicetur. Quod ſi his omnibus valetudinarie, ac pene ſcorbutica corporis conſtitutio (§. XX), talium morborum ſoboles, ætas ad ſenium vergens, ægritudines prægreſſæ, ac frequentiſſimi in ſex non naturalibus rebus errores ſuperſtruantur, inferri poteſt, adducta vitia facilius uſuvenire.

§. LII.

Laxitas inducta.

INOLEVIT animis hominum opinio quædam, quod ex aſſiduo nempe concubitu laxetur valde corpus, viresque ſenſim deperdantur, adeo ut ipſa dorſalis tabes ſubſequatur. Id autem bene ac ſapienter eos effari conſueviſſe perſpectum eſt, quandoquidem ex repetitis fit manifeſtum obſervationibus, corpora frequenti aſſueta concubitui maximam ſæpiſſime laxitatem contraxiſſe. Quod autem ex contracta emergit hujuſcemodi laxitate ſedulam extorquet obſervationem: Eos enim, qui utpote in luxuriam proclives ſequioris ſexus ſe amore irretire non dedignantur, adeo in cœno cupidinum arbitror volutari, ut aſſidue cum fœminis accubantes novis ſemper viam morbis ſternant, quibus in corpore conſtitutis fieri nequeat, ut præcordia ipſa minime torqueantur, adverſaque ipſi ſemper valetudine confligentur. Et ſane compertum eſt, primo pubertatis flore langueſcente, ruere in deterius valetudinem, veluti ex prava corporis conſtitutione, ſive ex perpetratis erroribus eniteſcit. Verum ſi quis dum conſtitutum pubertatis tempus attigerit, effrenatæ ſe mancipare libidini non

erubeſcat, exiſtimare ille poterit ſupra cæteros, majorem ſerius ocyus laxitatem in ſe ipſum redundaturam : Nondum enim ſat firmo corpore prædití eſſe dicendi ſunt, qui pubertatem ipſam haudquaquam fuerint prætergreſſi. Quod vero firmata jam corpora magis angit atque ſollicitat, illud eſt, quod nempe laxatis ex coitu diuturno corporis vaſculis non modo patefieri affectiones poſſunt, quæ pubeſcente adhuc ætate ſubortæ ſunt, ſed aliæ obvenire denuo ſolent, quæ nullum exinde medicamen admittunt. Haud aliter labefactis qualibet ex cauſa uſuvenire corporibus deprehenſum eſt, quibus nulla frequentior obtigit ægritudo, quam quæ præcordia torquere perſpicitur : Ea quippe omnia, quæ fibrarum, ex quibus arterioſa coaleſcunt vaſa, debilitatem inducere poſſunt, ipſamet promovere poſſunt Aneuryſmata. Neque aliter ſtatuendum occurrit, cum clare pateat, quæ, quantaque concuſſio, quique calor, & quæ denique exerenda ſit vis, dum quis venereo percitus œſtro repetitos ictus infligit. Si ergo præexiſtens forte fortuna præcordiorum latuerit Aneuryſma, quilibet inferet, ipſum quam citiſſime ſe patefacturum, ſecus vero repente produci poſſe, ſi talis præcipue fuerit illius corporis conſtitutio, ut debilem nimirum nactum fuerit fibram ab incunabulis, vel talem temporis progreſſu reddiderit. Porro languet corpus pallore perfunditur univerſum, mentis hebetatur acies, ac ſenſim temperies nativa deperditur, fractisque proinde viribus tonica quoque arteriarum contractio torpet, & ſanguini propellenti minus reſiſtit. Quidni lenocinante adhuc cupidine balſamicum quidquid inerat foras proruit, & ſanguinis lentor emergit ? Sive igitur arterioſa ſolummodo flacceſcant vaſa, ſive iiſdem in tonico adhuc ſtatu perſeverantibus ſanguinis lentor adveniat, ſive demum quorumcumque defectus una ſimul copulentur, arteriarum morbos emerſuros indicandum eſt. Quod ſi virus Venereum jam acquiſitum adductis ſuperaddatur conatibus, facile concludendum erit, hujus indolis ægritudines procul dubio conſequi poſſe. Cur vero præcordia præter reliquas corporis partes infeſtari queant, illico elucet, ſi Anatomes auxilio propinquitas partium inveſtigetur.

§. LIII.

Pravi salivationis effectus.

Haudquaquam illud probandum eſſe cenſerem, quod jam adhiberi conſueverat præſertim apud Tranſalpinos remedium Aphrodiſiæ depellendæ dicatum, quod ad uſque ptyaliſmum ex litu corporis univerſi deductum ex Hydrargyro optime parato deſumebatur: Facile quippe cuivis eſt divinari pravos affectus ex hac ipſa medendi methodo profecturos, ſi quando præſertim difficile ſaliva rejicitur vehementia pytiſmata conſequantur. Tunc enim quod optimum cenſetur eſſe remedium, in hoſtem convertitur infenſiſſimum, cum omnes probe noverint, quæ, quantaque vis ex hujuſcemodi medela proficiſcatur humanis potius corporibus inſalubris evaſura, quam ſalutaris (*a*). Macreſcit quotidie magis aduſtum jam redditum corpus, atque eo, quo indiget, humore ſpoliatur, & dum gliſcenti veterno aditus reſeratur optimi quique humores una cum noxiis eliminantur. En igitur quaſſatæ arteriarum tunicæ, quæ niſi fortem nactæ fuerint firmitatem, ad alterationes ſubeundas plurimas diſponuntur. Si vero in Venerea curanda labe ex litu ſudores quiſpiam multoties Aneuryſmate jam efformato ſubſtinuerit, conclamatum pro illo eſſe declarat Paræus (*b*). Quod autem ſedulo attendendum occurrit, illud eſt, quidquid nempe prægreſſa medicamenti cujuſcumque ſumptione nocuerit, atque morbum exinde alicujus improviſæ indolis patefecerit, culpari conſueviſſe: Tunc enim vel ex ipſo Hydrargyri interno uſu, licet proficuus expertus ſit, metuendum ſæpe ſæpius occurreret, etſi quandoque nocuiſſe ambigi queat, veluti de quodam accepimus, qui plurimis mercurialium pilularum aſſumptis doſibus ex Orthopnœa peremptus eſt, inventusque habens in baſe cordis protuberantiam ovo columbino haud abſimilem aliis proinde minoribus circumſeptam (*c*). Cuncta hæc internum Hydrargyri uſum non adſtruunt, qui prodeſſe admodum ſolet, verum aperte demonſtrant, ex nimia eaque excedenti quantitate haud levia contingere incommoda poſſe tum

---

(*a*) Vid. *Hundertmark De Mercur. Lipſiæ 1757.*

(*b*) Vid. *Theoph. Bonet. Sepulchr. Obſ. 14. l. II. ſect. 2. cum adnot. Manget. Tom. I, pag. 50. Genevæ 1700.*

(*c*) Vid. *Zod. Med. Gall. pag. 156. Pariſiis 1679.*

magis conſpicua, cum interno hujuſce medicaminis uſui litus externum, uti quondam adhibebatur, adjungitur. Ac profecto ea, quæ cordi adhæreſcunt arterioſa vaſa, majori donantur diametro, quæ cum in aorta maxima ſit, locum magis præbet experimentis, quibus peractis analogia cum aliis arteriis inſtitui facillime poteſt. Quod autem ex Anatomicis uſque adhuc enituit injectionibus, illud eſt, quod nempe aorta ex membranis coaleſcit, quæ ex vaſis minoribus componuntur, quæ inſuper ex aliis ſenſim minoribus eſſe fabrefacta jamdudum innotuit. Apparet ergo, non difficile adeo inſignes enaſci poſſe dilatationes, dum quis vehementi traditur ptyaliſmo, ſi ea præcipue attendantur, quæ ex enaſcente ſubinde phlogoſi conſequuntur. Quamvis itaque quam plurimis bene ceſſerit, non paucos tamen ex litu corporis univerſi novimus jugulatos, quos fibris præſertim debilibus antehac coaluiſſe compertum fuerat. Neque aliter de reliquis ſtatuendum eſſe medicamentis arbitrarer, quæ ad promovendam affluentem diaphoreſim apta ſunt, iiſdem tamen caſibus uſquequaque permanentibus.

§. LIV.

Veterum ingluvies.

HAUD aliter videtur de reliquis internis conatibus decernendum, qui luculentam dicendi materiem ſuppeditant, quoties ex jucundis iiſque frequentibus liguritionibus depromantur : Quæ namque affluenter admodum ingeruntur, Aneuryſmatum cardiacorum frequentiam non adſtruunt, quinimmo inter præcipuas eorumdem cauſas videntur jure quidem ac merito computanda. Jam pueros ex ingeſtorum abuſu ideo nocumenta ſæpe ſæpius contraxiſſe adnotavimus, quia tenellulæ machinæ recenter fabrefacta textuta ingluviei cedit (§. XXVIII), pariterque ruſticos homines maritimis, & paluſtribus in locis degentes ideo frequenter ægrotare conſueviſſe monuimus, quia niſi affluenti eduliorum quantitate, ſaltem qualitate prava veſcuntur (XLVI). Modo autem intento animo perſcrutandum occurrit, quidquid in Urbibus ipſis ad palati faſcinum invectum increbuit, quodque infenſiſſimum mortalium corporibus poteſt evadere. Sive itaque pluries, ſive ſemel in die manducare majores noſtri conſueviſſent, ea tamen, quæ officere corporibus arbitrarentur, eorum

nonnulli rejicere minime gravabantur, etſi haud frugale convivium apponerent diſcumbentibus. At ipſemet nidor embammatum, atque copia non evadebat helluonibus injucunda, eo quod dum eſurirent aſotorum epulas inquirerent. Apud Romanos vero adeo ferina quædam ingluvies invaluit, ut impuberes ipſi penum omnem clanculum congererent, natuque jam grandes populi placitis lenocinari non erubeſcerent. Poſtremis ſane Romanæ Reipublicæ temporibus eouſque ſympoſia legimus deveniſſe, ut in ipſis procerum ædibus nonniſi lurconum contubernia peragerentur; id quod ſub ipſis Imperatoribus perduraverat diutiſſime, ut non amplius Catonis ſenioris frugalitas, ſed Veſpaſiani, Apicii, Luculli, aliorumque immodicum intueri valeret gulæ ſatis avidæ blandimentum. Etſi itaque aſſidua veterum quorumdam intemperantia exoleverit, non deſunt quidem, qui dum propria abliguriunt, vel nunc de morbis ex ingluvie nimia ſubortis miſerrime lamententur. Quod vero vel maxime dolendum eſt, puerorum reſpicit alimentum: Haud enim patiens inediæ quilibet prædicabitur, quando non in accubitu dumtaxat aliquo ſolemniori, ſed in ipſis puerorum jentaculis apponantur edulia humanis corporibus infenſiſſima, quorum libido ſi cum ætate creverit, non ita facile poterit prætermitti. Cuncta proinde ſanguinis maſſa ex inſalubribus eodem eduliis coaleſcente alterationes nonnullas ſubibit, neque amplius mirari poſſumus, ſi plurimarum origo ægritudinum e ſanguine derivetur, cum ille potiori jure morborum reus dijudicetur, poſtquam in alienigenam naturam migraverit.

§. LV.

Morbi ex prava ciborum quantitate et qualitate manantes.

Pravam ex eſculentis potulentisque quantitate & qualitate peccantibus emergere ſanguinis conſtitutionem, nemo ſanæ mentis inficias ibit, quandoquidem quotidiana nos edocet obſervatio, morbos quam plurimos ex adducto fonte frequentiſſime dimanare. Cæterum ſi ſanguinis circuitus evaſerit concitatior, & dum vehementer arterioſum genus afficitur, ejuſdem acredo præextiterit non tam facile ſuperabilis, præcordiorum Aneuryſmata quiſpiam ſubſequi poſſe vaticinabitur. Corporis incremento proportionalis evadere in pueris debet ſanguificatio;

ficatio; in aliis vero ejuſdem conſervandi opportunitati debet exactiſſime reſpondere. Hæc ſi perturbentur, adverſa imminet valetudo pro efficacia cauſarum dignoſcenda. Oriuntur ægritudines nullum prima fronte periculum præ ſe ferentes, quæ ſatis ſuperque graviores evadunt, & machinam humanam ſubvertunt. Ex his tamen omnibus illud conſequitur, quod nempe validæ requirantur actiones ad hoc, ut peracta exinde pateſcant Aneuryſmata. Hæc tamen vim nonnunquam exerunt validiſſimam, veluti ex effectibus intenſius agentibus comprobatur. Et profecto plurima in Aneuryſmate promovendo collimant, quæ adeo valide agunt, ut geminatam quandoque affectionem progignant, arterioſa ſimul atque venoſa vaſa protinus infeſtantem. Varicem quippe in venoſis præcordiorum canalibus cum Aneuryſmate conſociatam obſervavit in ſutore Lanciſius (*a*), qui nuſquam ſane ſe crediſiſſe faſſus eſt, varicem cavæ minime cognitam cum Aneuryſmate in aortæ ſedem habente fuiſſe tunc temporis copulatam. Hujuſcemodi propterea caſus anſam ambigendi præbent obſervatoribus, adductas nimirum ægritudines ex cauſis vehementer agentibus proficiſci. Harum tamen nonnullæ allatæ ſunt, quæ non infrequenter panduntur, ſed cum inter cæteras inopinatæ quædam adveniant, quæ vix poſt cadaverum inciſiones manifeſtantur, ab iis recitandis ſuperſedendum eſt, cum illæ uſque adhuc adductæ fuerint, quæ iteratis innotuerunt obſervationibus, ac frequentiora fortaſſis reddidere noſtro ævo præcordiorum Aneuryſmata.

§. LVI.

GYMNASTICÆ ABUSUS.

NON me fugit, immodicas quoque priſcorum exercitationes eouſque deveniſſe, ut vel in iis, quæ ad valetudinem conſervandam inventa fuerant, luxus certatim agnoſceretur. Tametſi igitur hujuſcemodi pene obſoleverit uſus, ſatis ſuperque quiſpiam adinvenitur, qui ſive currendo, ſive canendo, ſive tolutariam peragendo equitationem, vel quomodocumque motus corporis inſtituendo exercitationis limites prætergreditur. Quidquid vero ad immodicas corporis exercitationes referri debet, inter externas advenientes cauſas

(*a*) *De ſubitan. mort. l. II, Obſ. 5. Romæ 1745.*

accenſendum eſt, ex quibus Aneuryſmatica vitia proficiſcuntur: Dum namque aliqua peragitur violenta quantumvis exercitatio illæ adhibendæ cautiones forent, quas apud veteres Græcos atque Romanos in uſu quondam fuiſſe compertum eſt, qui cum Agonyſticis navarent operam exercitationibus, conſtitutis quibuſdam legibus obtemperabant, dum præcipue de certaminibus publice peragendis ageretur, quæ ad hoc ut rite diſpoſita forent, a Gymnaſiarchis conſueverant moderatiora conſtitui (*a*). At vero in his quoque delinquere homines incœperunt: Exercitationes quippe inſtituere agreſſi ſunt, quæ modum exceſſerant, atque habitui corporis ipſiusque viribus minime reſpondebant. Quod vero maxime ad rem noſtram facere videtur, in eo ſitum eſt, ut nimirum ab iis producantur cumprimis incommoda exercitationibus ad veram Gymnaſticam referendis, quæ etiamnum vigent, ſed peraguntur inopportune, quin ea ſpectentur, quæ exinde emergere detrimenta conſueverunt. Quod ſi inſperatos quivis excipiat ramices, thoraci majus obveniet damnum, quod præcordia ipſa adoritur quam ſæpiſſime, ſeu in curſoribus, bajulis, tibicinibus, fiſtularum modulatoribus, cæterisque hujuſcemodi addictis muneribus deprehenditur. Verumtamen cuncta hæc pro datis occaſionibus Aneuryſmaticas progignere valent præcordiorum ægritudines, easque progenitas palam facere, ideoque inter frequentiores Aneuryſmatum cauſas reponi nonnunquam poſſe videntur, veluti in iis animadvertitur, qui ex longe perſpicuis hujuſce generis cauſis, ex morbis circa præcordia ſedem habentibus, infirmantur.

§. LVII.

HYSTERICÆ FŒMINARUM AFFECTIONES.

At propriis etiam fœminæ præcordiorum affectibus corripiuntur ex peculiaribus cauſis, quæ in illarum ſexu panduntur, illico deducendis: Sæpe enim Hyſterica paſſione laborant, atque harum aliquas ego ipſe novi inſolito percitas inſultu, vixque plurium hominum viribus obtemperantes. Ad convulſivorum motuum claſſem referendum eſſe talem affectum, quiſpiam bene cordatus homo non inficiabitur, cum id ex ipſis effectibus deducatur. Quatitur itaque uni-

---

(*b*) Vid. *Mercurial. De Art. Gymnaſt. Amſtelodami 1672.*

verſum corpus, cordisque advenit tremor & palpitatio, ex qua arterioſa vaſa cordi proximiora immanem aliquando pulſationem adipiſcuntur. Puellam me quondam vidiſſe memini, magno admodum animo validoque condecoratam corporis habitu, quindecim circiter annis natam, paſſione Hyſterica laborantem. Hæc ſpaſmodico ſenſim creſcente paroxyſmo tali corripiebatur cordis palpitatione, ut vel ab iis, qui ad eam inviſendam convenerant, etſi a lecto non parum remotis, exaudiretur. Anterior thoracis pars elevari quodammodo videbatur, ac ſi peracta in coſtis preſſione ſternum aſſurgeret (*a*): Talia vero phœnomena in poſteriori remiſſius agebant; cordis tamen ictus maximopere adaucti apparebant (*b*). Id tamen admirationem quamdam extorquere vel maxime videbatur, quod nimirum externæ carotides arteriæ, atque jugulares venæ ſuam adeo diametrum extenderint, ut modo triplo, modo quadruplo majorem habuerint. Mammæ inſuper, quæ nuper ſororiari cœperant, multum creverant mole ſua, & liveſcentibus fœdari maculis, ſenſimque tumeſcere quodammodo videbantur. Omnis denique corporis ambitus ruborem internumque, ut illa aſſeverabat, calorem contraxerat, qui declinante gradatimque evaneſcente paroxyſmo deperdebatur. Cuncta interim hæc feſtivis, in quos fortunæ blandientis ope advocata fuerat, adventantibus hymenæis, protinus evanuere molimina eludendo ſelectiora quæque nequicquam profutura medicamenta. Verumtamen cum debili fibra mulieres coaleſcere Medici pene omnes agnoverint, alienum a veritate nullo pacto videbitur affirmare, eas pluſquam homines præcordiorum Aneuryſmate laborare, quod haud raro in partu ipſo propter illos, quos peragere conantur fœminæ

(*a*) Ipſo etiam exiſtente Aneuryſmate validiſſimæ adveniunt pulſationes, veluti ſe vidiſſe anno 1606 teſtatur Hildanus, cui Aneuryſma perſcrutari contigit, quod totam ſiniſtrorſum thoracis partem ad ſternum & collum uſque occupaverat, pulſationem habens adeo vehementem, ut elevari veſtimenta conſpicerentur. Vid. *Obſ. Chirurg. Cent. III. obſ. 43, pag. 225. Francofurti ad Mœn. 1682.* Monendum interea, non raro ex ipſa diuturna cordis palpitatione Aneuryſma fieri ita, ut quod Aneuryſmatis quandoque ſymptoma eſt cauſa, exinde fiat. Adducta inſuper palpitatio, quæ ab ipſo quoque pericardii hydrope excitari poteſt, monente Tulpio *Obſerv. Med. l. II, cap. 26. Lugdun. Batav. 1716.* cum præternaturali, eaque excedenti cordis amplitudine copulari poteſt, veluti animadvertit Heurnius *Obſerv. rar. Hiſtor. 28. Lugdun. Batav. 1609.* ex qua pericardium diſtendi admodum ſolet, licet ex ipſo affluenti latice diſtendi facile poſſit, ſicuti obſervaverat Carolus Piſo *De morb. ex colluv. ſeroſ. oriund. ſect. III, cap. 11. Muſſipontii 1618.*

(*b*) Id ipſum an. 1717 in fœmina 22 ann. obſervaverat Gherlius *Oſſerv. di Medicin. &c. Cent. II. P. I, Oſſerv. 36, pag. 196. Venezia 1753.*

conatus contrahitur. Quinimmo & ipſa adſtipulatur rationibus experientia rerum omnium magiſtra, ex qua evincimur, rarius hujuſcemodi morbos in viris, frequentius tamen in fœminis deprehendi. Et ſane Epilepticis ſecluſis inſultibus raro quidem advenientibus non infrequens agnoſcitur in mulieribus Hyſteriſmus ad concuſſionem immanem in earumdem corpore inducendam accommodatus, ex quo præcordiorum Aneuryſmata perſæpe uſuvenire poſſe multis demonſtrari poſſet rationibus cuique conſpicuis. Præterquam quod ſi ab ineunte ætate talis affectus exordia ſumpſerit, veluti fieri poſſe demonſtratum fuit (§. XXVIII), facile omnes intelligunt, ex Hyſtericis concuſſionibus morbum in lucem prodire, qui multis menſibus delituerat. Niſi itaque optimum robuſtumque corporis habitum fœminæ ſint aſſecutæ, enumeratis facile ſuccumbent ægritudinibus.

§. LVIII.

Puellarum ægritudines nonnullæ.

Neque aliter in Pica morbo fœminis, præſertim puellis, familiariſſimo decernendum occurrit : Ipſæ enim ex ingeſtorum abuſu ita diſponuntur , ut nil eſſe autument creta, carbonibus ſimilibusque cupediis delicatius. Quum autem plane conſtet, utique Hyſtericam ex hujuſcemodi affectu paſſionem emergere conſueviſſe , ex qua concuſſiones oriuntur innumeræ, hinc & Aneuryſmata patefieri poſſe ſuſpicandum. Quamobrem illud cumprimis obſervatu dignum videtur, quod nimirum in aſſignanda frequentiorum quorumdam effectuum cauſa error aliquis ſemper in tranſigenda vita perpetratus deprehenditur. Quoniam vero pleræque mulierum, quæ procreandæ ſoboli vacare decreverunt, prolificam perſæpe auram in uterum excipiunt, hinc & in ipſis rareſcit ſanguis, atque velocius per canales adigitur, qui, niſi valida ipſæ ſtipentur textura, haud difficulter impellentis ſanguinis viribus cedent , uſque dum laxitas quædam in internis ſuperveniat arteriarum parietibus, ex qua fatiſcere compellantur. Neque abſolute decernendum, menſium fluxum ſequiori ſexui cæteroquin ſaluberrimum, ſi modum exceſſerit, detrimentum afferre poſſe, etſi inchoatis depellendis grumeſcentibus materiis poſſit aliquando idoneus eſſe (§. XII) : Liquet enim, ex imminuta nimium ſanguinis quantitate ejuſdem immutari per arterioſa vaſa celeritatem

(§. LXXI), pariterque Hyſtericas affectiones cum menſium ſuppreſſione conſociari, ex qua ſi morbus aliquis in præcordiis incœperit, pateſiat : Obſtructio enim quæcumque valida ſat eſt ad vitium inceptum, & latitans plane lucem collocandum. Porro quoddam mihi contigit in fœminis obſervare phœnomenon, quod nempe quibus in præcordiis Aneuryſma permagnum extiterit, in iis ut plurimum menſtruæ ſuppreſſæ purgationes deprehendantur. Quum vero uſuvenire minime poſſe videatur, ut conſtituto Aneuryſmate menſium enaſcatur ſuppreſſio, ne dum promoveri poſſit, veluti ex valida circa tumorem Aneuryſmaticum exorta pulſatione deducitur, cum hæc concitatum cruoris motum ſupponat, hinc potius ex totali ſuppreſſione ſuſpicabitur aliquis, allatum vitium exoriri conſueviſſe. At ea, quæ de præternaturali pulſatione dicenda ſunt, circa tumorem conſpicua fieri compertum eſt, quin concitatior arteriæ alicujus motus uſque ad inferiora vaſa protendatur. Menſium itaque ſuppreſſio ideo ſuborta quandoque prænoſcitur, ſive quia major cruoris affluxus in ſatis amplo tumore perficitur, ſive quia ejuſdem plethora, ex qua hujuſcemodi fluxus ad erumpendum diſponi ſolet, ex ipſo Aneuryſmatico tumore aliquatenus remoratur. Neque dubitandi locus eſt, ex eadem ſuppreſſione Aneuryſma ipſum efformari poſſe, ſi diuturna admodum ſit : Sanguis etenim retropulſus internum majori vi arteriarum ambitum comprimet, adeo ut excedenti quantitate ſua aliquam promoveat ſenſim dilatationem. His ulterius additur, quod ſanguis ipſe e corde propulſus idem ex ſuperaddita inferius reſiſtentia efficere poteſt, quin aliæ accenſeantur cauſæ validiores (*a*). Ut igitur decerni poſſit, num ex Aneuryſmate producatur allata ſuppreſſio, ſive ex hujuſmodi ſuppreſſione ipſum gignatur Aneuryſma, videndum ſupereſt, utrum poſt diuturnam ſuppreſſionem detectum fuerit, tuncque ex ea profluiſſe credendum eſt; ſin vero contrarium contigerit, aliter cogitandum eſſe decernitur.

(*a*) Inter has menſtruæ purgationis conſtitutiones recenſeri poſſe videtur, quæ nonnunquam eroſivam contrahere naturam poteſt, ut monuit Stentzelius *Comm. ad Lindeſtolp. De ven. pag. 144. Francofurti & Lipſiæ 1739.*

§. LIX.

Menstruæ purgationis suppreſſio.

Sanguinis inſuper quantitas major extat in fœminis, quam in viris, nec non relativa plethora vel dum menſtrua ſupprimuntur adeſſe debet. Nil ergo mirum, ſi intercipiatur cruoris eruptio, cum inſignis obſtructio canalium adeſt, ſi præcipue ſanguinis lentor cum craſſitie copulatus advenerit: Tunc etenim ſuperabit evacuationem additio. Præpedito itaque ad inferiora affluxu, auctaque ſenſim illius quantitate, uniformi preſſione, nec non æquabiliter arteriarum parietes minime comprimentur. Quod ſi æqualis ubique non ſit reſiſtentia, ſed in aliqua vaſorum parte imminui facilius poſſit, ſanguis ibidem vaſis extendet diametrum, idemque vas ad Aneuryſmaticum ſuſcipiendum vitium determinabitur. Id tamen innuiſſe viſus eſt Freindius (*a*), dum affirmavit, quod nempe ex hujuſcemodi ſuppreſſione oboriatur arteriarum pulſatio, ex qua venarum varices, ad præcordia anxietas, atque aliquid aliud longe moleſtum vaſis cardiacis evaſurum. Hæc autem magis in aorta aſcendente obſervantur, cum deſcendentis truncus amplior in fœminis, quam in viris fuerit conſtitutus (*b*). Infertur igitur, pulſationem motumque ſanguinis ſubitum magis in fœminis eſſe debere, adeoque morbum facillime recrudeſcere: Nam ex ampliori vaſis diametro eruitur, majori ſanguinem impetu adigi verſus inferiora, qui tamen impetus ad promovenda catamenia ineptus evadit, ſi uteri & vaginæ vaſa firmiter conglutinata textura coaluerint. Parcius fluunt in puellis pubeſcentibus menſes, ac fœminas annis graves nihil admodum torquent. Solertiſſime tamen obſervatum eſt, quod in puellis menſtrua nondum paſſis ſæpe ante fluxum mammæ intumeſcunt, pariterque in nonnullis fœminis inſtante memorato fluxu venter mole grandior evadit, ut pene Tympaniticæ videantur. Ex his deducitur, plethoram, ex qua eruptio pendet, inſigniter adauctam eſſe, atque impedimenta primo impetu reperiri non tam facile ſuperanda, ex quibus aliquando cardiacos exoriri affectus poſſe concludimus.

(*a*) *Emmenolog. cap. 10. Oxonii 1705.*

(*b*) Hæc tamen amplitudo a preſſione ventriculi, aliarumque partium oriri, & a ſuperaddita pulſatione augeri facillime poteſt. Vid. *Woodward Idea of the naturæ of man. London 1725.* Latine vertit, & Tiguri edidit librum hunc *Jo.* Jacob. Scheuchzerus.

§. LX.

Artificum quorumdam Aneurysmata.

Neque tam viris, quam fœminis præcordiorum Aneuryſmate laborantibus extraordinarium corporis ſitum diutius perſiſtentem officere denegaverim, quin potius eorum nonnullis ex ea, quam profitentur, arte allatum morbum facile ſupervenire crediderim, ſi inordinatæ corporis mutationes fuerint admodum diuturnæ. Videmus itaque artifices quoſdam, qui dorſum incurvare neceſſaria ac perniciosa obſtricti lege varios contrahunt morbos, quos graviores ſenſim evadere poſſe ex aſſidua exercitatione deducitur. Neque mehercule ex eorumdem numero literatos homines delendos cenſeo, qui ſive legendo, ſive ſcribendo pectus inclinant, quandoquidem horum plerique longa annorum ſerie graviſſimos ſibi morbos accerſunt, dum communi litterariæ reipublicæ invigilant incremento. Qualeſcumque igitur hujuſmodi perfungi debere muneribus perſpectum eſt, ad quæ rite obeunda aſſidua requiritur corporis incurvatio, Aneuryſmate quoque affici quandoque credendum eſt, veluti experientia ipſa rerum magiſtra obſervatoribus demonſtravit. Dum interim curvato dorſo inclinatur pectus, omnia propemodum abdominis viſcera fortiter comprimuntur, ex eaque compreſſione fieri nequit, quin & arterioſa vaſa, quæ in viſcera ipſa ſanguinem ferunt, aliquatenus comprimantur. Propriam ergo diametrum anguſtiorem habebunt adducta perſiſtente compreſſione, ex qua diametri imminutione major illic conſequetur ſanguinis impulſus, ubi viſcerum compreſſio peragitur. Sanguis proinde, qui per aortam ad reliquas defertur arterias, eandem haudquaquam aſſervabit vim, quam tum peragebat, cum reliqua vaſa quolibet vacabant impedimento, attamen eædem fient a corde expanſiones, & ex aorta ſanguis impetu magno trudetur in eas partes, ubi preſſio ſuborta eſt. Magnam arteriarum tunicæ ſubeant vim oportet, uſque dum corpore in priſtinum ſtatum reſtituto remora ſanguinis motui interpoſita protinus abjiciatur. Arteriarum tunicæ cæteroquin firmiter fabrefactæ ſenſim extendi poſſe texturam internam, concluditur, atque ex aſſidua diſtenſione, multum ampliari, uſque dum Aneuryſmaticus tumor exurgat, quem eo propinquiorem cordi futurum conjicitur, quo major incurvatio corporis

extiterit. Haud aliter de corde ipſo ſtatui poſſe videtur, quod ſi ex retropulſa quadam ſanguinis quantitate perſæpe efficiatur, facile quidem cenſendum eſt, majori ipſum mole ſtipatum latiores exinde ventriculos habiturum.

§. LXI.

Validarum tussium noxa.

Præterea illud idem in adultis quoque decernendum videtur, quod de pueris ipſis jam adnotatum eſt, qui ex diuturna, eaque valida tuſſi ſæpe ſæpius infirmantur, & ad ſuſcipiendum Aneuryſma ſatis facile diſponuntur (§. XXXVI); nam & ipſis in adultis talem effectum mihi crebro contigit obſervare. Vir quinquagenario major jam ex multis menſibus vehementi tuſſi corripiebatur, ex qua propter concuſſiones longe diuturnas hernioſus evaſerat. Hic Januario menſe anni 1756 in Florentinum Noſocomium venire decrevit, cum præter cætera ipſi familiaria ſymptomata dolorem circa medium ſternum, & valde moleſtum anhelitum cum intermittente pulſu conjunctum experiretur. Pulſatio permagna in præcordiis advenerat, cui moleſtus admodum ſubnectebatur decubitus, cunctaque progreſſu temporis ſigna detecta ſunt, ex quibus cardiacum vitium ſolet emergere; vehementia tamen ſymptomatum jam ex duobus menſibus tum detecta fuit ab ægrotante, cum ex moleſtiſſima tuſſi quamdam veluti diſciſſionem in præcordiis perſenſiſſet; id quod plane videtur oſtendere, adultos quoſque homines, etſi validiori donatos fibrarum firmitate, facile ex obſtinata tuſſi præcordiorum ægritudinibus obnoxios fieri. Id ipſum in quadragenaria muliere eodem menſe obſervavi, quæ integro ferme anno tuſſim paſſa fuerat vehementem. Quamcumque igitur immanem concuſſionem ad Aneuryſma circa præcordia promovendum accommodatam eſſe poſſe innoteſcit.

§. LXII.

Aneurysmata cujuscumque arteriæ.

Quæ tamen uſque adhuc producta ſunt, vera reſpiciunt præcordiorum Aneuryſmata, quæ ſenſim vel in ipſa pueritia fiunt, gradatimque augentur, donec pro data qualibet occaſione pateſcant. Illud tamen

tamen unum vel maxime ſupereſt adnotandum, quod nimirum ea pene omnia, quæ de Aneuryſmaticis præcordiorum ægritudinibus effati fuimus, aliis quoque arterioſis univerſi corporis vaſis aptari poſſunt, prout varii conſiderandi ſemper occurrunt effectus ex majori minorive cordis vi ultro prodeuntes. At vero ſpuria quædam quandoque obſervantur Aneuryſmata, quæ ignoratur ſane, utrum a vero, & paulatim adaucto proficiſcantur, vel utrum repente contingant. Ego equidem arbitrarer, perarduam ſane non eſſe provinciam decernere, quænam ſit hujus affectionis origo, ut proinde priorem ab altera quivis diſtinguat, ſi ea, quæ in toto vitæ curriculo quiſquis ægrotantium peregerit, prænoſci valerent : Fieri namque poſſe non videtur, ut qui hujuſcemodi affectionibus infeſtantur, ne minimum quidem in aliqua ex adductis ſupra rebus deliquerint. Quum autem ex aſſidua, eaque repetita obſervatione nulla naſcatur de talibus effectibus diſputatio, pariterque haud alienum a veritate ſit, repente fieri, atque ex improviſo manifeſtari, hinc maxima in tempore, loco, & varietatibus aſſignandis exoritur difficultas, cum de illo præſertim ſermo fuerit inſtitutus Aneuryſmate, quod circa præcordia genitum internoſcitur. Id tamen admiratione atque animadverſione ſimul dignum videtur, ſpuria nimirum Aneuryſmata frequentiora eſſe, quam plerique Medicorum cenſeant, ceu iteratæ oſtendunt cadaverum inciſiones. Quam multos profecto ex forti Apoplexia protinus ereptos aſſidue conquerimur, eoſque vere Apoplecticos occubuiſſe dictitamus : Attamen diſſecto nonnunquam cadavere nullum in nervis & cerebro, aliiſque partibus vitium deprehenſum fuit, ſed arteriæ alicujus diſciſſio, omniumque tunicarum ejuſdem eroſio reperta eſt. Hydrope olim laboraſſe repente progenito autumaverat Medicus quidam ægrotantem, qui chronico antea morbo correptus fuerat, ex quo Hydrops ſuperadditus credebatur. Diuretica itaque propinanda eſſe putabat medicamenta, cum ex his, uti audacter nimis ſpoſponderat, valetudinem exinde exſpectandam eſſe plane conſideret. Hæc tamen cum in irritum cecidiſſent, improviſus tandem interitus cunctorum vicit exſpectationem. Ex Hydrope tamen e vivis exceſſiſſe, communis fuerat omnium conſenſus, cum paulo ante obitum magnopere abdomen intumuerit ægrotantis, talibuſque ſtipari videretur morbus indiciis, ut verum Aſcitem æmulari propemodum appareret. Inſtituta proinde cadaveris ſectione, non ſerum, non

aqua, ſed cruentus prodiit gurges ex aortæ trunco circa emulgentes diſciſſo proveniens. Adhuc opuſculum hoc prima vice ſub prælo ſudabat, & nondum dimidium menſis Aprilis anni 1756 incœperat, quo Vir quidam ex Aneuryſmate vita functus opportunam peragendarum obſervationum occaſionem præbuit Anatomicis. Itaque ſupra cætera, quæ mihi aliisque contigit animadvertere, ventriculus inſigni mole redditus inventus eſt, totusque refertus ſanguine, qui ex Aneuryſmate in aorta conſtituto profluxerat. Aneuryſmaticus interea tumor, qui œſophagi parietibus adhærebat, paulatim diſciſſus talem ſibi tranſitum aperuerat, ut permagna ſanguinis quantitas in ventriculum ipſum delapſa fuerit, & non exiguam Viris clariſſimis, qui adfuerant inciſioni, admirationem pepererit. Verum enimvero & ipſæ aliunde viſæ ſunt totales anaſtomoſes Medicorum admirationem non mediocriter excitantes. Triſte profecto inopinatæ anaſtomoſeos in ſubclavia dextera eventum, ex quo mors ſubſecuta illico fuit, in milite detexit Malvetius (*a*), caſusque perſimiles alio legimus memoratos ex hujuſcemodi manantes affectibus, modo hoc, modo illud arterioſum vas afficientibus (*b*). Sed quid præſtat ab aliis hiſtorias mutuari, cum ego ipſe caſum perſimilem, & majoris fortaſſe momenti contigiſſe reminiſcar?

§. LXIII.

Peculiaris obſervationis deſcriptio.

Dum Piſis degerem anno 1751 naturalium primordia rerum in illa Scientiarum aula celeberrima percepturus longe funeſtum obſervare mihi contigit infortunium: Vir enim circiter quinquagenarius, ſarcinator, Hypochondriacis affectionibus obnoxius, violentis exercitationibus vacans, pilæ præſertim ludis aſſuetus, cupediis ac vino meraciori, ejusque ſpiritui nimium indulgens, temperamenti ſanguineobilioſi, florido nimium perfuſus colore, iracundia concitari ſolitus, dum ingruente veris tempeſtate die quadam edulia optima & delicatiora ingurgitaſſet, ac generoſa vina bibiſſet, dormitum abiit.

(*a*) Vid. *Hiſtoire de l'Academ. Royale des Sciences an. 1721.*

(*b*) Dexteram thoracis cavitatem repletam ſanguine, qui ex aortæ Aneuryſmate repente diſciſſo profluxerat, in inciſione cadaveris deprehendit Bonetus. *Sepulchr. Tom. I, l. 2, ſect. 2, pag. 584. Genevæ 1700.*

Non multo poſt a ſomno expergefactus denuo biberat, unaque cum ſociis ad relaxandum animum in publicum ſeſe locum contulerat, ubi ſcrupis ludendo dies conterere conſueverat. Mirabantur admodum circumſtantes, illius faciem & oculos ruborem plus æquo contraxiſſe, cum accenſos carbones æmulari propemodum videretur. At de prægreſſa vini ſumptione commonefacti obſtupeſcere illico deſierunt. Porro nonniſi ſcommata & vaniloquia ex ejuſdem ore prodibant, & modo ululatus, modo gemitus emittebat, modo vero repente clamitans meticuloſus trepidabat, hærebatque adeo tremebundus, ac ſi circumſtrepentium inſtrumentorum ſonitum perſenſiſſet, cunctaque contractæ temulentiæ ſymptomata ſenſim adaucta præ ſe ferebat. Dum interim expoſtulare videtur occaſio, ut ex aſſidua ludorum jactura contra ſortem ſibi nimium adverſam protervus inveheret, jurgiis adverſus amicos prolatis ad maniacas rixas gradum feciſſet, niſi circumſtantium acceſſiſſet impedimentum. Qui vero ad hæc auſcultanda arrectis auribus adſtabant, cum jam adveſperaſceret, & ludentis, ſimulque perdentis animum introſpicerent, ſuaſerunt ei, ne iram in illos evomeret, ut domum ſe reciperet, id unum rati, quod nimirum ex ſanguinis miſſione poſt aliquod quietis intervallum inſtituta mitiora evaſura forent ſymptomata. Aſt ex advorſo res ceſſit: Cruento namque gurgite ex ore fluente oppreſſus repente fuit, & in mortis cenſum deductus. Palluit illico facies, atque univerſum corpus, quod vere athleticum putabatur, in terram luridamque cadaveris formam, ac ſi longe diuturna laboraſſet Cachexia, vel inſanabili Maraſmo correptum eſſet, fuit poſt interitum commutatum. Inſolita, qui illuc advenerant perculſi formidine, Medico, qui accitus perrexerat, ſuaſerunt, ut ex anatomica cadaveris inciſione rupturæ locum internoſceret. Luſtratis itaque illius corporis cavitatibus cunctiſque exploratis viſceribus, pulmonialis arteriæ totalis diſciſſio fuit deprehenſa, ex qua duodecim protruſæ ſanguinis libræ ſtatim poſt diſciſſionem eruperant, & plures forſitan erupiſſent, niſi poſt ejus obitum obturaculum faucibus appoſuiſſent. En igitur funeſtæ tragediæ adumbrata narratiuncula legentium fortaſſis animum non levi terrore percellens.

§. LXIV.

Allatæ obſervationis conſectaria.

Arteriarum involucra firmitate quadam gaudere compertum eſt (§. vi), pariterque unicuique innoteſcit, citra plethoram eroſivum quoddam principium in ſanguine deliteſcere (§. li. lxxiii). Quapropter utraque in adducto caſu ad anaſtomoſim producendam conſpiraſſe viſa ſunt : Inſignis namque plethora in hujuſmodi viro ſemper extiterat, atque ex pravo ſui ipſius regimine, ſanguinem ad eroſivum ſuſcipiendum principium fuiſſe paulatim diſpoſitum , conjiciendi ſuſpicio adeſt, quandoquidem generoſa affatim vina quotidie ſumpſiſſe exploratum eſt, ingeſta prætereundo , quæ non parum obeſſe poſſunt (§. xxviii. liv). Analyſis Chymica oſtendit, quidpiam tartareum, ſalinum, oleoſum, atque ſulphureum in vino plus minusve contineri , prout in diverſo climate fermenteſcit, & varia methodo conficitur. Hæc tamen in fervido muſto mire affluunt, cum in illo ſpiritus acer, acredine nares feriens, ſubacidulus , & multum elaſticus fuerit deprehenſus. Enimvero hujuſcemodi partes cum fermentationis ope diſſociari nequeant univerſæ , ſemper aliquid acre ſupererit, ejuſdemque inſuper vini ſpiritus ex oleo quodam coaleſcit, quod ab acido , & volatili ſale in ipſa exaltatur fermentatione. Talibus ergo poſitis partibus , quæ ex aſſidua vini, ejuſdemque ſpiritus aſſumptione magis magisque augentur, & ad vehementius agendum diſponuntur, apparet, internas arteriarum tunicas ex plethora diſtentas, ac veluti diductas ita ab acribus particulis affici poſſe, ut eædem tunicæ a nativa conſtitutione degeneres uſquequaque diſſiliant. Vinoſæ ſubſtantiæ vis, quæ intus vaſa corporis adoritur, abſque evidenti fervore fieri ſolet, & ſi quid immutatum agnoſcitur , iis orbatur indiciis, quæ ſenſibus evadunt conſpicua. Ipſa tamen inchoata ejuſdem actione, omnes, quæ extant in corpore quaquaverſum diffuſæ fibræ laxari incipiunt, eoque magis , quo major vini quantitas aſſumpta eſt, pariterque vaſa ſingula tument , ut ſibi non amplius concinne reſpondere prohibeantur, dum alternæ contractiones diſtractionesque debita virium proportione deſtituuntur. Interea fieri nequaquam poteſt, quin ipſa quoque fluida adeo jactentur , ut concitatiori impetu vaſorum parietes violenter percutiant : Iiſdem enim activas, quibus circumfuſa ſunt, partes ex univerſa fluidorum maſſa exturbare denegatur.

§. LXV.

Aucta arteriarum et sanguinis vis.

Quoniam vero qualicumque ſecluſa humanæ machinæ textura ab incunabulis debili, & languida proveniente, arteriarum earumdem firmitatem, illarum præcipue, quæ circa præcordia verſantur, in allato caſu debilem arguitur evaſiſſe, illud unum videbatur ſupereſſe, ut nempe aliquid admodum vehemens oboriretur, ex quo repentina diſciſſio contingeret. Id autem adveniſſe ambigi nequit, ſi ea, quæ inconſulto adductus homo peregerat, expendantur : Reſpirationem namque, cordis vires, omnesque corporis actiones adauctas fuiſſe, nemo inficiabitur, cum ex aſpectu dumtaxat ad iram compoſito, & ob vini qualitatem & quantitatem exæſtuante, ac ſupra modum immutato deduceretur. Si ergo ſanguis qualitate & quantitate delinquendo in partem minoris reſiſtentiæ validos & præternaturales ictus impegerit, continui quædam ſolutio ſanguinis reſpondens viribus ſubſequetur. At vero cum validiſſimæ in eo, de quo meminimus, viro extiterint vires, majoris momenti effectus exſpectandus erat (§. XLVII), veluti demonſtravit arteriæ pulmunalis anaſtomoſis ex eadem protinus dehiſcente ſuperveniens. Ergo validis opus eſt cauſis, ut magni momenti pandatur effectus, ad quem producendum non modo adaucta requiritur actio, ſed aliqua inſuper diſpoſitio, quæ diu multumque perſeverans tandem aliquando pro data qualibet occaſione in apertam lucem prodierit. Ea interim, quæ hucuſque effari placuit, ad peculiares quaſdam, atque præcipuas affectuum Aneuryſmaticæ indolis cauſas pertinent. Quum autem perſpectum ſit, cuncta hæc in eo ſita eſſe, ut nempe tum hujuſcemodi affectiones inſurgant, cum aliqua in humano corpore ſuboritur vis valide nimium agens, hinc innumera pene ad id efficiendum conſpirare valent, quæ cuivis innoteſcunt, quin de his ſermo ſpeciatim inſtituatur, & quæ luculentam ſatis dicendi materiem præbent, ſi cum iis, quæ innuere voluimus, conferantur.

§. LXVI.

Medicorum observationes.

His curſim raptimque delibatis, monendum ſupereſt, permultas variis in operibus Medicinæ procerum hiſtorias reperiri, plurimasque una ſimul collectas perlegi obſervationes in Actis præcipue Medico-Phyſicis (*a*), ubi præſtantiſſimæ extant cardiacarum ægritudinum deſcriptiones tum ad immanem, eamque præternaturalem cordis amplitudinem, tum ad Aneuryſmata in præcordiis progenita ſpectantes. Cor itaque ibi videbimus non modo magnum, planum, minimeque globoſum, valde pingue, ponderoſum, eſangue, calculisque refertum fuiſſe obſervatum, ſed inverſum, diſtortum, unum habens ventriculum, duris tuberculis obſitum, atque hydatidibus refertiſſimum repertum fuiſſe, ita ut ejus magnitudo, quæ talis eſſe ferme ſolet, ut peripheria 14 longitudo ſit 6 & latitudo in baſe 4 pollices non excedat, non ſolum juſto minor, ſed multo major reperta ſit, uti in abortu humano deprehenſum aliquando fuit, nec non in adultis hominibus, atque in canibus, quorum cor vitulinum longe ſuperans viſum eſt. Talia vero cum Aneuryſmate haud raro copulantur, veluti de Aneuryſmate pulmonalis arteriæ dicendum foret cum auricula cordis dextera monſtroſa conjuncto, nec non de illo, quod in aorta aſcendente (*b*), & in externa carotide poſt auris helicem

(*a*) Hujus generis obſervata patent ſimul congeſta ex ſynopſi Kellneriana *Obſerv. Med. & Phyſ. Academ. Cæſar. Leopold. Carol. Nat. Cur. Norimbergæ 1739.*

(*b*) Non raro ſolet uſuvenire, ut conſtituto in aorta quovis impedimento innaſcatur etiam Aneuryſma, veluti præexiſtente polypo deprehenditur. Atque id in cadavere Caroli Patini obſervavit Alexander Knips Macoppe, qui polypum in aorta locatum eſſe reluctantibus aliis, qui ſe ad ægrum inviſendum contulerant, pronunciaverat. Quamobrem non abs re factum cenſeo, ſi quædam ex ejuſdem tranſmiſſa ad ægrotantem epiſtola nunc afferantur morbi argumenta, ex quibus illius ſedem, naturamque deduxerat, ceu inſtituta poſtmodum ſectio cadaveris præmonſtravit. Sic itaque in ejus epiſtola legitur, quæ Brixiæ anno 1731 denuo lucem aſpexit §. III, pag. 3. *Quæ ergo*, ait ille, *ex morboſa iliade excerpſi hæc ſunt : Te ſcilicet ex valida & activa conſtitutione ſexagenarium factum, ſollicitudinum varietate, ac litterariis laboribus attritum, vitaque ſedentaria emollitum, duobus abhinc annis in faciei pallorem, cachecticum habitum, & aliqualem extremorum emaciationem inclinaſſe, cum pulſu inæquali & perturbato, ac Dyſpnœa, præcipue dum per plana inclinata digrediebaris, Ptyaliſmo aliquando copioſo, albo, viſcidulo, nulla vel tenui tuſſi, nullo dolore, aut pondere in præcordiis, vel in dilatatione, aut conſtrictione thoracis ſenſibili, nulloque ſonitu, aut ſtertore in reſpiratione, ſed cordis anxietate, tremore, vel levi palpitatione per vices exacerbatis : quibus affectionibus phlebotomia, catharticis, bechicis, ac ſudorificis mederi conſilium cum fuerit, in hypocauſto excitato ſudore, omnia ſymptomata exaſperata fuiſſe, ita ut Orthopnoicus ſummo vitæ diſcrimine*

repertum legitur, modo ex violenta in pilæ luſu commotione, modo ex interno vulnere, modo demum ex vehementi tuſſi dependens. His quidem perſpectis, ad alia non inutilia progredimur.

---

factus fueris, a quo repetita venæſectione emerſus, etſi per viginti circiter dies ſymptomata omnia parum relaxari viſa ſint, denuo tamen ſenſibilem cordis palpitationem, reſpirationem concitatam, anheloſam, ac cum efflatu, uti feſtinantibus, ac præſocatis contingit, inordinatim, etſi noctu præſertim, vel quacumque levi corporis inclinatione, & membrorum agitatione recurrentes, cum pulſu continuo inæquali, deficiente ac recurrente exacerbatas fuiſſe, quibus etiam recrudeſcentiis repetitam phlebotomiam, quæ ſanguinem denſæ texturæ, cum craſſamento glutinoſo ad inſtar membranæ ſuperextenſo exhibuerat, uti in inflammatoriis affectibus apparet, opem tuliſſe fertur. Quum autem publico ſpectaculo exponendum occurreret inſigne cadaver, quod vivendo litterarius orbis adoraverat, virumque decebat, qui admodum publicæ utilitati indulſerat, permulta ſeſe obtulerunt examinanda, quæ ex eadem epiſtola depromuntur. *Primo itaque* (ſic laudatus loquitur Auctor §. LVI, pag. 71) *diducto ſterno, nulla aquarum eluvies in thoracis cavitate viſa eſt; ſolummodo dexter pulmonum lobus a ſterno ad vertebras, uſque valida membranula pleuræ adnatus erat. Hinc producta ſectione, perluſtratis infimi ventris viſceribus, nulla labes, præter jecur tetro quodam rubore ſuffuſum, cyſtim felleam collapſam, bile ſemioppletam, lienque potius extenuatum emicuit. Spiritalibus ergo viſceribus exemptis, pertractato pulmone, in nullam tenſionem, duritiem, vel conſiſtentiæ inæqualitatem impigimus, & diverſimode diſſecto ab interna ſubſtantia, nil præter condenſatum cruorem effluebat, nullà vomica, vel tuberculo enitente, nulla phlegmatis maſſa intra bronchiales fiſtulas intercepta. Verum ad cor accedentes arteriam magnam ita dilatatam offendimus, ut aliud cor in pericardio concluſum æmularetur; cum etiam tunica diſſecta corpus cordi ſimile erueretur. Hujus tamen textura diligentius examinata, polypoſam eſſe concretionem comperimus. Excedebat namque anſerini ovi grandioris magnitudinem, trium quatuorve unciarum pondus exæquans, figura cardui cinaræ fructui haud diſſimilis, tendinoſis principiis, brevibusque productionibus, aortæ radicibus ſupra ſemilunares valvulas innixa baſi; deinde latiori ventre ſoluto in ſerratum vel laciniatum apicem deſinens, ad divaricationem uſque arteriæ porrigebatur; haud tamen aortæ parietibus quaſi cartilagineis ita coaptata erat, quin relictis rimulis quædam liquidi quantitas non interflueret. Subſtantiam æram ferens rubedinem, ſpongioſa, ſeu fungoſa potius percipiebatur, quæ in viginti amplius cortices, ſive laminas membranoſas diſtincta glomum involutarum membranarum referebat. Exterior cortex durior & tuberoſus erat ex fibrarum faſciculis proſilientibus, & in nodos quoſdam collectis. Interiores vero fere undique ſimiles tortuoſum, ſeu anfractuoſum ductum aortæ dilatatæ diametro ſubtriplum, mollibus columnulis ſanguine turgidis & ſinuoſis flexibus interpoſitis, uti cordis interiores parietes, variegatum, levique muco oblinitum, & grumis ſanguinis infarctum exhibebant, qui intra aortæ cavitatem alteram arteriam efformabat. Denſior textura, & quaſi cartilaginea ad baſim erat ſenſim ac ſenſim gracileſcens, quouſque ad apicem friabilis ferme evaderet. Unum tantum fibrarum genus microſcopio etiam deteximus a baſi ad apicem oblique & ſpiraliter quaſi excurrens, inordinato tamen & interrupto ductu a tendinoſis quibuſdam vinculis ſeu filamentis, quæ fibras in membranulas extenſas ita colligabant, ut braſſicæ capitata folia repræſentaret, intermixtis pluribus poroſitatibus, ſeu alveolis ichore ſanguineo refertis. Hinc apertis cordis ſinibus dexter inanis erat, ſiniſter grumis ſanguinis infarciebatur, polypoſis rudimentis intra columnas tendinoſis radicibus inſertis, a quibus haud ſine laceratione divellebantur. Siniſtra auricula ita coagulato ſanguine replebatur, ut ſeroſitas ipſa immixta ſecederet. Pericardium nec flatu, nec aqua diſtentum erat, imo exhauſtum conſpeximus.*

PARS TERTIA.

§. LXVII.

Curationis institutio.

Parum, aut nihil profecto ægrotantibus videret opitulari, ſi præcipuis adductis frequentiſſimi morbi cauſis, ejuſdemque pravis effectibus, ſeorſum circa curationem, quomodocumque conveniat, pauca quædam haud inutilia ego ipſe tacitus præterirem. Quum autem nequicquam a curativa medendi methodo quempiam impetrari poſſe ingenue fatear, majorem tamen vitæ longævitatem a conſervativa fore exſpectandam reor, etſi ex utraque ea petenda eſſe credendum ſit, quæ non modo adductum morbum lenire valent, vel ea eruenda, quæ diuturniorem præexiſtente adhuc morbo lucis uſuram & valetudinem reducem pollicentur. Errata quædam haud magni momenti evitari facile poſſe exploratum eſt, quandoquidem ſedulitas adhiberi velit, cum illa quoque nonniſi difficulter prænoſcenda attentionem quamdam promereantur, cujus auxilio præcaveatur ægritudo, ex qua vix evadendi locus fortaſſe ſupereſt cum procax incœperit. Quamobrem licet abſoluta & tuta ſimul nequeat inſtitui curatio, duo tamen maximopere proficua tentanda ſunt, atque a prudenti Medico ægrotis inſinuanda, quæ in hoc ſita eſſe videntur, ut determinatæ nimirum præcautiones, quæ exitialem morbum impedire valent, niſi aliquod interponatur impedimentum, uſurpentur, eaque neutiquam contemnantur, queis vigente jam morbo longius vitæ ſpatium deducitur eſſe tribuendum. Quum vero dupliciter præcordiorum Aneuryſmata conſideraverim, quatenus nimirum in infantia exoriuntur, & in virilitate palam fiunt (§. XXVIII), nec non conſiſtente jam ætate graviora evadunt (§. LXII), duplicem & accuratam adhibendam methodum cenſeo, ex qua, ſi fas eſt, morbi leniatur ſævities, vitaque longior abſque ullo nanciſcantur ægrotantes incommodo, ſiquidem patet, prolatos affectus, ni recruduerint, ad plures annos

annos protendi (*a*). Ad impedimenta in iis removenda, qui facilius ex ea, quam nacti ſunt, corporis imbecillitate cardiaco ſuccumbere creduntur Aneuryſmati, plurima conferre perſpectum eſt. Verumtamen optima tractandæ pueritiæ ſolertia exigenda eſt a parentibus, ne in puerorum corporibus morbus, qui nuſquam extiterit, repente naſcatur, utque fibrarum debilitas, ſi quæ prægreſſa fuerit, protinus abigatur. Quod ſi bona primordia obtinuerint puerorum corpora, & in eorumdem incremento nullus error acceſſerit, tunc morborum ſemina, ſi quæ forte delituerint, infringentur, aditusque aliis intercludetur. Præcordiorum Aneuryſmata in ipſa quandoque fieri pueritia demonſtratum eſt, ac ſupra cætera ciborum delectum non probe conſtitutum hujuſcemodi paulatim ægritudines producere poſſe adnotavimus (§. XXIX) : Quemadmodum itaque ex hoc fonte affectiones adductæ cumprimis promanant, animadvertenda nonnulla ſunt, parentibus aliisque puerorum cuſtodiam habentibus neceſſaria, quæ ſi attento ipſi animo cogitarent, non tam frequenter filios valetudinarios intuerentur.

§. LXVIII.

LAC DIU INFANTIBUS EXHIBITUM.

PRAVA apud nonnullos invaluit conſuetudo, ut perpauco nimirum temporis intervallo lac infantibus propinetur, cujus ſumptioni malorum miſcela ciborum nullis adhibitis cautionibus adjungitur. Univerſa proinde puerorum machinæ compages ſaluberrimo orbatur alimento, cujus vices alios arduæ digeſtionis cibos explere conſueviſſe proſpicimus. Nunquid ergo progreſſiva optime accretio fiet, ſi neceſſaria perfrui ſubſtantia puer prohibeatur, dum alia quæcumque diſſimilis prorſus indolis deferuntur ? Minime gentium. Nulli dubium, quin fibrarum laxitas tunc exoriatur, dum ætati adverſa materies ingeritur : Ut namque ſatis fortes evadant fibræ, materies

(*a*) Fœmina in juventute contractum Aneuryſma ultra 50 annos ſoſpes geſtavit. Vid. *act. Erudit. Lipſienſ. an. 1692, pag. 220.* Tunc autem quædam veluti curatio a natura promovetur, quæ artem in propriis operibus longe ſuperat : vel enim Aneuryſmatis parietes calloſi fiunt, vel naturalis quædam peragitur compreſſio, vel aliud quidpiam paulatim agnoſcitur ægrotantibus contigiſſe, quod præcipitem morbi hujus eventum comitari nequaquam debuiſſet. Vid. *Lanzoni Oper. Tom. III, pag. 420. Lauſannæ 1738.*

adeſſe debet, quæ prægreſſis viſcerum omnium, omniumque vaſorum actionibus poſtremæ elaborationis perfectionem juxta bene valentis corporis leges adepta ſit (*a*). Quoniam vero nil ætati nondum conſiſtenti lacte utilius agnitum fuit, hujuſcemodi fraudandus puer minime videtur ſubſidio ad diuturnum uſque tempus protracto, donec major illi firmitas, majorque vigor advenerit, cum probe noverint Phyſico-Medici, ea, quæ ingeruntur, debere majori minorive tenacitate ſua viribus aſſimilantibus reſpondere, ne corpus gravetur potius, quam reficiatur. Quapropter nonniſi temere & inconſulto videntur agere, qui ad novem, ſive decem vix menſes pueros ſolo enutrire lacte aſſueverunt, & quandoque una cum illo perarduæ ſolutionis cibos ipſis oſcitanter exhibent ingerendos. Humanam induit naturam maternum lac, ſi bene fuerit in fœminarum mammis fabrefactum, quia pene omnibus utiliſſimum infantibus eſſe quotidiana nos edocet obſervatio. Illis itaque ſuccenſendum non eſt, qui ad multos menſes propinandum illud eſſe pueris arbitrantur. Si quid vero haudquaquam commendandum cenſerem, illud profecto eſt, quod nimirum non defuerint, qui animantium lacte, potius quam materno enutriendos eſſe pueros aſſeverare minime dubitaverint, ea adducti ratione, quod nempe animi pathemata communia mortalibus vitari queant, ſi ab exſugendo materno lacte abſtinuerint. Ego equidem illo deficiente utique fateor ad animales tuto confugiendum eſſe, cum illorum quoque lac partibus ſcateat optimum balſamum redolentibus: Notum etenim eſt, quantum in graviſſimis quibuſque morbis juvamen porrigat, ſi exhibitum fuerit opportune. Sed inſuper adnotandum eſt, humano lacte quam plurimis brevius & tutius mederi affectionibus, præcipue ad Phthiſeos, Atrophiæ, atque Hecticæ claſſem referendis, ceu præſtitum eſt a veteribus, quos multum commendat Galenus (*b*), qui eos fuerat imitatus.

(*a*) Fibrarum fortitudo, præſertim in oſſibus, talis eſſe poteſt, ut oſſa nonnulla immenſam exigant vim, ut ab externa preſſione diſrumpantur, velut in oſſibus pelvis oſtendit Deſaguliers: *The bones*, ait ille, *mark'd, which compoſe the cavity call'd the Pelvis, contain a bony circle or double arch of ſuch ſtrength, that it would require an immenſe force to break them by an external preſſure directed towards the center of the circle, or the middle of the Pelvis. It is alſo to be obſerv'd &c.* A Courſe of experim. Philoſ. Vol. I. lect. 4. an. pag. 257. London 1734.

(*b*) *Οι παλαιοι δε και γυναικα θηλαζουσαν εφιστων τοις τη φθοη καμνουσι, καγω δε αποδεχομαι την γνωμην αυτου, οτι τε το οικειον ηγουντο, και οτι πριν ψυγηναι τω περιξ αερι.* Γαλην. Θεραπευτ. μεθοδ. κεφ. ιθ.

§. LXIX.

Nutricum cautiones.

Illud vel maxime in iis, quæ lac præbent, ſedulo curandum eſt, ut pravos appetitus, atque animi pathemata ſanguinem alterantia minime conſectentur, ſaluberrimum ac uniforme regimen amplectantur, robuſtæ ſint, bonoque lacte affluant, nullisque morbis conflictentur, &, ſi fas eſt, a propudiis amplexibusque virorum abſtineant (*a*). Hæc ſi adhibeantur cautiones, aliæve a viris doctiſſimis propoſitæ, optima nutrix habebitur. Unam tamen iſtis nullimode detrectandam adjiciendam cenſeo, ex qua emolumenta non pauca nutrix, atque puer haurire valebunt, ut videlicet quæ lac præbent ſelectiorum vegetabilium uſum non deſpiciant: Tunc namque optimus eorumdem ſuccus puero lactenti communicabitur, & morbis, qui ex eorumdem abſtinentia promanant, non conflictabuntur. Si vero hiſce peractis, maternoque lacte, donec adfuerit, exhibito, ad illud, quod ex animantibus exſugitur, gradus fieri velit, uſque dum longius abſolvatur ſpatium, haud improbandum videtur: Ipſi etenim animantes optimis quibuſque veſcuntur vegetabilibus, e quibus nonniſi ſaluberrimus ſuccus emergit. Hinc penes lectores judicium ſit, quanam fretus ratione ſemper animantium lac cenſuerit infantibus propinandum recentiſſimus Auctor, qui communicationi pathematum nimium fortaſſe videtur tribuere (*b*): Etſi enim nova quædam effatum eſſe appareat, hæc tamen naturæ legibus adverſari

---

(*a*) Communem tum a Græcis, tum Latinis Medicinæ Scriptoribus prolatam ſententiam ad uſque noſtra ſæcula delatam Proſper Martianus primus, quantum ſciam, voluit improbare, cum ex Hippocratis mente, ut ille ait ad *lib. de Nat. Puer. v. 250*, nutrices a virili concubitu arcendas eſſe denegavit: Ait enim, quod *non recte ſentire videntur illi, qui coitum nutricibus prohibent, lac inde vitiari exiſtimantes, coitu enim mediante motus concitatur in utero, a quo lactis generatio dependet, & ex coitu alacritas inducitur mulieri .... imo ſi veneri aſſuetas abſtinentia tantopere lædit, quod viro orbatæ quotidie experiuntur, quæ variis morborum generibus fiunt ſubjectæ, nutrices a proprio viro penitus ſegregare non eſt tutum.*

(*b*) *D'ailleurs les Peres & Meres nourris de la chair des bêtes, on mis aſſez d'analogie entre le lait de celles-ci, & le tempérament de leurs enfans. La même proportion paroit ſubſiſter entre l'uſage de la chair des animaux dans l'âge de l'homme, & celui de leur lait dans l'état de l'enfant à ſa naiſſance, avec cette différence, que le lait des beſtiaux eſt à tout âge la nourriture la plus ſaine, & la plus propre à être changée dans notre ſubſtance; auſſi voit-on des corps altérés, & épuiſés par les maladies, & l'exercice immodéré des paſſions, ſe rétablir avec l'uſage de ce lait ſeul. Et s'il peut avoir une efficace ſi merveilleuſe ſur des tempéramens, qui ont pris toutes ſortes de plis, & d'habitudes depravées pendant plusieurs années, que n'auroit-on pas lieu d'en attendre*

videntur, ex quibus perſpectum eſt, lac fœminis ad alendos homines tributum fuiſſe; animantibus vero, ut propriæ ſobolis inſerviat nutritioni, & in alios vitæ uſus ad depellendos præcipue morbos traducatur, quando illud, quod in mammis gignitur fœminarum, nequeat uſurpari, tuncque hujuſce defectus ab animalium lacte ſupplebitur. Hujuſmodi demum ſi compleantur, raro admodum pueri debili fibra pollebunt. At in eo inſuper inſudandum eſt, ut nempe poſt abſolutam lactis ſumptionem illico ad cibos difficile in ventriculo dirigendos ſolvendosque minime gradus fiat: Tunc enim non modo circulatio poteſt intercipi, ſed & organa triturationi ciborum dicata enervabuntur, tenellumque adhuc corpus facillime diſponetur ad alterationes momenti non exigui ſubeundas (*a*). Prioribus itaque menſibus animantium carnes interdicendas illis eſſe arbitror, ac potius recentia propinanda in intervallis vegetabilia, poſtquam juſculi, pultisque, aliarumque facile ſolubilium rerum neceſſariam quantitatem acceperint cum lactis uſu conjunctam; quod tamen haud novum videbitur, ſi elapſa retro ſecula colluſtrentur (*b*). Tunc itaque non modo ſcorbuticas affectiones, aliasque quam plurimas ipſis familiariſſimas evitabunt, ſed optimum corporis habitum nanciſcentur. Ac profecto cum teneriorem plurimis eduliis vegetabilium eſſe texturam appareat, tunc minor requiretur vis, dum in ſtomacho diſſolvuntur (*c*). His aliisque conſtitutis, quæ non eſt hujus loci in medium afferre, clare patet, quam plurimos a pueris evitari poſſe conatus laxam reddentes fibrarum texturam, dummodo in internis corporum cavitatibus exorti fuerint.

---

pour le bien de l'enfant, qui vient de naître, dont le corps mou eſt pliable à toutes ſortes de modifications? Et d'ailleurs ètant deſtiné à s'accroître, on voit quel avantage c'eſt de ne former cette augmentation de ſubſtance, que d'une addition de parties auſſi douces, & auſſi balſamiques. Vid. *Traité de la communication des Maladies, & des paſſions; avec un Eſſai pour ſervir à l'Hiſtoire naturelle de l'Homme. Par Monſieur *** Tr. IV, chap. 1, pag. 198. A la Haye 1738.* Auctorem hujus libri ait D. de la Mettrie *Penelop. l. p. 83*, eſſe Abb. Moreau de S. Elie. Confer. Alb. ab Haller in Adnot. ad *Meth. Stud. Med. Herm. Boerhaav. Amſtelodami 1751*, ubi de Phyſiol. & Pathol. agit.

(*a*) Diuturnæ lactationis experimentum Pharmacopæus Piſtorienſis tentare in proprio filio conatus eſt, eo quod ad uſque triennale ſpatium, non abſque magna imperitorum admiratione, eidem lac propinandum conjugi decreverit, ut exinde ad alia facile digerenda, & lacte ipſo aliquando permixta tranſitus fieret; quod bene ceſſit infantulo, qui vegetum adeptus eſt corporis habitum, & perſpicacis indolis pollicetur eventum.

(*b*) *Lacte mero veteres uſi narrantur, & herbis.* Ovid. Faſt. l. IV.

(*c*) *La differenza conſiſte principalmente nell' eſſere le parti freſche delle piante di molto più tenera teſſitura, che quelle degli animali, e perciò molto più facili a ſtritolarſi, &c.* Cocchi Diſc. del Vitt. Pitagor. Firenze 1743.

§. LXX.

Cautiones quædam alterius generis.

Allatis tamen non obſtantibus, neque rite uſurpatis, decumbenti ægroto valedicendum non eſt, licet efformato jam Aneuryſmate nullus evadendi ſuperſit locus, ſed illi nihilominus, quoad fieri poteſt, juvandum; certum ſiquidem eſt, ea, quæ in minoribus vaſis locantur Aneuryſmata diutius protrahi. Jam nullum ex arte Chirurgica ſperandum remedium eſſe perſpectum ſit conſideranti, ſi morbus præcordia torqueat, cum quidquid Aneuryſmaticum ibi adeſt, acus nulla conſuere poſſit. Symptomatum quidem compeſcere ſævitiem Medici munus eſt, ut exinde vitæ protractio, quoad fieri poteſt, obtineatur. Itaque non modo improbus labor, qualiſcumque ſit, vitandus eſt, nec non cætera præcavenda, quæ abſolute noxia deprehenduntur, at ea ſunt uſurpanda, quæ vitæ longævitatem abſque ſævitie ſymptomatum pollicentur. Verumtamen internæ cardiacorum Aneuryſmatum cauſæ diverſe agunt, prout ad agendum diſponuntur, ſive quatenus multiplicis generis diſpoſitiones humano extant in corpore, dum illæ ad majorem minoremque vim exerendam aptæ eſſe videntur. Non igitur eadem ſemper pollebunt ſævitie ſymptomata, adeoque juxta eorumdem ingraveſcentiam neceſſariæ præcautiones ſunt dirigendæ. Quum autem perarduum ſane facinus ſuſcipiendum eſſe videatur, ſi ea, quæ attigimus, ad quoſdam veluti canones referri velint, hinc quædam dumtaxat occurrunt conſtituenda, quæ quovis morbi tempore tentari poſſunt.

§. LXXI.

Sanguinis missiones.

Quoniam itaque arteriæ alicujus Aneuryſma ſubire incipientis pulſatio concitatior adeo perſeverat, ut ambigi non amplius queat Aneuryſma adfuturum, tunc ſanguinis quantitas, ſimulque qualitas expendenda eſt: Ego namque arbitror, Medicum aliquatenus ægrotandi ex prævio utriuſque examine profuturum. Ac profecto dum amplior paulatim fieri cœpit arteriæ diameter, jam illa portio arteriæ, ubi id contigerit, majorem includit ſanguinis quantitatem modo

grumeſcentem, utque aliis placet, ſanioſam (*a*) modo vero in polypoſam ſubſtantiam degenerantem (*b*) tractuque temporis adeo tumidam, ut, quidquid ibidem continetur, non amplius ex vi circulationis diſſipari queat. Quamobrem ſanguinis miſſionem perperam videntur inſtituere qui autumant, ex imminuta ſanguinis maſſa obſtacula, quæ præextiterant, removeri, niſi ad uſque deliquium animi inſtituant, veteres Galenicæ Scholæ aſſeclas imitari volentes, ut fractis nempe cordis viribus imminuatur exinde pulſatio; quod quidem eſſet maximopere improbandum, quandoquidem Syncopes & Lypothymiæ admodum contumaces exſpectandæ forent interitum exinde proximum inferentes. Cæterum ſi mediocris inſtituatur evacuatio vel ipſa permanente plethora, majori ſemper aget momento ſanguis e ſiniſtro cordis thalamo in arterias protruſus (*c*) atque ex

(*a*) Hallucinantur profecto, qui abſolute decernunt, quidquid nempe in Aneuryſmatico tumore reperitur tandem aliquando putreſcere, & in ſordeſcentem amurcam mutari: Nam etſi quandoque id ex aliis cauſis contigerit, ſtatuendum tamen minime videtur, id ſemper propemodum eventurum. Et ſane quamvis humorum major alluvies in dilatatione arteriarum cernatur, hi quidem humores haud facile corrumpuntur, quia, quid enim corrumpitur, propria debet pomœria prætergredi, & alias in cavitates effluere ſibi non proprias, uti de illo verificatur humore, qui in ventrem delabitur. Ego ipſe ab experientiſſimo D. Franc. Pieratti olim in Piſtorienſi Noſodochio Chirurgiæ præceptore nunc Romæ Chirurgiam ipſam exercente coxendicis ſectionem ſum intuitus, quæ vitari nequibat ex ſatis manifeſto poplitis Aneuryſmate, quod poſt ſectionem abſciſſum 16 ſanguinis continere libras viſum eſt, grumeſcentis quidem & nigricantis, non autem ſanioſi, neque corrupti, etſi ex multo tempore idem ſanguis ibidem latuiſſet: Nova enim accretio corruptioni reluctatur, & ope circulationis diſcutitur quidquid corrumpere valeret quantitatem ſanguinis univerſam.

(*b*) Sanguinem, qui in tumore Aneuryſmatico reperitur, propriam quandoque fluiditatem aſſervare poſſe teſtantur viri doctiſſimi. Vid. *De Gorter Prax. Medic. Syſt. Tit. I, §. 56, num. 3. Harderowici 1749.*

(*c*) Vid. *Bellin. De ſang. miſſ. prop. I & II. Venetiis 1732.* Patet poſt copioſam ſanguinis miſſionem arteriarum pulſationem debiliorem evadere, ſed aliquando de aucta velocitate dubitari nequit, veluti in canibus obſervavit Lowerus *De corde P. I. Londini 1669*, & in equis Haleſius *Animal Statiks* §. 2. 22. *London 1733.* quod etiam in fœmina uteri *hac* Hæmorrhagia laborante confirmavit Robinſonus *Animal Œconomy Prop. 42. London 1738.* Quamvis autem appareat aperta vena ſanguinem illius, & proximarum venarum novum adipiſci gradum velocitatis, tamen huic rei non pauci opponuntur, ut Hambergerus *De ven. ſect. n. 43. Jenæ 1729.* quia neglexerunt velocitatis augmentum a ſanguinis miſſione productum, quod eſt ut 200 ad 201. Inter hos recenſeri poſſunt Queſnay *ſur la ſaignée, A Paris 1730.* Senac *Traité du cœur, & Lettr. ſur le Choix des ſaignées, A Paris 1730.* Chevalier *Obſervations critiques ſur le traité des ſaignées, A Paris 1730.* Buttler *eſſay on blood Letting, London 1734.* Langrish *Moderne theory and practice of Phyſic, London 1738.* Martin *De la phlebotomie, & de l'arteriotomie, A Paris 1741. Jackſon De vera phlebotomiæ theoria Londini 1747.* Wattes *Of revulſion and derivation. London 1754.* &c. &c. Sed velocitatem in venis animalium revera creſcere majoremque fieri quam in arteriis, eamdemque in ipſis etiam arteriis augeri auxilio LXXVII experimentorum oſtendit nuperrime Hallerus *Mémoires ſur le mouvement du ſang & ſur les effets de la ſaignée ſect.* VII. &c. A Lauſanne 1756.

adaucta ejuſdem vi ſyſtalticus & diaſtalticus arteriæ motus ſubcreſcet, & latior evadet Aneuryſma. Quare ſemper propemodum a tundenda vena abſtinere ſatius eſt, ejusque loco ſanguinis craſſities, ſi qua ineſt, leniter diſcutienda, ne inſignes metaſtaſes fiant & inſuperabiles, quæ ubi latior evaſerit diameter, paulatim depoſitæ, tumorem jam innaſcentem amplificent. Quum autem in motum agere corpus ægrotantes prohibeantur, hinc plethora paulatim augetur, quæ ad mittendum ſanguinem Medicos neceſſario compellit. Hinc ſi ſanguinis mittendi neceſſitas urgeat, hic e minoribus vaſis educendus videtur, ne majoris momenti ſymptomata pateſiant. Negligendum autem illud non eſt, etſi non ſemper ſit neceſſarium, quod ſcilicet in parte ſemper oppoſita inſtituatur ſanguinis miſſio, ut ſi vel polypus, vel Aneuryſmaticum vitium in dextera parte conſtiterit, ſanguis e ſiniſtra mittatur, & viceverſa. Tunc enim ſi quis ſanguinis adauctus motus deprehendatur, minorem ſemper exeret vim, neque illico ſubitanea pateſient incommoda.

§. LXXII.

ANIMADVERSIONES.

Ad hoc ut vera Aneuryſmatis jam efformati idea obtineri queat, ſupra cætera expendendum occurrit, utrum pulſatio, quæ in loco ex Aneuryſmate affecto perſentitur, ictum habeat præternaturalem, qui diu perſiſtat, conjunctamque habeat vibrationem. Hæc non raro æquivoca ſunt aliosque mentiuntur morbos & niſi prævio ſubjiciantur examini, non ita confeſtim oſtendunt, Aneuryſma jam efformari cœpiſſe, cum aliorum evadant cauſæ morborum, qui falſa cohoneſtantur imagine. Quare ſimplex in præcordiis palpitatio ab ea diſtinguenda eſt, quæ exiſtente Aneuryſmate perſentitur: Tunc enim ſanus evadet infirmus, qui tamen cito curandus eſt, ne ex ſimplici palpitatione ad Aneuryſmaticum vitium tranſitus fiat: Nam ex aſſidua, eaque non interrupta concuſſione vaſa ſenſim debilium corporum infirmantur, atque eorumdem vires protinus infringuntur. Accidit ergo, ut grandiuſculo jam mole ſua Aneuryſmatico efformato tumore, vix incœpiſſe credatur. Miſſo itaque ſanguine ejuſdem impetus augebitur (§. LXXI), quo quidem adaucto in interna, & glabra arterioſi canalis ſuperficie major evadet impulſus. Quum vero

in ſpatio ex dilatatione tunicarum producto, ſi magnum præcipue fuerit, multum ſanguinis contineatur grumeſcentis, coagulati, vel polypoſam ſubſtantiam repræſentantis, quædam in hujuſcemodi ſpatio aderit reſiſtentia, ex qua, ſuperveniente ſanguinis impetu, iſtiuſmodi ſpatii ambitus magis magisque extendetur, obortumque ſubcreſcet Aneuryſma. Id autem eo magis periculum minitabitur, quo grandior tumor eſt in aliqua arteriæ portione productus, vel ſi quidquid ibidem continetur, oſſeam ac petrificatam ſubſtantiam repræſentaverit, quam in aortæ tunicis ſe obſervaſſe teſtantur Cowperus & Cheſeldenus (*a*), quamque lapideſcentem in Zootomicis peragendis inquiſitionibus in cane deprehendit Nicolaus de Blegny (*b*) cordis ſubſtantiam occupantem. Denique illud addendum eſt, quod nempe ex cardiaco Aneuryſmate magis ægrotantes ex miſſione ſanguinis periclitantur, propterea quod ex proximo corde major actio conſequitur.

§. LXXIII.

EXEMPLA ÆGRITUDINUM, QUÆ CUM ANEURYSMATE CONJUNCTÆ NON SEMPER VENÆ SECTIONEM EXIGUNT.

IGNORATUR inſuper a nonnullis, utrum ex cardiaco Aneuryſmate alius produci conſueverit morbus; quinimmo deprehenſum eſt, hujuſcemodi ægritudinem alias diverſi generis, ut Hæmoptyſin, Hypochondriam atque Hydropem comitari (*c*). Ad ſupra cætera illa vel maxime expendenda occurrunt, quæ contingere haud raro videmus. Multoties ego ipſe vidi, quod jam ab aliis fuerat obſervatum, Hydropem nimirum pectoris in iis, qui adducto corripiuntur morbo, innaſci quandoque conſueviſſe. Si itaque Hydrope inchoante, obſcuriſque manentibus ſupervenientis hujuſce affectus indiciis, mittatur

(*a*) Vid. *Of the Philoſoph. Tranſ. Abridgment. Tom. II.* Aortæ principium cartilagineum oſſeumque in diſſecando fœminæ ſeptuagenariæ cadavere, dum petechiales, eædemque epidemicæ Vindobonæ graſſarentur febres, obſervavit Haſenöhrlius *Hiſt. Medic. Morb. epidem. ſive febr. Petech. quæ ab an. 1757 ſer. finient. uſq. ad an. 1759 Viennæ graſſata eſt &c. pag. 64. Vindobonæ 1760.*

(*b*) Vid. *Act. Erudit. Lipſ. an. 1682. pag. 221.*

(*c*) Hujus rei peculiare præbet exemplum Maximilianus II, in quo (poſtquam cor ſupra viginti annos palpitationes maximas perſenſiſſet) ſupra duas menſuras aquei humoris in cavitate pectoris relictas eſſe compertum eſt. Vid. *Hiſt. Morb. Uratislav. De Hydr. pect. pag. 434. Lauſannæ 1746.*

tatur ſanguis, certiſſimum profecto eſt, attendendum fore proximiorem ægrotantis interitum: Nam præter ea, quæ in medium adducta fuerunt incommoda, utriuſque morbi exacerbatio ſymptomatum pertimeſcenda eſt. Porro cardiaca jam conſtituta affectione uſuvenire poteſt, ut ex miſſione ſanguinis Hydrops, quo æger forſitan caruiſſet, repente ſuccedat: Sanguinis etenim velocitate ex ſanguinis miſſione aucta (§. LXXI), lymphatici humores ad ea, in quibus detinentur, prætergredienda pomœria facilius quam antea aptiores evadent. Id ipſum de Hydrocardia decernendum occurrit, quandoquidem præternaturali poſita cordis amplitudine hujus indolis affectus innaſcitur (§. VII. XXIII). In viro circiter ſexagenario, cardiaco quondam Aneuryſmate laborante, nullum ſane aliud obſervabatur incommodum præter ea, quæ tales affectus comitantur ſymptomata, remiſſius quidem agentia. Sanguinem Chirurgus e brachio detraxit, ratus ex tali curatione initio morbi inſtituta pulſationem, quæ inſignis advenerat, ceſſaturam; quod tamen cum ſe nactum eſſe credidiſſet, alteram ex pede ſanguinis miſſionem peragere in animum induxit ſuum, ut cordis vires (veluti ille aſſeverabat) retundi valerent. Inciſione interim altera vice facta, dum ſanguis e vena proflueret en contumax Lypothymia, præpeditus decubitus, languor, inappetentia, inſignis in thorace gravitas, Orthopnœa & multiplex exortus malorum numerus, quaque jampridem præextiterant ſenſim exacerbata ſymptomata, ex quibus gradatim ingraveſcentibus ſubſecuta mors eſt, licet paulo ante fauſtam Chirurgus ægrotanti prognoſim polliceretur. Diſſecto cadavere verum Aneuryſma repertum eſt, at cum Hydrope geminato, utraſque nimirum thoracis & pericardii cavitates occupante, quod ante repetitas ſanguinis miſſiones non modo extitiſſe, ſed ne uſuvenire quidem poſſe Chirurgus ipſe ſomniaverat. Sed quotuſquiſque innocuam jactitabit in hoc ægrotante miſſionem ſanguinis, quandoquidem ſecluſis cæteris argumentis ſævities repentina ſymptomatum, quæ illico ſupervenerat, eventus affert ſecuritatem? Quum itaque ſanguis ex optima conſtitutione in pravam quandoque naturam degeneret, exinde morbi exitiales contingunt. Quamobrem ſi eroſivum quoddam principium in ſanguine delituerit, ceu fieri poſſe teſtantur Lanciſius (*a*), Morgagnus (*b*), atque Leprotus (*c*), ex

(*a*) *De Mot. Cord. & Aneuryſm. l. I. Prop. 5. & l. II. Prop. 19. Lugdun. Batav. 1740.*
(*b*) *Adverſ. Anatom. II. Animadv. 41. Lugdun. Batav. 1623.*
(*c*) Vid. *Inſtit. Bonon. Comment. Tom. I. pag. 347.*

hoc efformatum Aneuryſma ſubcreſcet & finitime corrodentur partes, quemadmodum in fœmina ipſe obſervavi, in qua claviculas carie corroſas ex Aneuryſmate pulmonalis arteriæ fuiſſe conjeceram auctoritate fretus obſervatorum, quos inter prætermittendus non eſt Ruyſchius (*a*), qui coſtas una cum ſterno ad nihilum deductas ex inſigni Aneuryſmate deprehendit. Opinor itaque, haud leve ſubſidium ad protrahendam diutius vitam ægrotantibus eſſe poſſe, ſi præcognita & adhuc extante hujus generis acredine, medicamina, quæ eamdem retundere, pravamque illius abjicere naturam queant, propinentur (*b*).

§. LXXIV.

Lactis et seri usus.

Lactis & ſeri uſum ſemper propemodum adnotavi, Aneuryſmate laborantibus profuiſſe, adeo ut, etſi jam ex morbo conclamatum foret, diuturnioris vitæ ſpes, quæ infirmis affulſerat, cum exſpectata diu majori lucis uſura conjungeretur. Neque is ego ſum, qui ſupervacaneam lactis, & ſeri analyſim ob oculos ponere, ſimulque elogia velim contexere: Eximiæ enim patent unicuique virtutes, quarum ope vel graviſſimus quiſque morbus removetur. Quod autem in adductis caſibus exſpectandum ægrotantibus eſt, palliativam (ut inquiunt) reſpicit curationem neutiquam a prudenti Medico contemnendam. Hæc vero, utut concipi velit, nonniſi in urgentium ſævitie ſymptomatum compeſcenda verſatur; quinimmo vel illud in votis habendum eſt, ut nempe nova haud oboriantur ſymptomata, quæ affectui calcar addere valeant deliteſcenti. Compertum eſt omnibus, deſcripto morbo obeſſe admodum poſſe intempeſtivam ingeſtorum ingluviem (§. LIV): Tunc etenim organa ciborum triturationi deſtinata valide ad ea, quæ ipſis competunt, obeunda officia diſponuntur, poſitaque valida hujuſcemodi actione, aliquid affertur moleſtiæ præcordiis, cum major exinde in arterioſis vaſis evadat motus, ex quo

(*a*) *Obſerv. Chirurg. Obſ. 37. 38. Amſtelodami 1691.*

(*b*) Quod ſi præter acredinem cognoſci poſſit incipiens coagulatio, acetum tot inutilibus medicamentis eſſe præferendum vis ejuſdem diſſolvens oſtendit, veluti confirmarunt præ cæteris Bœrhaavius *Elem. Chem. Tom. I, P. I, Proc. 50. Lugdun. Batav. 1732*, & Beneventus *De acet. vin. comment. Lucæ 1757.*

recrudeſcit Aneuryſma. Atqui ex lacte ſeroque enutritur corpus, atque dilutior fit ſanguis, quin arterioſis detrimenta vaſculis afferantur, ex quibus ægrotatio perſtans exacerbetur. Quoddam inſuper vehiculum additur ſanguini, cujus auxilio quidquid in Aneuryſmatico continetur tumore non tam facile dureſcat, & ad polypoſam naturam accedat. Neque illud poſtremo videtur prætereundum, ea nempe, quæ præter lac, & ſerum aſſumuntur, facilis eſſe debere ſuſceptibilia triturationis: Parum quippe, aut nihil proficeretur, ſi ea, quæ ad vitam ſubſtentandam adhibentur: arduam in ſe ſolutionem includerent.

§. LXXV.

Remediorum usus.

Quæcumque de Hypnoticis, Narcoticiſque circumferuntur a Medicis, opiatis præſertim, in efformato Aneuryſmate propinandis, nil ſane aliud emolumenti ægrotantibus videntur afferre, quam ut anodynam præ ſe ferat naturam, adeo ut ſi circa præcordia dolores identidem ſupervenerint, eoſdem lenire valeant, ſimulque refocillare ægrotantes, abſque eo quod defixandis ſpiritibus animalibus nihil appareat eſſe cogitandum. Quod ſi iiſdem uti quiſpiam velit, urgentibus doloribus uſurpanda Hypnotica leviora cenſerem, propterea quod ad æſtum ſanguinis compeſcendum, illiuſque motum hebetem inertemque reddendum apta videntur & promovendam perſpirationem. Opiata vero cordis & arteriarum laxare fibras, debilemque in ipſis inducere contractionem, concitatioremque coërcere ſanguinis motum a veteribus creditum eſt (*a*). At ab opio circulationem celeriorem potius fieri obſervationes demonſtrant, cum ſulphuream & alkalicam induat naturam. Opium inter venena, potius quam medicamenta, legimus recenſitum, licet apud Orientales populos frequentiſſime uſurpetur (*b*). Quamobrem, etſi promiſcuis quandoque

(*a*) Hallucinati profecto ſunt veterum nonnulli, dum hoc ipſum aſſeruerunt: Obſervationes enim oſtendunt, iis qui cordis palpitatione laborant, talia medicamenta ideo nocuiſſe, quia palpitationes majores reddunt & frequentiores. Prudenter itaque in cordis palpitatione ab opiatis eſſe cavendum Schombergius aſſeruit. Vid. *Aphor. Pract. pag. 37. Amſtelodami 1753.*

(*b*) Vid. *Lemery Dict. des Drog. à Paris 1737. Geoffroy Mater. Medic. P. II, art. 4. Pariſiis 1741. Cartheuſer Fund. Mater. Medic. Sect. XI, cap. 2, §. 3. Francofurti 1745.*

remediis uſi fuerint Medici, ab ejus uſu, quando fieri poteſt, abſtinendum arbitror, niſi anceps potius quam nullum, experiri remedium quis velit, dum videntur ægrotantes jam ad interitum properare. Ea inſuper, quæ nonnunquam prodeſſe mortalibus poſſunt, in eorumdem cedere perniciem non raro conſueverunt, niſi fuerint prudenter adhibita, idque non de opiatis tantummodo aſſervandum cenſeo, at de aliis quoque medicaminibus, quæ inopportune in quibuſdam morboſis affectibus propinata noxiam induerunt naturam, ipſisque præcordiorum vaſis evaſere infenſiſſima: Patuit enim ex obſervatis, Adſtringentia & Chalybeata medicamenta, nec non Mercurialia ipſa non rite propoſita nocuiſſe, ipſumque Peruvianum corticem, cæteroquin in Febribus intermittentibus proficuum, ſtagnationes in vaſis ultimi generis promoviſſe. Ex his itaque ſi vaſorum elaſticitas imminui poſſit, ipſumque fluidum affici, numquid & ipſo in corde, ipſique adjacentibus vaſis enaſci poterit impedimentum aliquod ad cordis amplitudinem promovendam, innatumque Aneuryſma exacerbandum accommodatum? Idem ſane de opiatis decernendum videtur medicamentis, quæ licet innoxia eſſe poſſint, ſi opportune præſcribantur, in naturam tamen minime proficuam commutantur, niſi caute ac bene parato corpori propinentur. Si ergo compeſcere Aneuryſmaticos, qui exurgere aliquando ſolent, dolores valeant, fieri poteſt, ut nervoſis propaginibus officiant, unoque curato morbi ſymptomate novus alter & praviſſimus morbus inſurgat.

§. LXXVI.

Usus rerum frigidarum.

Qualiacumque tamen proficua ægrotantibus eſſe poſſunt, nullo prædita tepore, ne dum calida, ipſis propinanda crederem, quandoquidem ex excedenti viſcerum calore adaucta proinde vaſorum actio conſequeretur. Optime autem videntur agere, qui aquæ frigidæ hauſtus talibus ægris identidem præbendos conſulunt, ut fibræ majus robur, majoremque nanciſcantur elaſticitatem, quæ parum diuturna foret, ſi quod eſt ex aqua gelida conſecutum, eduliorum calor perdurare non ſineret. Tanta profecto vis eſt quarumcumque frigidarum rerum ad partem affectam applicationis, ut Aneuryſma ipſum, citra arteriæ diſciſſionem conſecutum, in brachio ſervi cujuſ-

dam ex immiſſa ſuper tumorem nive ſanatum referat Bartholinus (*a*). Quidquid igitur craſſum & ad concretiones ſuſcipiendas accommodatum affatim hæret, ubi major eſt arterioſi vaſis diameter, non adeo feſtinanter augebitur, quinimmo pro varietate loci ſæpe ſæpius imminuetur: Craſſiores enim humores contractis ex frigore vaſis, in contigua retropulſi, circulationis viribus atteruntur. Neque ſecus pertimeſcendum videtur, ne ex hujuſcemodi frigore rubra ſaltem ſanguinis pars ad majus ſuſcipiendum coagulum diſponatur, cum ex corporis calore aquæ gelidæ vires retundi queant, & facultatem inſitam cohibere. Sanguinis vero ſerum abſque ullo coagulo ſuperſtes erit, cum longe majus requiratur frigus ad hoc, ut congeletur, ceu ex Thermometro Farenheitiano concluditur, in quo 28 circiter gradu concreſcit.

§. LXXVII.

Regimen in victu.

Tenuis denique victus ab iis exigendus eſt, qui ex Aneuryſmate infirmantur, ne nimia promoveatur ſanguificatio, ex qua, ſupervacanea adveniente plethora, fibrarum diſtentiones contingant, ſiquidem adnotatum fuit (§. LXXI), hujuſcemodi ægrotantes plethoricos, vel poſt enatum exinde affectum cardiacum, evadere conſueviſſe, quandoquidem corporis motus peragere prohibentur (*b*). Quum autem ſanguinis quantitatem neque imminutam nimis, neque affluentem eſſe oporteat, ut repentina morbi ſævities arceatur, hinc ſelectiori veſcuntur alimento ægrotantes, nec non ab iis omnibus abſtinebunt, quæ præcordiorum Aneuryſmata ſponte producunt, productaque exaſperant; quæ quidem, licet non tuta ſemper pronunciari poſſint, tamen prudentis eſt adhibere. Quæ igitur hucuſque ad publicam, privatamque Medicorum & ægrotantium utilitatem effari conſtituimus, peculiaria quædam præcordiorum vitia

---

(*a*) *De Niv. uſ. Med. Obſ. cap. 27, pag. 154. Hafniæ 1661.*

(*b*) *Laudata in iis ſobrietas, qui hoc morbo laborant* (id eſt Aneuryſmate) *ne aucta humorum copia, & cordis energia major arteriæ ſequatur expanſio, eo laudabilior eſt, quo minori data ſanguinis quantitate liberior a cavitate Aneuryſmatis aditus in arterioſum canalem patet; ſic prolixior ibidem mora concreſcibilis liquidi prohibetur, quo minus ad latera Aneuryſmatis cohærere, polypumque efficere poſſit.* Fantonus Obſ. Anat. Med. Obſ. 1, §. 10, pag. 5. Venetiis 1713.

reſpiciunt, non cuncta quidem, verum ea præſertim, quæ ſive ex præternaturali magnitudine cordis, ſive ex Aneuryſmate tam vero, quam ſpurio adhærentium ipſi vaſorum proficiſcuntur, quæque nonniſi ex aſſidua cadaverum inſpectione apparere conſueverunt. Veræ tamen hujuſcemodi affectuum cauſæ, etſi primo intuitu ex abuſu generaliori ſex non naturalium rerum deduci queant, aliquæ tamen inter has non omnibus obviæ, quinimmo falſis Empyricis incompertæ, veris luculenter obſervatoribus patefiunt, quæ ſedulam ſatis ſuperque extorquere videntur obſervationem : Iis namque omnibus conſtitutis, quæ peramplum reddere cor valent, nec non Aneuryſmata progignere, jam alia inſurgunt noſcenda non ſolum intus cor ipſum, ipſiusque arterioſis vaſis in omni propemodum humanæ vitæ oborta curriculo, at in ipſo ineuntis adhuc ætatis flore, atque in pueritia ipſa ſatius conſpicua, quibus ſi varietates quædam, cœlique mutationes ubicumque plus minuſque conſpicuæ ſuperaddantur, neque locorum cognitio deſpiciatur, jam perampla ſuperſtruitur morborum ſeges, ſive cor, ſive vaſa eidem proximiora ſollicitans, quin de Celtica lue, intempeſtivo ciborum eſu, exercitationibus & morbis quibuſdam innumeris ex incuria valetudinis propriæ manantibus aliud dicendum occurrat longam mehercule, quam Græci ἀνακεφαλαίωσιν nominant, redditurum. Ad quæ niſi rite curanda morborum genera, ſaltem compeſcenda, leniendaque, nonnulla ex adductis prodeſſe poterunt quovis vitæ, atque ægritudinis tempore Rationalibus Medicis haud perfunctorie conſideranda, quin ingenti medicamentorum numero ipſa ægrotantium corpora fatigentur.

DISSERTATIO ANATOMICO-CHIRURGICA,

DE

ANEURYSMATE;

OBLATA,

NOTABILE AORTÆ ANEURYSMA DIVULGANDI,

OCCASIONE,

QUAM

PRO GRADU DOCTORATUS,

PUBLICÆ AC SOLEMNI DISQUISITIONI SUBMITTIT

JACOBUS VERBRUGGE,

DELPHIS-BATAVUS.

Ad diem VIII Junii MDCCLXXIII. H. L. Q. S.

AD EXEMPLAR LUGDUNO BATAVUM.

Naſcentes morimur, natique hac lege ſalebras
Mille per horrentes mortis adimus iter.
A. van ROYEN.

PROŒMIUM.


Quum, monente Perſpicaciſſimo BAGLIVIO, *obſervationes artis Medicæ caput ſunt, omneque, quod ineſt certi Medicinæ, obſervationibus magna ex parte debetur* (*a*), *&, confirmante ſummo noſtri ævi Pathologo* GAUBIO, *Præceptore maxime venerando, certius nullum datur ſubſidium, quo obſcura clareſcant, dubia enodentur, corrigantur falſa, controverſa dirimantur, quam ſi hiſtoriæ omnium ac ſingulorum morborum integræ, ex plenis atque intaminatis Practicorum obſervationibus accurate concinnatæ, ante oculos habentur* (*b*), *nec injucundum fore, nec inutilem plane me præſtiturum operam credidi, ſi notabile Aortæ Aneuryſma deſcriberem, quod in Noſocomio Delphenſi, vivente ægra, ſtudio meo delineatum ſæpius examinare; illa vero mortua, & impetrata a Viris Humaniſſimis, quibus ægrotæ cura fuerat demandata,* FRANCISCO BOOGERT, *Medico in penetrandis abditis morborum cauſſis acutiſſimo, & artis ſuæ Vigilantiſſimo Chirurgo* DIDERICO SCHOLL, *obſervationem hanc divulgandi veniæ, accurato ſubjicere examini potui. Hæc autem obſervatio occaſionem ſuppeditavit, varios Auctores de diro hoc morbo evolvendi, ac præcipua, quæ de Aneuryſmatibus tradita ſunt, hac commentatione complectendi.*

Ne autem, L. B., opus omnibus numeris abſolutum exſpectetis! Aneuryſmatum enim inveſtigatio, unanimi artis Medicæ principum conſenſu, tot tantisque involuta tenebris, ut cum Clar. DE HAEN *exclamare debeant:* Cognitio Aneuryſmatum utinam certior eſſet, ſignisque munita pathognomicis deſiſteret turpiſſimis erroribus anſam dare (*c*)!

Ut vero ordine quodam procedam: I. Quantum rei dignitas, & ſcopus noſter permittet, cor, vaſaque majora deſcribam; II. Aneuryſmatis Etimologiam, diviſionem, ac definitionem dabo; III. in mali noſtri cauſas inquiram; IV. illius effectus tradam; V. ſigna diagnoſtica enumerabo; VI. de prognoſi agam; VII. curationem ſubjungam; VIII. ſpecialem Aneuryſmatum Aortæ pertractationem exhibebo, ac denique ſupra memoratam obſervationem, figuris illuſtratam, adjiciam, tali modo propoſitam, ut in cadaveris diſſectione obſervatis, omnia ea, quæ ipſe in ægrotante detexerim, aut amice mecum a Viris Humaniſſimis, ſupra laudatis, communicata fuere, præmiſerim, optime memor dicti, Cel. Præceptoris, & Promotoris Honoratiſſimi E. SANDIFORT (*d*)*: non ſufficere, morboſorum cadavera ſecare, non deviantem obſervare naturam, atque præternaturales partium ſitus, formas, aut, quæcunque etiam fuerint, aberrationes ſedulo adnotare, niſi a diſſectore ipſo morbi ab ortu ad finem per omnes mutatas ſcenas fuerint obſervati, aut ab aliis rite recenſiti.*

(*a*) *Prax. Lib. 1. Cap. 11.*
(*b*) *Inſtit. Path. Med.* §. 49.
(*c*) *Rat. Med. pars V. Cap. VI.* §. 2.
(*d.*) *Conf. Orat. de circumſpecto cadaverum examine, optimo Practicæ Medicinæ adminiculo pag. 34.*

DIS-



DISSERTATIO ANATOMICO-CHIRURGICA,

DE

ANEURYSMATE;

OBLATA,

NOTABILE AORTÆ ANEURYSMA DIVULGANDI,

OCCASIONE.

SECTIO PRIMA.

Conciſam exhibens Cordis, Vaſorumque majorum deſcriptionem.

§. I.

Cor, muſculus cavus, qui contractus contentum ſanguinem in maximas N. C. arterias impellit, undique velamento ſuo, ſeu *pericardio*, quaſi incluſum, & in ſpatio inferiori & medio inter duplicem pleuræ membranam (*mediaſtinum* male vocant) poſitum, figuram, a multis conicam dictam, (unde diſtinctio ejus in baſin & mucronem exorta videtur) non tamen ſemper cum cono convenientem (*a*), eoque planiorem, monſtrat. Facie ſua inferiore pericardio atque diaphragmati incumbit; mucrone vero anteriore, & aliquanto inferiore, parti cartilagineæ coſtæ quintæ reſpondet, qui ſitus tamen pro diverſis etiam conditionibus variare ſolet.

(*a*) Cl. Halleri Elem. Phyſ. T. I, lib. IV, ſect. II, §. I.

Dividitur cor in atria duo, dextrum nempe, & ſiniſtrum; totidemque ventriculos.

Atrium dextrum in latere dextro ad perpendiculum fere ponitur, & ſanguinem, a venis cavis receptum, ventriculo dextro tradit; pars ejus ſuperior (quam alii *auriculam* dicunt) in acutum; inferior ſeu ſinus in cœcum terminatur finem, venarum cavarum radicem communem conſtituit, ventriculo vero dextro tali modo inhæret, ut videantur fibræ carneæ hujus atrii infigere ſeſe in tendinem, oſtium ventriculi venoſum amplectentem, eique ut fulcro inniti. Pars ſuperior, *S. Auricula*, ſeſe lacertis carneis, innumerorum muſculorum percurſu, atque ambitu crenato, diſtinguit a ſinu, ſeu atrii parte inferiore, qui læves habet parietes, & in latere, ſinum ſiniſtrum ſpectante, *ſeptum* format, in quo in fetu, quandoque &, licet raro, in adultis, foſſa ovalis aperta *foramen ovale* conſtituit. Ab hoc ſepto membrana oritur lunata, (*valvulam Euſtachii* vocant), quæ, circa limitem inferiorem ſinus circumducta, & dextrorſum recurvata, venæ cavæ oſtium circumit, & cornu ſuo anteriori e regione originis ſuæ deſinit, ſanguinis regreſſum in venam cavam inferiorem impedit, & in adultis ob teneritudinem nonnunquam reticulata eſt (*a*). *Atrium ſiniſtrum*, ſimili modo ac dextrum, in *auriculam*, & *ſinum ſiniſtrum* dividunt, quorum prior, pars ejus pectinata, lacertis muſculoſis ſemicircularibus, & longitudinalibus conſtat; poſterior vero, inter externam & internam tunicam interpoſitis, fibrarum carnearum ſtratis pluribus gaudet. Ponitur Atrium hoc ſiniſtrum ſuperius, & poſterius retro aurem dextram, & vaſa majora, veniſque pulmonalibus annexum, cordi ſiniſtro inſiſtit.

Cordis vero ſtricte dicti, & atriorum membranam exteriorem, format continuatio pericardii, cujus celluloſa ſubjecta copioſam ut plurimum ad vaſa coronaria pinguedinem recipit; interius vero a propagatione intimæ arteriarum tunicæ obteguntur.

Dividitur ſimiliter cor in *duos ventriculos*, unum *anteriorem*, ſive *dextrum;* alterum *poſteriorem*, ſive *ſiniſtrum.* Prioris figura ad eam quartæ partis coni accedit, & accuratius conum acutum refert, quam ſiniſter ventriculus; parietum craſſities minor; in univerſum vero & latitudo & capacitas in hoc, quam in ſiniſtro, major, dum econtra longitudo minor obſervatur; in fetu autem, & ſæpe in infante,

(*a*) Halleri primæ lineæ Phyſ. §. 88.

aliquando etiam in juniori homine æque longus reperitur; imo longiorem in puero viderunt VESALIUS (*a*), & Illuſtriſſimus HALLERUS (*b*). Intus obſidet ventriculos reticulum quoddam muſculoſum, conflatum ex multis lacertis muſculoſis, quos implicatos intervalla ſeparant; craſſiores vero tori ſunt in dextro, minores, & numeroſiores in ſiniſtro; alicubi etiam oppoſitas ſedes cordis trabes tranſverſæ conjungunt (*c*). Cæterum ſiniſter cordis ventriculus in univerſum longior, anguſtior & ad conum obtuſum propius accedens quam dexter obſervatur, triplo craſſiores parietes habet, reticulo teneriori gaudet, & trabes quoque monſtrat. Bini hi ventriculi ſua habent *oſtia*, quilibet *unum venoſum*, *unum* etiam *arterioſum*.

Oſtium venoſum dextrum, in anteriori cordis ventriculo conſpicuum, aperturam atrio dextro reſpondentem format: ellipticum eſt, albo, calloſo, & glutinoſo margine terminatum, cui fibrarum carnearum ſtratum incumbit. Circumdant hoc oſtium *valvulæ tricuſpidales*, quæ ex tunica interiori atrii, & ventriculi, in oſtio convenientibus, verſus mucronem productis, & duplicaturam, ſive annulum, formantibus, fiunt: oram hanc, ſic efformatam, in cavum fluitantem, & in tres lacinias inæquales fiſſam, *valvulas tricuſpidales*, *S.* Τϱιγλώχινας, vocant, in quarum margines liberos ab exteriori facie ſeſe immittunt filamenta tendinea, producta ex apice muſculorum papillarium ex cordis ſede inferiori aſſurgentium. *Oſtio* vero *arterioſo dextro*, ex ventriculo dextro ad arteriam pulmonalem ducenti, apponuntur *valvulæ ſemilunares*, quæ ſinu ſuo aperto arteriam, parte convexa cor ſpectant, & continuata intima cordis & arteriæ membrana formantur; in medio marginis liberi nodulum duriuſculum (*corpus Arantii* vocant), ad perfecte claudendum, optime conducentem, monſtrant.

Siniſtri ventriculi oſtio venoſo adſtant *valvulæ mitrales*, eadem, ac *tricuſpidales* ſupra deſcriptæ, ſtructura gaudentes, excepto, quod in duas tantum portiones dividantur, & in univerſum craſſiores ſint, atque fortiores; cæterum ſimili quoque modo muſculi papillares tendines ſuos divergentes in annuli lacinias inſerunt. *Oſtium* denique *arterioſum ſiniſtrum*, quo hiat ventriculus in arteriam aortam, ambiunt *valvulæ ſemilunares*, majores, ac robuſtiores, quam in arterioſo

(*a*) Lib. VI, cap. 9.
(*b*) Elem. Phyſ. Tom. I, lib. IV, pag. 326.
(*c*) HALLERUS l. c. p. 329.

dextro : quarum etiam valvularum oræ liberæ inſident ſimiles noduli calloſi, *corpuſcula Arantii* dicti, & ſupra, ubi de oſtio arterioſo dextro egimus, deſcripti. Intermedium vero illud, quod ventriculos diſcernit, *ſeptum* craſſum oritur a cordis baſi, & in mucronem iterum extenuatur : neque ad dextrum, neque ad ſiniſtrum ventriculum totum pertinet; carne nimirum utriuſque ventriculi, inter ſe implicata, formatur, & dextri ventriculi cavum anguſtat; ab ea enim parte magis protuberat, & ita ſpatium magis arctum relinquit; totum quoque reticulatum eſt, & inter lacertos intricatos foveas monſtrat, quæ minime apertæ ſunt, ut veteres crediderunt, ſed cœcæ, neque ſanguinis quicquam ex uno in alterum ventriculum effluere ſinunt. Fibræ hæ in ſepto, reliquaque cordis ſuperficie interna, conſpicuæ, nimis implicatæ ſunt, quam quod ſeparari, multoque minus deſcribi, poſſent; in univerſum autem a baſi oriuntur, ad mucronem oblique deſcendunt, inflectunt ſe, & iterum ad eandem redeunt.

Nec multo facilior videtur *nervorum cordis*, *fibras adeuntium*, *hiſtoria*, quippe qui aditu ſuo ad cor magnopere ludunt, ut miremur quandoque diverſiſſimas a Cl. Anatomicis exhibitas, nervorum cordis deſcriptiones. Notari tamen præprimis meretur minime eos, ut Bœrhavius voluit (*a*), ex ſolo pari octavo oriri; verum longe plures ſurculos, partim ex intercoſtalis nervi trunco, partim ex ejuſdem ganglio cervicali ſupremo, medio, & imprimis infimo, ac cervicalibus nervis inferioribus; alioſque ex phrenico nervo, & ramo recurrente laryngeo paris octavi enatos, ad cor accedere, ac ſibi invicem conjunctos aſperam arteriam inter & vaſa arterioſa ex corde prodeuntia, decurrere, ibique plexum notabilem, *cardiacum* dictum, efformare, cujus rami aliquot, aortam inter & pulmonalem arteriam euntes, in corde diſperguntur, alii vero, arteriam pulmonalem, & auriculam dextram tranſgredientes, juxta arteriam coronariam ſiniſtram ad cor tendunt, dum denique reliqui arteriam coronariam dextram, ſinum ſiniſtrum, & planiorem cordis ſuperficiem, ventriculum, auriculamque ſiniſtram petunt. Cordis vero *vaſorum ſanguiferorum* ortus multo conſtantior obſervatur, & *arteriarum*, *venarumque coronariarum* nomine inſigniuntur. *Arteriæ binæ* ſunt, quarum una *dextra* anteriori ventriculo *proſpicit*, ex ſede aortæ dextra & inferiori orta, altera *ſiniſtra* ſuperficiem cordis ſiniſtri decurrit, pul-

(*a*) Inſtit. Med. §. 185.

monalem arteriam inter atque aurem ſiniſtram exiens. Arteriæ hæ, omnes lacertos intrantes, adeo ramificatæ ſunt, ut, facta injectione, incautis videretur cor tantummodo ex ſola arteriarum compage conſtare, uti ex Ruyschii picturis egregie apparet.

Venæ autem *coronariæ*, pro parte in cordis ſuperficie exteriore hiantes, rorem pericardii, per arterias expulſum, haurire videntur; pro parte ex ſacculis pinguedinoſis, tanquam venæ bibulæ, pinguedinem reſorbent; cæteræ vero, arteriis coronariis continuatæ, ſanguinem allatum tranſvehunt in ſinum venæ cavæ ſupra auriculæ dextræ orificium, inter auriculam, & ſinum dextrum, partim & in auriculam dextram ipſam, ut ex Ruyschii injectionibus patuit, pro parte quoque in cor ipſum dextrum; imo etiam, licet pauciſſimæ, ad aurem ſiniſtram deſinunt. Venæ hæ nequaquam pro canalibus carnoſis, per quos ſingulare fermentum ad cor deportaretur, ut Vieussens in tractatu ſuo, cui titulus *nouvelle decouverte*, ſcripſit, habendæ ſunt.

Tandem etiam *vaſa lymphatica*, raro licet obvia, cor accipere, eaque in thoracicum ductum deſinere, minime dubitandum, etſi ea neque ab Ill. Hallero (*a*), neque a Cl. Senaco videri potuerint.

Hæc, pauca licet, ſufficiant, ut exinde cordis ſtructura artificioſiſſima eruatur, atque illa, quæ Aneuryſmatibus cardiacis anſam dare valent, in poſterum a me tractanda, hauriantur: quædam tamen adhuc de vaſis, præcipue autem *arteria aorta*, ſubnectenda videntur.

§. II.

Deſcripto modo conſtructum cor ut ſanguinem accipere, rurſusque expellere, poſſet, *vaſa* adnexa habet *venoſa*, *arterioſa*.

Venæ, ex toto corpore ſanguinem in cor revehentes, duæ ſunt, ſi nempe a pulmonalibus recedas; *cavas* eas dicunt Anatomici, quæ ſeſe aut trunco communi nullo, aut breviſſimo in atrium dextrum inſerunt. Fibris muſculoſis prope cor manifeſtis gaudent, & ea de cauſſa magna ſatis vi contractili præditæ ſunt, quam haud facile etiam reliquis noſtri corporis venis denegavero, ſi modo prælectiones egregias Cl., & ſumma cura artem ſalutiferam profitentis, Præceptoris

(*a*) l. c. Tom. 1. lib. IV, ſect. III, §. 39.

van Dœveren, in collegio ſuo de vi vitali nobis tam egregie traditas, reminiſcor.

Dividunt *venam cavam* in *ſuperiorem*, & *inferiorem :* vena enim hæc, prope atrium dextrum, dividit ſe in duos quaſi truncos, quorum unus *ſuperior*, (ut cum Anatomicis loquar,) ſupra pericardium emergit, & indiviſus fere uſque ad jugulum fertur, excepto, quod a latere ejus dextro abſcedat vena azygos, quæ, dextrorſum reflexa, & vertebrarum lateribus applicata, ſingulos ramulos, venas intercoſtales dictos, ad ſingula ſpatia intercoſtalia tranſmittit.

Truncus vero *inferior*, pericardium a latere inferiori quaſi egreſſus, ſine ulla ramificatione cavum thoracis breviſſime percurrit ad diaphragma uſque, cui in tranſitu ramos, qui *venæ diaphragmaticæ* audiunt, utrimque largitur. Ex eodem ventriculo, in quem, per cavas venas allatus ſanguis infunditur, arteria exoritur, aortæ amplitudinem æmulans, ad pulmonem tendens, indeque *pulmonalis* dicta. Hæc, arcui aortæ ſeſe ſubjiciens, ligamenti, canalis olim arterioſi, ope ei adnexa, in duos ſeſe dividit ramos, quorum ſiniſter minor, brevis, bifidus ſiniſtrum; dexter, trifidus, dextrum pulmonem ſubit. Quo ad figuram, colorem, fabricam pro maxima parte cum aorta, mox deſcribenda, convenit. Ex pulmonibus enaſcuntur *venæ*, quæ, *pulmonales* dictæ, ex minoribus ramis in majores, plerumque quatuor, raro duos, rarius quinos, collectæ deſinunt in auriculam cordis ſiniſtram : quum vero de his, quæ ad noſtrum forum pertinent, nihil ſingulare dicendum habeam, potius ad accuratiorem arteriæ *aortæ* deſcriptionem tranſeo.

Arteria hæc *magna*, vel *aorta* dicta, unico, ſed amplo ſatis trunco, ex ſiniſtro cordis ventriculo egreſſa, ſupra valvulas, ut plurimum, ſemilunares, ad cor, ejusque atria, duos ramos, *coronarias cordis arterias* dictos, reflectit, & extra pericardium emergens ſurſum tendit indiviſa ad quatuor circiter digitos, ubi arcum deſcribere incipit, & tres ramos emittere ſolet, in quorum tamen numero quandoque ludit Natura, ut multi annotarunt Anatomici (*a*).

(*a*) Talem v. g. deviationem deſcribit Cl. Præceptor E. Sandifort (in Obſ., *de fœtu monſtroſo, cujus viſcera abdominalia una cum corde extra corpus pendebant,* communicata in Act. Helvetic. Vol. VII, pag. 58. *Recta ſurſum tendens aorta binos in ramos findebatur, carotidem nempe dextram, atque ſiniſtram ; facto arcu, ſubclaviam ſiniſtram emittebat, dextra autem hujus nominis arteria, non ſolito more ex carotide dextra, ſeu communi trunco, egrediebatur, verum ex ipſa aorta, eodem ferme loco, quo altera oriebatur ſubclavia, originem ducebat, ac*

Facto autem hoc arcu, major arteriæ pars deorſum reflectitur in latus ſiniſtrum, parum infra quartam dorſi vertebram, & plurimos emittens ramulos, deſcendit ad ultimam lumborum vertebram, ubi plerumque ſe in duos magnos ramos dividit, quos *Arterias Iliacas* dicunt Anatomici, in ramos denique minores, minoresque excurrentes.

Arteria hæc canalis ſanguifer eſt, denſus, ſolidus, pulſans, coloris luteoli albeſcentis, ſanguinem ex corde ad omnes reliquas corporis partes deferens. Nunquam conica hæc arteria eſt, ut multi voluerunt, ſed indiviſa cylindrica (*a*) manet; rami quidem ſimul ſumti, & ad truncum relati, conum efficerent, cujus baſis in extremitate, apex in corde foret; quum vero hic indiviſam intelligo, videretur potius arteria, vulgo *conica convergens* dicta, ſeries eſſe cylindrorum, ſibi ita adaptatorum, ut ad ſingulos ramorum paulo majorum exortus, duo cylindri conveniant, quorum major eſt ſupra eum exortum, minor infra eam originem (*b*). Idem quoque de arteriis capillaribus obtinet, quarum frequentes Anaſtomoſes tantum cuilibet trunculo reddunt, quantum amiſit.

Ex membranis ſeu tunicis conſtat, quarum *externa* dicta, prope cor oritur a pericardio interiori, ſeu ea pericardii parte, quæ cordis ſuperficiem externam inveſtit; quamdiu enim hæc arteria, ut & reliqua vaſa, ſupra pericardium nondum emerſerunt, ab eo pro parte inveſtiuntur; egreſſa autem tunicam externam acquirunt a pleura, thoracem, ejusque viſcera ambienti, quæ tamen arteriam tantum ita cingit, ut a parte poſteriori nulla adſit, ſed ſolummodo celluloſo vicinis adhæreſcat, adeoque ſtricto ſenſu hæc, a pleura producta, nomen tunicæ non mereretur; quum vero vocabulum hoc fere omnibus receptum eſt, potius illud retinendum, quam aliud excogitandum cenſeo. Huic ordine inſequitur *celluloſa*, quæ tantum

---

pone œſophagum, qui a latere ſpinæ dextro inter carotidem dextram, ac modo nominatam ſubclaviam, per thoracem demiſſus, diaphragma intrabat, decurrens, axillam lateris ſui petebat. Similes varietates recenſet H. A. NICOLAI (Diſſ. de directione vaſorum, in HALLERI Vol. II. Diſp. Anat. ſelect.) & D. PH. ADOLPH BŒHMER (ibid. apud HALLERUM,) qui binas obſervationes Anatomicas de quatuor, & quinque ramis tradidit. Plures luſus Cl. MORGAGNUS in libro *de ſedibus, & cauſſis morborum &c. Ep. III. a. 20. XV. a. 26. LVI. a. 10. & 21* Aug. CH. ERDMAN, in *deſcriptione Anatomica Arteriæ innominatæ, & thyroideæ imæ, pag. 16 & ſeq.*, aliique citant. Nos vero in Tab. V & VI, huic Diſſ. adjectis, quatuor ramorum ex ipſo arcu aortæ originem depingemus.

(*a*) Figuram hanc cylindricam expoſuit Ill. JOH. BAPTISTA Senac. *Traité du Cœur*, Tom. I, p. 243.

(*b*) HALLERI l. c. Tom. I, lib. 2, ſect. I, p. 53.

tunicæ nervoſæ pars magis laxata exiſtit, dilatabilis facile, & concidens; arterias cum partibus vicinis molliter nectens, vaſaque ſanguifera arteriarum tranſmittens (*a*). Annexa huic eſt tunica *nervoſa* ipſa, tenuis, denſa, firma, alba, dilatabilis, quæ cellulofa condenſatior eſt, *cum magna duritate elaſtica, ægre compreſſilis*, & *facillime reſilitura* (*b*). Firmat & perficit a parte exteriori muſcularem, & ſquamulas quam plurimas monſtrat, ſi tunicam hanc ſcalpello nitide præparare tentemus. Nervoſam hanc alia iterum, *Muſculoſa* dicta, excipit, quæ craſſiſſima coloris ad luteolum vergentis, ex fibris, neque carneis muſculorum ſimilibus, neque tendineis conflatur, quarum directio maxima parte ad circularem, ſive annularem, accedit; integros autem, plenosque circulos non oſtendunt, ut de muſculoſa inteſtinorum annotatum eſt, a Cl. C. B. ALBINO in *nova ſua tenuium hominis inteſtinorum deſcriptione* §. 4. (*c*). Neque præterea negari poteſt, quaſdam hinc inde reperiri fibras, quæ quodammodo a circulo ſecedunt, & ex quibus ſpirales quorundam, vel obliquæ formari, imo longitudinales hinc inde potius fingi quam demonſtrari poſſent (*d*). Cæterum tunica hæc arteriæ corpus format, ne concidat, robur ipſi dat, & agendi facultatem. In varias veluti tunicas, ſibi mutuo incumbentes, quarum exteriores rariores, ſequentes denſiores obſervantur, dividi poteſt. In ſex, nitide ſeparatas, lamellas diviſam tunicam muſculoſam nobis in egregio præparato inter præelectiones ſuas, (mihi admodum caras) demonſtrare ſolebat Divus B. S. ALBINUS, quod etiam eleganti admodum figura in Annot. Acad. exhibuit (*e*); quamvis ibidem (*f*) fateatur, plures veluti tunicas detrahere ſe potuiſſe. In octo tales, vel & decem, laminas diſtinctas tunicam hanc muſculoſam arteriæ aortæ Cl. LUDWIGIUS diſcerpſit (*g*). In arteriis minoribus ſenſim ſenſimque minus manifeſta fit, ita ut quandoque in capillaribus arteriis ne optima quidem lente

(*a*) Celluloſam hanc nitide depinxit Cl. ALBINUS, *Annot. Acad.* Lib. IV, Tab. V. *Fig. 1, litt. o.*
(*b*) HALLERUS l. c. p. 62.
(*c*) B. S. ALBINUS l. c. p. 32.
(*d*) Vid. Ill. D. CHRIST. GOTTLIEB LUDWIG Diſſ. de Arteriarum tunicis §. XIV.
(*e*) l. c. Tab. V, Fig. 1.
(*f*) pag. 32.
(*g*) l. c. §. 41.

lente vitrea detegi poſſit, quare quibuſdam tunicam ſuam muſculoſam tandem deponere arteria (male licet ratiocinando) viſa fuit.

Hanc inter & intimam membranam ſecundum Ill. HALLERUM intercederet *celluloſa interior*, ut inter omnes diſſimiles arteriæ membranas. *Breviſſima*, inquit, *ea eſt*, *& tenuis*, *& abſque adipe*, *& ægrius demonſtratur*, *auctoritatem tamen habet ab* Ill. B. SIEGFRIED ALBINO apud WESSELINGIUM in *diſſ. de Arteriis hominis Lugd. Bat. an. 1747 edita*, *p. 10* (*a*). Notat autem Anatomicorum princeps ALBINUS : *in ſpecimine illo Inaugurali tunicam cellulosam*, *in quam nervoſa ab exteriore parte exit*, *deſcribi; de alia quadam*, *quæ inter muſculoſam*, *internamque ſit*, *omnino nihil*. Subjungit vero : a MONRONE (*Medical Eſſays and Obſerv. vol. II. art. 16.*) *traditum erat*, *incipiente putrefactione tunica interna quum deceſſerit*, *celluloſam materiam*, *qua cum muſculoſa connectatur*, *cerni* (*b*). Cl. vero HALLERUS tunicam hanc ſtabilire conatur, allatis, tam ex propriis quam aliorum obſervationibus, argumentis; dicit enim : *certum eſt inter tunicam carneam*, *interque intimam flavum eum ſuccum effundi*; *qui calloſus primo*, ut jam demonſtraverat in opuſc. Pathol. obſ. 47, *deinde oſſeus fit*, *& in ſquamas duras late per arteriam rigentes abit*, *quæ inter intimam*, *carneamque membranam mediæ intercipiuntur* (*c*). Huc quoque refert intimæ tunicæ craſſitiem ſteatomati adfinem, quæ arteriam obſtruere poſſet, quales plus ſemel ſe vidiſſe teſtatur MONRO, quum dicit : *I have more than once obſerved the cavity of a large Artery almoſt blocked up by a ſteatomatous thickning of this Coat*, *and frequently I have obſerved purulent matter collected in it* (*d*). Denique, ut opinionem ſuam ulterius adſtringat, ex BOERHAVII *praxi medica* (*e*), *male ita increſcere quandoque tunicam hanc celluloſam*, *ut canalem penitus claudat*, ſubjungit. Quicquid ſit, celluloſam hanc a Præceptore ſæpius laudato neque demonſtratam, neque aſſertam, vidi, vel audivi, neque etiam elaboratiſſima ejus de arteriæ tunicis figura, ſæpius memorata, illam exhibet. Intima arteriæ tunica lævis eſt, polita, denſa, ſtricte adhærens, & muſculoſam ex interiore parte veſtit. Vix niſi ſparſim aliquid fibræ ſimile

(*a*) Elem. Phyſ. Tom. 1, lib. 2, ſect. 1, §. 8.
(*b*) l. c. lib. IV, cap. 8, pag. 37.
(*c*) l. c.
(*d*) Medical. Eſſays and Obſerv. l. c.
(*e*) Parte 1, pag. 242.

ab ea parte tantum, ubi a muſculoſa intima fuit ſeparata, relictum, oſtendit (*a*). Ab interiore facie, arteriæ cavum ſpectante, lævis eſt, atque æquabilis, arteriæ cavum conſtituit, & libere facileque ſanguinem contentum ruere ſinit.

Arteria ſic, quatenus ex tunicis conſtat, contemplata arteriolas, venulas, nervosque habet, in quos inquirere vix neceſſe eſt: ad ipſam potius arteriæ vim contractilem indagandam, proxime me accingo. Contrahunt ſe arteriæ 1.° *ex vi cohærentiæ, quæ uti reſiſtit elementorum ſeparationi, ita propiorem reddere contactum perpetuo nititur* (*b*). Accedit 2.° *vis elaſtica*, etiam in mortuis ſuperſtes, qua, ceſſante cauſſa diſtendente, ſubito ſeſe reſtituere conatur arteria dilatata. 3.° Superaddita eſt *vis vitalis;* arteriæ enim minime partes mortuæ ſunt, ſed vivæ animatæ; ſi enim arteriæ tantum priores vires haberent, certe non valerent ad molem ſanguinis propellendam, corpus enim elaſticum ſi extendatur, ad priſtinam diametrum ſenſim redit, adeoque neceſſitas hujus vis vitalis, aut ſi mavis *vis muſculoſæ* (quam alii quarto loco addunt, ego autem cum vi vitali eandem eſſe ſentio), maxime eluceſcit, nam cor nullo modo ſufficit ad ſanguinem in minima uſque vaſcula, ut creditum quandoque fuit, pellendum, multoque minus ſufficere poteſt, ad inſignes reſiſtentias, quæ in illis, ob inflexiones, & capacitates imminutas, neceſſario contingunt, ſuperandas.

Robur arteriæ ſummam meretur indagationem, non pauca enim, ad Aneuryſmatum explicationem neceſſaria, inde profluunt. Credebant olim arteriarum firmitates eſſe, ut diametros; hinc truncos ramis multo robuſtiores credebant, hinc robuſtam admodum arteriam aortam, tenerrimas vero, & fragiles eſſe arterias cerebri dicebant, excepta tamen arteria pulmonali, cujus robur ad aortam ut 110 ad 148 exiſtimabant (*c*). E contrario vero hodie conſtat, ramos truncis eſſe robuſtiores, nec mirum; rami enim in majori compreſſionis periculo verſantur, quam trunci: hi vero molliores quum ſint, minus facile rumpuntur impetu cordis, majori in truncis, quam in ramis: dilatationibus tamen eos haud minus obnoxios eſſe, obſervata in poſterum adducenda evincent, licet non negavero,

(*a*) Albinus l. c. p. 33.
(*b*) Cl. Gaubii Inſtit. Path. §. 209, n. 5.
(*c*) Hall. l. c. p. 72.

pleriſque Aneuryſmatibus, ſaltem in aortæ principio obviis, arcum ejus ſeu curvaturam maxime anſam dare. In arteriarum autem robore determinando diligens inprimis fuit CLIFTONUS WINTRINGHAM (*a*), cujus de hac re experimenta ſatis multa ſi enarrare vellem, in nimis magnum excurrere deberem campum. Sufficiat ergo, ſi tantum unum, alterumve experimentum, quo opinio noſtra modo propoſita ſtabiliatur, recenſuero. Aortam arteriam, (cujus craſſitiem in homine exp. 5. de aorta deſcendente nonæ partis pollicis eſſe, & pondus ſpecificum ad aquam, uti 106 ad 100 exp. 1 cenſuerat,) inpulſo aëre, ope machinæ, quæ eum in minus ſpatium arctabat, in juvene prope cor ab aëris vi, æquali ponderi 119 librarum, unciarum 5; inferiori autem loco pondere libr. 131 & unciarum 10, ruptam vidit, indeque aortam in progreſſu, quam ad cor in ratione 1794 ad 1000 firmiorem eſſe concluſit: Arteria vero ſplenica viri pondus librarum 41, & unciarum 8 tulit, roburque ad aortam uti 1319 ad 1000 habuit (*b*), & in alio experimento uti 1302 ad 1000 (*c*); arteriæ denique renalis robur ad aortam uti 51 ad 40 deprehendit (*d*). Plura talia experimenta ex dicto auctore, etiam ab Ill. HALLERO (*e*), pro magna parte collecta, enarrare poſſem, ex quibus tamen præcipue in animalibus inſtitutis, & ex modo propoſitis ſatis liquet, arterias in univerſum quidem eſſe ſatis robuſtas, cæterum in ratione incerta, & variabili (*f*) denſitates earum progredi; neque cum diametris arteriarum firmitatem minui, ſed potius augeri, ita ut in univerſum trunci ramis ſuis debiliores fiant, unde etiam minus facile rumpuntur; quo molliora enim vaſa, eo melius etiam impetum ſanguinis majorem ferunt.

Omiſſis jam reliquis, quæ ad arterias pertinent, proximum eſt, ut quædam adhuc de ipſo cordis motu ſubjungamus.

§. III.

Venæ cavæ, prope cor fibris muſculoſis conſpicuis inſtructæ, ſanguine, undique ex corpore redeunte, irritantur, contrahunt ſe,

(*a*) Experimental inquiry on ſome parts of the animal ſtructure.
(*b*) Exp. 34.
(*c*) Exp. 36.
(*d*) Exp. 38.
(*e*) In Elem. Phyſ. c. h. tom. 1, lib. 11, ſect. 1, §. 14.
(*f*) p. 60. 178.

illumque in atrium dextrum pellunt : hoc turget inde, & riget; vocant *diaſtolen* ſeu *dilatationem;* diſtenſione autem irritatum contrahit ſe, quam actionem *ſyſtolen*, ſeu *contractionem*, dicunt; mox depletur, & ſanguis propulſus in ventriculum dextrum cedit, ſanguis enim continuo per venas cavas allatus impedit, ne ſanguis contentus eo repellatur, unde acceperat atrium, partim etiam ſanguinis in venam cavam inferiorem regreſſum valvula EUSTACHII, ſupra deſcripta, prohibet; ventriculus vero eo quidem tempore, quo in contractionem nititur atrium illud, contractus eſt; vacuus vero quum ſit, ad relaxationem pronus evaſit, &, valvulis tricuſpidalibus ad latera appreſſis, ſanguini irruenti cedit; oſtio quoque arteriæ pulmonalis hoc tempore a valvulæ tricuſpidalis lacinia quadam obtecto. Huc delatus ſanguis ventriculum dextrum replet, dilatat, & eum irritatione ſua ad contractionem ſollicitat; hinc ſanguinem preſſum magna vi verſus oſtium arteriæ pulmonalis pellit, eamque, dum ſimul ſanguis in ventriculum inpulſus valvulas tricuſpidales a lateribus removet, oſtio venoſo apprimit, viamque in atrium præcludit, liberrime intrat. Sanguis ſic, valvulis ſemilunaribus lateribus appreſſis, arteriam pulmonalem ingreditur, diſtendit eam, & ad contractionem incitat, quæ contracta, impedito ſanguinis per valvulas ſemilunares refluxu, mox pellit eum per ramos ad ſurculos minimos, qui, in radiculas venarum pulmonalium continuati, ſanguinem ſuum ipſis tradunt, & ſic quatuor plerumque venarum pulmonalium ope ſanguis in atrium cordis ſiniſtrum redit, quod iterum diſtentum, irritatum, & contractum, ſanguinem ſuum (dum interim hujus regreſſum in venas pulmonales continuo affluens ſanguis prohibet) in ſiniſtrum cordis ventriculum, cedentibus valvulis mitralibus, urget, replet, diſtendit eum, atque irritat; hinc contrahit ſe, &, dum valvulæ ſemilunares lateribus applicantur, libere ſanguinem ſuum in aortam projicit, quæ per totum corporis habitum, exceptis pro parte pulmonibus, diſtribuitur, & per quam ſanguis, minorum ramorum ope, qui omnes ex eadem ſoboleſcunt, ad omnes partes pervenit.

In hac autem via magnas patitur reſiſtentias ventriculus ſiniſter ob aortæ arcum ſupra deſcriptum; plurimum enim illic inflectitur arteria magna, quo fit, ut incurvatus iſte angulus ſanguinis ejecti impetum, & primarium ictum excipiat, ac maximum ejus torrentem verſus aortæ truncum deſcendentem dirigat, ne ſanguis, in ſupe-

riores aortæ ramos irruens, impetu ſuo molliſſimum cerebrum peſſime afficeret; hinc forſan *convexitas vaſorum ab ictibus ipſis ſanguinis eam in ſedem fortius nitentis, denſior fit* (*a*). Accedit quoque hic maxime conſideranda perpendicularis in latus arcus aortæ preſſio; ſanguinis enim columna, oblique per arteriam projecta, premit parietes arteriæ ſuæ ſecundum lineas, quæ in ejus ambitum ad perpendiculum incidunt; *Facilis eſt demonſtratio, cum obliquus iſte ductus in duas rectas lineas reſolvatur, quarum altera ad axin & ad parietem arteriæ rectiſſime parallela eſt, altera ad utrumque verticalis. Sed arteriæ nullo in animali a corde in rectitudinem exporriguntur, earumque ipſum principium arcus eſt. Quare in aortæ potiſſimum ea prima ſede, ejusque parte, in quam axis oſtii cordis ducit, aneuryſmata frequentiſſima reperiuntur* (*b*). Hinc certe etiam in arcu illo aortæ frequenter invenerunt oſſificationes, quæ præcipue in ſenibus obviæ ſunt, quum in junioribus plus cedant parietes; & hinc potius ad Aneuryſmata vera prædiſpoſitos illos obſervamus. Oſſificationis talis exemplum deſcripſit ROLAND MARTIN in Act. Acad. Reg. ſcient. Sueciæ; in cadavere nempe viri annorum 65 prope locum, ubi primi magni rami arcus aortæ ſeparantur, oſſiculum durum invenerat monetæ exiguæ magnitudine, ſed oblongum, in peripheria tenuius, & in margines cartilagineas, membrana interiore aliquo modo tectas, deſinens (*c*). Similes oſſificationes collegit etiam Ill. HALLERUS l. c. in notis, & ipſe tales deſcripſit in *Opuſc. Path.* (*d*). Ubi auctor demonſtrat, ſquammas illas præcipue muſculoſam inter & intimam aortæ membranam concreſcere.

SECTIO SECUNDA.

DE ANEURYSMATIS ETYMOLOGIA, DIVISIONE, AC DEFINITIONE.

§. IV.

DE vocis Etymologia inter ſe minime conveniunt Auctores. Placuit HIERONYMO MONTANO Aneuryſma enervationem dicere, atque vocem, ab *α* privativo & *νεῦρον* nervus, derivare. JOH. BAPTISTA

(*a*) HALLERUS l. c. p. 74.
(*b*) Ibid. Tom. II, lib. VI, ſect. II, §. 5.
(*c*) Anni 1765, vol. XXVI, trim. 4, comm. 6.
(*d*) Obſ. 18, 19, 47 & 51.

Silvatico autem dilatatio dicitur, & ab εὐρύνω dilato deducitur. M. Aurelius Severinus e contra, illud ab εὐρηνειν, exilire ſeu effluere, deſumendum eſſe, voluit. Quicquid ſit, vix opus eſſe cenſeo hanc dirimere litem, cum Galeno magis de rerum natura, quam denominationibus, ſollicitus: id ſaltem conſtat, Aneuryſmatis vocabulum non ubique apud veteres eodem ſenſu occurrere: Galenus (*a*) nimirum, Aetius (*b*), Ægineta (*c*), & Avicenna (*d*), aliique inter veteres præſtantiſſimi, Aneuryſma adeſſe dicunt, quando arteria, quacunque etiam de cauſſa, ita fuit vulnerata, ut ſanguis effluat. E contra Fernelius in omni Aneuryſmate arteriæ dilatationem adeſſe credidit, quam ſententiam & Vesalius foviſſe videtur (*e*). Hac vero, a Fernelio de arteriæ dilatatione propoſita, opinione haud contentus Sennertus ſtatuit, in quolibet Aneuryſmate muſcularis, ſive internæ tunicæ arterioſæ, ruptionem adeſſe, externa interim, quam tenuem, raram, & mollem vocat, illæſa remanente (*f*). Quantum autem ſententiæ hæc ratiocinio & obſervatis obſtet, cuilibet, qui Joh. Freindium (*g*) ſuper hanc hypotheſin conſuluerit, facile apparebit. E quibus ergo ſatis ſuperque conſtare mihi videtur, apud veteres hujus vocis notionem non tantum fuiſſe incertam, verum idem nomen contraria ſæpe indicaſſe mala. Optime autem recentiores, ut error omnis evitetur, Aneuryſmata in *vera*, *ſpuria*, & *mixta* disjungunt, quæ, inter ſe maxime diverſa, ſingularem quoque expoſitionem requirunt: quam eo quidem ordine pertractare conabor, ut primi generis definitione tradita, ſubjungam etiam eam alterius, tertiique generis, ſimili plane modo in cauſſis, effectis, diagnoſi, prognoſi, & curatione exponendis progreſſurus, ut eo melius eorum generum inſignis inter ſe diſcrepantia elucefcat.

§. V.

Aneuryſma verum mihi adeſſe dicitur, quando parietes arteriæ cujuſdam ſpatium juſto capacius circumſcribunt.

(*a*) De tumoribus cap. II.
(*b*) Tetrab. IV, Serm. III, cap. X.
(*c*) Lib. IV, cap. VI.
(*d*) Tract. II, cap. XVI.
(*e*) Freindii hiſt. Med. pag. 111.
(*f*) Tom. III Op. om. Med. lib. V, p. 1, c. XLIII.
(*g*) l. c. pag. 113.

§. VI.

Aneuryſma ſpurium definio, quod ſit arteriæ cujuſdam parietum, qua integri requiruntur, ob cohæſionem fibrarum vere ſolutam perforatio, quæ humores contentos in vicinas partes elabi ſinit.

Hoc autem genus in duas iterum inter ſe diverſas ſpecies a Cl. G. HUNTERO (*a*) ſubdividitur, quarum prior *diffuſa*, altera *circumſcripta* dicitur.

Per *diffuſam* intelligit arteriam, ita vulneratam, ut ſanguis per contextum celluloſum in vicinarum partium interſtitia diffundatur, atque Aneuryſma formet, levi tantum pulſatione prope arteriæ aperturam conſpicuum, & emphyſemati, aut anaſarcæ, reſpectu fluidi extravaſati, plane non abſimile (*b*). *Circumſcripta* vero ipſi dicitur arteria ita læſa, ut ſanguis emiſſus in ſacco quaſi peculiari a cellulari membrana, arteriam circumcingente, firmiore facta, vel & a ſuperjacente membrana aponeurotica confecto, hæreat, ita ut *verum Aneuryſma* ſimulet, non niſi cauſſis prægreſſis ab eo rite diſtinguendum (*c*).

§. VII.

Mixtum Aneuryſma, quod Cl. HUNTERUS invenit (*d*), in eo tantum conſiſtit, quod vena, penitus pertuſa, cum ſubjecta arteria, ab ea quoque parte, qua venæ contigua eſt, vulnerata, coaleſcat ita, ut ſanguis ex arteria directe in incumbentem venam a ſuperiori parte jam conſolidatam intret.

§. VIII.

Hiſce igitur generibus, de quibus nullum dubium ſupereſſe videtur, ſtabilitis, quæſtio mihi moveri poſſet, utrum jure quodam huc referatur *Cardiacum Aneuryſma?* An vero potius cum Cl. LIEUTAUD ſtatuere debeamus: *de cordis Aneuryſmate perperam mentionem ſubjeciſſe nonnullos auctores, quibus hoc titulo inſignire lubuit vulgatiſſimam thalamorum dilatationem, quæ toto cœlo a genuino Aneuryſmate*

(*a*) Medical Obſervations and Inquiries Vol. I, art. 26, p. 337.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Ibidem p. 337 & 338.
(*d*) Ibid. pag. 340.

diſtat (*a*). Pace autem Illuſtriſſimi Viri dixerim, concedi utcumque poſſe, quod cordis ſtructura, firma admodum, inſignes has diſtenſiones ferri poſſe non tam facile videatur, inveniri tamen caſus, ubi cauſſa dilatationis nimiæ, vel in corde ipſo, vel in vaſis ipſi vicinis manifeſta, & ipſa quandoque dilatatio tam immanis fuit, ut ſummo proinde jure Aneuryſmatum vocabulo inſigniri poſſint. Invenit certe Cl. MECKELIUS cor, ob aortam nimis anguſtatam, tantopere diſtentum, ut totum pectus ſiniſtrum adimpleret (*b*), & Ill. MORGAGNUS eadem fere de cauſſa cor, ita ampliatum, conſpexit, ut dicat majus fuiſſe, quam ſi duo corda in unum conjungerentur (*c*). Ex quibus, ut alias cordis Aneuryſmatum hiſtorias memoratu digniſſimas, a permultis auctoribus deſcriptas, omittam, ſatis conſtare mihi videtur; non ita abſurde ſimilibus cordis affectionibus Aneuryſmatis nomen a quibuſdam auctoribus inpoſitum fuiſſe, eoque minus, quum in cauſſis horum malorum pertractandis viſuri ſimus, præcipue has cum iis, quæ Aneuryſmata vera in arteriis producere valent, facile comparari poſſe.

Nec adverſariorum argumenta infringere videtur, quod idem Auctor de cruſtaceis ſanguinis concreti lamellis deſumit, quas plane deficere in his caſibus aſſerit; lamellæ enim hæ hujus mali indolem nequaquam abſolvunt, ſed potius pro effectu Aneuryſmatum, neque facile tamen pro ſymptomate individuo haberi poſſunt; cor nempe, continuo agitatum, undique ſeſe contrahit, atque contenta expellit; non æque facile ergo hic, quam in reliquis ſaccis Aneuryſmaticis, qui ſeſe tantum pro parte contrahunt, ſanguis retinetur, retentus in concretiones polypoſas mutatur, factæ hæ internæ cordis dilatati ſuperficiei apponuntur, unde non mirum, raro obſervatas fuiſſe ejuſmodi concretiones intimæ cordis ſuperficiei adhærentes.

Facilior vero Auctor videtur in altera *Aneuryſmatis Cardiaci* ſpecie admittenda, quæ a *dilatatione vaſorum coronariorum* dependet, & a Cl. MATANO *Idiopathicum cordis Aneuryſma* (*d*) vocatur.

Omitto jam minoris momenti Aneuryſmatum ſpecies, qualis inprimis illa eſt, quæ Cl. HUNTERO adeſſe dicitur, quando, externa arteriæ

(*a*) Synopſ. Univ. Prax. Med. parte 1, p. 106.
(*b*) Hiſt. de l'Acad. Royale des Sciences & Belles-Lettres a. 1750, art. 5.
(*c*) De ſedibus & cauſſis morborum &c. Epiſt. XVIII, art. 4.
(*d*) De Aneuryſmaticis præcordiorum morbis §. 7.

arteriæ tunica læſa, interna; vel, hac lacerata, externa dilatatur (*a*). Quo ſpectat etiam *Mixtum* illud *Aneuryſma*, quod ſecundum Cl. MONROUM tale arteriæ vitium dicitur, quando ejuſdem tunicæ, prius dilatatæ, deinde rumpuntur (*b*). Hæ enim ſpecies, dum ad priores reduci facile poſſunt, ſpeciali pertractione non egent, neque illæ, quæ a ſitu ſuo interno, vel externo, natura quamvis eadem, ac ſupra definitæ, gaudeant, *internæ* quoque, vel *externæ* vocantur, quas ideo ſub priorum definitorum Aneuryſmatum titulo exponemus.

SECTIO TERTIA.

DE ANEURYSMATUM CAUSSIS.

§. IX.

ANEURYSMATIS VERI cauſſam proximam conſiſtere in arteriæ cujuſdam parietum, nimium inter ſe diſtantium, ſpatio, juſto capacius circumſcripto, in definitione vidimus: in remotas ergo potius nunc inquiramus cauſſas, quas, ut ſecundum ordinem Cl., & ſemper venerandi Præceptoris, GAUBII, ſibi in magnitudine cavi prætermodum aucta exponenda propoſitum (*c*) incedam, ad ſequentem inprimis *Aneuryſmatis veri* fontem reduco: *ſanguinis*, nimirum, *majori vi in latera vaſis actionem diſtendentem, quam hæc ſuperare contranitendo queant.*

Vidimus ſupra, quibus viribus gaudent arteriæ, ut contra ſanguinis vim diſtrahentem fulciantur; hanc inter, & vires pag. 370 recenſitas, addita, quam ab incumbentibus acquirunt, preſſione externa, æquilibrium datur, & antagoniſtarum munere inter ſe funguntur: hinc una, alterave potentia ſublata, tollitur illud æquilibrium, & mala naſcuntur haud exigua: imminuta v. g. vi diſtendente, eædem licet manſerint vires arteriarum contranitentes, cavitas imminuitur; econtra hiſce debilitatis, vis diſtendens augetur, & Aneuryſmata creantur. Fit ergo hic, quod in permultis corporis partibus contingere videmus; infirmatis e. g., vel quocunque etiam modo læſis muſculis abdominalibus peritonæum integentibus, viſcerum abdominalium herniæ

(*a*) l. c. pag. 339.
(*b*) Eſſays and Obſerv. Phyſic. and Liter. Vol. III, p. 236.
(*c*) Inſt. Path. Medic. §. 203, n. 1.

naſcuntur ; ob oſſium calvariæ teneritudinem, mollitiem nimiam, ſeu inæquabilem, aut in his oſſificationum defectus, (quorum egregia ſpecimina a Cl. G. VAN DOEVEREN, & E. SANDIFORT, Præceptoribus honoratiſſimis, demonſtrata vidi) aliasve cauſſas cerebri fulcimentum externum, quod ab oſſibus habet, infirmantes, exortas in infantibus recens natis cerebri hernias luſtramus : atque aëris preſſione externa, quam in noſtrum corpus a 34000 ad 39000 libras æſtimant auctores, in quadam N. C. parte quocunque etiam modo imminuta, cutem in tumorem inſignem elevari, ejusque vaſcula ſanguine mirum in modum diſtendi videmus; hoc autem in producendis Aneuryſmatibus quoque locum habere, exemplo venatoris egregie illuſtratur, qui, in latus dextrum ſubitiſſime caput ſuum flectens, illud non niſi ſumma cum difficultate reducere potuit, vixit dein deglutione, & reſpiratione difficillima, ſummoque totius corporis languore : poſt quindecim vero elapſos menſes moritur, &, aperto cadavere, aortam maxime dilatatam, & ingentem in arteria ſubclavia dextra, ob violentam admodum diſtractionem, enatum ſaccum Aneuryſmaticum mirati fuere adſtantes (*a*). Quæ omnia docent ſolidorum continentium viribus, quibus vi contentorum diſtendenti reſiſtunt, imminutis, tumores enormis quandoque magnitudinis elevari : ut vero de vi diſtendente imminuta dictum probetur, ſufficit intueri, quæ fiunt in infantum canali arterioſo, ubi recens natus reſpirat, per pulmones ſanguinem libere pellit, neque amplius ejuſdem per hunc canalem trajectione eget; quod de vaſis quoque umbilicalibus ex Anatomicis conſtat; ſimulac enim in his vis diſtendens agere ceſſat, cavitas eorum deletur, & ligamentorum formam induunt.

Paucis ergo videamus, quænam illæ cauſſæ ſint, quæ vires parietum arteriarum contranitentes debilitare valent. Spectant præcipue huc:

1.° *Congeſta uberior ſanguinis moles;* hinc in infantibus non tantum ob nimiam ciborum ingluviem; ſed & in ipſis fœtubus, utero adhuc contentis, ob miram totius corporis, quæ ipſis ad eo promptiorem nutritionem ſummopere neceſſaria erat, gracilitatem, Aneuryſmatum præcipue cardiacorum frequentia innoteſcit : in his enim cor, nimia ſanguinis quantitate oppletum, facillime diſtendi, & vires ſuas contranitentes amittere, obſervata, circa Aneuryſmata, in fœtuum una

(*a*) l'Acad. des Sciences l'an. 1700, p. 50.

alterave cordis auricula haud raro obvia, teſtantur; nec mirum, quum conſtet eo celeriorem cordis contractionem eſſe, quo homo ſuæ origini propior eſt, adeoque, licet arteriæ maxime etiam hac ætate contractiles ſint, cito tamen cordis contractionibus frequentiſſimis ſanguine ita obruuntur, ut vel cedere, vel rumpi cogantur: ſed continuo tantum per arteriarum fines expelli debet, quantum cor in eas inpulit: accumulabitur ergo ſanguis in corde, vaſisque majoribus, & parietes eorum ultra modum diſtenti ad Aneuryſmata ſenſim diſponuntur.

2.° *Sanguinis volumen expanſione auctius*; in ſtatu naturali inter ſe proportionatæ ſunt arteriarum vires, & vis earum latera diſtendens; ſi ergo ſanguis quacunque etiam de cauſſa rarefiat, vires contranitentes ſuperabuntur, &, accedentibus aliis cauſſis prædiſponentibus, arteria, hic illic magis debilitata, dilatationem nimiam, immo, ni per v. ſ. cito huic humorum rarefactioni ſuccuratur, ipſam quando rupturam portendit, quod in hæmoptoë, aliisve morbis nimis frequenter fieri videmus, ut mihi Cl. Hazon videatur, ſummo jure capacitatem cordis ventriculi dextri naturali duplo majorem nimio opii uſui adſcripſiſſe, quum certum ſit, opium humores N. C. magnopere rarefacere (*a*).

3.° *Impeditus trajectus*; qualis haud raro naſcitur a polypo, arteriæ cavum ita opplente, ut vel plane ſanguinis tranſitus denegetur, vel ſaltem difficillimus reddatur; unde fit, ut cor hanc ſibi moleſtam reſiſtentiam, præcipue ſi ipſi vicina fuerit, ſuperare tentet, & arteriarum fibras debilitando, ſaccum aneuryſmaticum formet. Qualem polypum, aortæ Aneuryſma in cadavere Caroli Patini detectum, & quaſi aliud cor pericardio ſuo incluſum, repræſentantem, præceſſiſſe, & ægrotanti magna mala intuliſſe ferunt (*b*). Ne jam memorem multiplices arteriarum anguſtationes, oſſificationes, aliasve cauſſas, liberum ſanguinis per vaſa ſua trajectum impedientes, & in poſterum, ubi de cardiacis Aneuryſmatis cauſſis agam, latius tractandas.

4.° *Impetus advecti ſanguinis enormis*; quicquid motum ſanguinis progreſſivum intendere valet, ſymbolam ſuam hic conferre poterit; notum enim eſt, ſanguinis motum a frequentiori ac validiori cordis

(*a*) Journal de Médicine, Chirurgie, Pharmacie &c. par M. van der Monde, Tom. IX, p. 516.

(*b*) Alex. Knips Macoppe in Epiſt. edita Brixiæ an. 1731, §. 3, pag. 3.

contractione maxime augeri, & vim illam, qua arteriarum latera ab axi recedere coguntur, in ratione compoſita ex frequentia, & robore contractionum cordis majori increſcere: arteriæ hinc, quæ ſemper ſunt in diaſtole, quum cor eſt in ſyſtole, omnem ejus, qua arterias magis dilatare conatur, actionem ſufferre debent, unde maxime earum latera urgentur, ut ab axi recedant, & omnes, ex quibus conflantur, fibræ diſtrahuntur, ut ſanguini impetuoſius irruenti majus naſcatur ſpatium. Hinc nixus & motus vehementiores ob vomitum, clamorem (*a*), ob animi pathemata, præcipue iram & terrorem, tuſſes convulſivas infantibus, partum difficilem in parturientibus, aliæve magnæ corporis agitationes, viriumque contentiones, toties his malis anſam dederunt. Nec parum quoque huc contulerunt quicunque morbi ſpaſmodici, in quibus ſanguis magna vi verſus præcordia congeritur, ibique cordi, vaſisque majoribus inſignem vim inferunt, malum v. g. hyſtericum, hypochondriacum, aſthma convulſivum, epilepſia, ipſumque febrile frigoris ſtadium.

5.° *Parietum robur imminutum*; quatuor præmiſſæ cauſſæ huc referri debent, agunt enim parietum arteriarum robur imminuendo: dantur tamen adhuc innumeræ aliæ, quæ vel dependent *a depravatione totius corporis*, ob morbum v. g. diu paſſum, malique victus abuſum; unde humorum cacochymia, epilepſia, aliaque mala infantes ob incuriam, penuriamve parentum haud raro invadunt; ob aëris qualitates noxias; climatum naturam, & locorum humiliorum, ac paludoſorum conſtitutiones inſalubres; coïtum immodicum; menſium ſuppreſſionem, eorumve fluxum nimium, ac fluorem album; ciborum quantitatem nimiam, & qualitatem depravatam; labemque veneream &c.: vel *a topica arteriarum debilitate*, nata e. g. ex parietum arteriæ irrigatione, indeque inducta mollitie, ac arroſione a materia purulenta, ichoroſa (*b*), ex prope ſito abſceſſu, vel ulcere maligno profluente; ex contuſione qualicunque; tunicæ unius, pluriumve

(*a*) In carotide ex vehementiſſimis clamoribus obortum Aneuryſma, quod, comprimendo aſperam arteriam, ægro mortem intulit, Cl. Præceptor GAUBIUS vidit. (conf. VAN LEEUWEN diſſ. de Aneuryſmate vero pag. 13.)

(*b*) Notandum tamen non omni tempore cauſſam hanc Aneuryſmata producere; vidit certe Exp. PUTHOD (ut ſcribit M. MORAND in opuſc. de Chir. Tom. 1, pag. 225.) arterias crurales, & epigaſtricas per longum tempus materia purulenta, ex abſceſſu in inguine profluente, irroratas, licet nullum vitium inde in ipſis vaſis contigerit, ad interim tamen puris acrimonia tanta erat, ut vel os pubis carie fuerit affectum. Minime autem meris ſpeculationibus tantum inniti hanc a nobis propoſitam cauſſam, ex iis, quæ apud

vulnere a cauſſa externa, ſecante, pungente &c., vel interna diſtrahente, & dilacerante; aut arroſione ob humorum acrimoniam, ſive fuerit ſcorbuto, labe venerea, vel remediorum mercurialium uſu (*a*) ſanguini inducta, aliisque ſimilibus.

6.° *Eorum, quibus a foris fulciuntur arteriarum parietes, ablatio;* Supra jam vidimus, quomodo, ablato externo, quod inteſtina a peritonæo, cerebrum a calvaria habent, fulcimento, herniæ eorum cavis contentorum haud raro contingant; ſimili plane modo & hic arteriarum dilatationes a fractis (*b*) v. g. vel luxatis, quibus ipſæ accumbebant arteriæ, oſſibus, oriri queunt; hoc enim in caſu vis diſtendens ſanguinis arteriarum vires contranitentes ſuperare, & earum latera in ſaccum aneuryſmaticum diſtrahere debet. Hinc, ſi a carie, quacunque etiam de cauſſa enata, vicinum os fuerit exeſum, ipſi accumbens arteria, deficiente fulcro, in ſimile vitium facillime incidere poteſt. Evincit forte hoc illud a Cl. TARGIONIO annotatum exemplum, & ab Ill. MORGAGNO (*c*) memoratum: invenerat nempe magnam foveam in thoracis vertebris excavatam, eique oppoſitam venam ſine Pari admodum varicoſam, quod vitium veroſimiliter inceperat, cum vertebræ ob ætatem non amplius cederent; poſt læſam per glandem plumbeam claviculam, inſequentem vidit arteriæ ſubclaviæ ſaccum aneuryſmaticum Cl. ACREL (*d*); & obortum Aneuryſma Arteriæ Femoralis poſt oſſis fracturam JOS. WARNER (*e*) deſcribit.

7.° A paucis auctoribus haud immerito *arteriæ contraniſus ad ictum ſubitaneæ percuſſionis ſuperadditur.* Hoc in caſu, quum arteria eſt in diaſtole, omnem percuſſionis ictum excipit; hinc ejus fibræ diſtrahuntur, & divulſæ ſaccum aneuryſmaticum formant. Vidit LANCISIUS hominem 45 annorum, ſanum & fortem, qui, per publicam viam incedens, a quodam ex ludentibus ſphæra buxea in læva dorſi

---

MORGAGNUM (in lib. II de ſedibus, & cauſſis morborum &c. Epiſt. XVIII. a 27. XXVI. a 17. XXVII. a 2. 22. & ſeq.), & apud LANCISIUM (de motu cordis, & aneuryſmatibus part. II. prop. 32,) occurrunt, egregie confirmatur, quorum poſterior bina exempla citat, ubi tumor venereus claviculam occupabat, unde, vicina arteria ſubclavia eroſa, Aneuryſma naſcebatur.

(*a*) LANCISIUS l. c. prop. XXXIV.

(*b*) Tale exemplum CHARLES WHITE narrat (caſes in ſurgery pag. 141.)

(*c*) l. c. Epiſt. XVIII. a 29.

(*d*) Vid. Cl. SANDIFORT *Natuur - en Geneeskundige Bibliotheck 5de Deel 1ſte Stuk, p. 152.*

(*e*) Caſes in ſurgery caſ. XXII.

parte vehementer percuſſus fuit, pars autem læſa præter contuſionis indicia nihil monſtrabat, remanente tantum ſenſu moleſto, eo in loco, donec poſt 4 annos de profunda in loco percuſſo pulſatione, ſenſim increſcente, conquereretur, & tumor, in gibbam prope ſpinam elevatis & corroſis coſtis, ab audaciſſimo Empirico pro abſceſſu habitus, crudeli ferro aperiretur, ita ut ſanguinis flumen tanta erumperet extra alveum ſuum celeritate, ut animam ſecum rapuerit a corpore (*a*). Et, ut exemplum N. N. Holtorfii (*b*) & aliorum omittam, unicum caſum ex Cl. Swietenio addo, quem obſervavit in homine puſillæ ſtaturæ, qui, veſpere per tenebras incedens, pectus dextrum validiſſime palo impingebat, acerbo in ſumma pectoris regione vexabatur dolore, paulo poſt tamen iterum ceſſante: elapſis vero aliquot menſibus, inſolitam pulſationem ſenſit æger ſub dextra clavicula ſenſim aucta, anhelabat cito, ad ſuffocationem quandoque uſque; ſic per annum languens, ſubito periit. Aperto cadavere invenit Cl. Swietenius arteriam ſubclaviam dextram in ſaccum ingentem dilatatam, & adeo extenuatam, ut ſanguis contentus tranſpareret, &, levi tantum vulnuſculo inflicto, ingens copia ſanguinis concreti eruperit (*c*).

E quibus liquet, haud immerito, cauſſam hanc, ultimo numero indagatam, primarias inter Aneuryſmatum cauſſas annumerari. Deſcriptis vero his plures forte aliæ cauſſæ ſuperaddi poſſent, quas autem, ut minus frequentes, vel facile ad has claſſes referendas, omitto.

§. X.

Aneuryſmatis ſpurii cauſſas jam indagaturus, neceſſe eſt, ut ex definitione hujus generis repetam, ejus naturam conſiſtere in arteriæ cujusvis parietum ſolutione continui, ita facta, ut humores contenti in partes vicinas effundantur. Ad remotas vero cauſſas ſpectant:

1.° Vires Mechanicæ externæ, ſecantes, pungentes, contundentes, dilacerantes, hinc v. g. V. S. nimis inprudenter inſtitutæ toties morbum hunc intulerunt, nec non punctiones gladiorum, aliorumve inſtrumentorum pungentium ope, qualem caſum de homine Saviardus narrat, cujus arteria cruralis in interiore, & ſuperiore femoris parte ab adacto

(*a*) l. c. prop. xxi.
(*b*) In Diff. de aneur. in cap. pueri xi annorum Argentorati edita an. 1722.
(*c*) Tom. 1. Comment. ad aph. pract. Boerh. p. 288.

in eum locum gladio ita vulnerata erat, ut ſanguis effuſus, in interſtitiis muſculorum magna quantitate collectus hæreret (*a*). Immo ipſa Aneuryſmatum verorum, ab imperitis pro abſceſſibus habitorum, audax inciſio haud raro huic malo anſam dedit, & ſubitaneam mortem, ut in ſupra citato Cl. Swietenii exemplo confirmatum vidimus, miſerrimis ægris, bona ſpe crudeli lanceolæ ſeſe ſubjicientibus, quandoque intulit. Et, ut quoque de vi contundente conſtet, ſufficiet attuliſſe memorabile illud exemplum ab Exper. viro D. Mummsen (*b*) communicatum: Juvenis nimirum robuſti, annorum unde viginti, quum effrenatum equum effugere volentem cauda retinere contenderet, pectus tam violenter illius calce percutiebatur, ut reſiliens humi proſterneretur ſupinus: reſurgens tamen ſubito, & iracundus in ſtabulum properatus, paulo poſt mortuus concidebat. Examinato cadavere, ſternum quatuor, & dimidium pollicem circiter ſupra cartilaginem xyphoidem tranſverſæ fractum, ejusque pars inferior ſuperiori parte longe depreſſior facta deprehendebantur; ſterno autem ſublato, non niſi exigua ſugillatio in mediaſtino, nihilque effuſi ſanguinis in ipſo pectore, ſed magna ſeri pellucidi (quod vel ſemilibræ pondus ſuperabat) & ſanguinis coagulati, cor ipſum, ejusque auriculas undique adhærentis, copia in pericardio ſeſe offerebant. Perpendicularis quoque hiatus, per quem ſanguis effluxerat, in auriculæ anterioris margine detegebatur, in extremis anguſtus, & in media parte magis diſtans dimidii pollicis longitudine, & in inferiori cœco auriculæ fine præcipue conſpicuus. Præter hanc aperturam, in auriculæ anterioris parte exteriori obviam, adhuc alia in interiori auriculæ parte, ſuper annulum nempe oſtii auricularis ventriculi dextri, venoſi dicti, conſpiciebatur fiſſura tranſverſa, pollicem cum dimidio fere longa, non tamen ad ipſum auriculæ ſeptum penetrans, cujus labia, parum inter ſe diſtantia, filo quodam tranſverſo retinebantur. Tertia denique fiſſura in membrana, quæ foramini ovali, in fœtu ſemper hianti, prætenditur, in adultis vero plerumque accreta invenitur, conſpicua, tranſverſa ſimiliter erat, a columna nempe anteriori annuli ovalis verſus poſteriorem directa; labia ejus, filamento exiguo non ſatis retenta, ita diſtabant, ut libera proinde ex anteriori auricula in poſteriorem daretur via.

(*a*) Obſ. Chir. Obſ. lxiii.
(*b*) In diſſ. de Corde rupto Lipsiæ an. 1764 edita.

Caſum hunc, nitidiſſimo iconæ citatæ diſſ. annexo illuſtratum, & a LUDWIGIO *Adverſ. ſuis Medico-Practicis* inſertum (*a*), huc retuli, ut inde pateat, quantum contuſiones valeant, ut Aneurysmata creentur.

2.° Huc referri debet *ruptio*, ῥῆξις dicta, ex vi interna diſtendente ob cauſſas §. præcedenti expoſitas enata; omnes enim cauſſæ, quæ ad Aneurysmata vera inducenda quicquam conferre valent, valebunt etiam, ſi vel violentiores fuerint, vel diutius duraverint, hoc Aneurysmatum genus inferre; quare haud opus erit eaſdem hic repetere: liceat tantummodo breviter monuiſſe, præcipue illam cauſſam huc ſpectare, quam ſub titulo *impetus advecti ſanguinis enormis* deſcripſi: teſtantur nimirum obſervata, haud raro ex ſanguinis congeſtione nimia verſus cerebrum, effuſo nempe eodem, apoplexiam; verſus pulmones hæmoptyſin; verſus ventriculum vomitum cruentum &c. oriri; quæ affectiones plerumque arteriarum rupturæ adſcribendæ ſunt. Nec tamen tantum hoc de minoribus arteriis ſic intellectum velim; idem certe in majoribus fieri ſequens memorabile exemplum evincit: vir ſc. quinquagenarius affectionibus hypochondriacis frequenter obnoxius, gulæ atque vino mire indulgens, temperamenti ſanguineo-bilioſi, poſtquam facies rubore admodum perfuſa erat, & ſcommata varia, ac vaniloquia protulerat, ſubito gurgite cruento ex ore effluente, mortem inopinatam obibat; aperto cadavere, ac luſtrato thorace, arteria pulmonalis plane diſrupta inveniebatur, ex qua 12 propulſæ ſanguinis libræ ſtatim poſt diſciſſionem eruperant, & forſan plures erupiſſent, ſi non poſt obitum obturaculum faucibus fuiſſet immiſſum (*b*).

3.° Nec minori jure his cauſſis *arteriæ eroſio ab acribus*, quam διάβρωσιν vocant, annumeratur. Acrimonia enim qualiſcunque ſive generalis, ſive particularis, humoribus ex cauſis (in §. præc.) paſſim notatis, inducta, arteriarum parietes ita diſponere poteſt, ut, externa inprimis accedente cauſſa, facile erodantur. Mirum enim, quantum humorum acrimonia valeat, ad ſolidas noſtri corporis partes erodendas: ſcorbutus v. g. vel duriſſimos dentes erodit: lues venerea maxima & fortiſſima corporis oſſa in cariem convertit, & ipſum quoque

(*a*) Vol. 1, parte 1.
(*b*) MATANI de Aneuryſm. præcordiorum morbis §. 63.

quoque cancroſum virus dira tabe vicina omnia abſumit; ne dicam jam, quot, quantosque effectus in oſſibus, reliquisque corporis ſolidis haud raro producat materies purulenta, acris, ichoroſa, quæ viſcera non tantum exedere, oſſa erodere, ſed & totam eorum ſubſtantiam plane deſtruere valet, ut facile quis concipiat caſum, a LANCISIO obſervatum in homine quadragenario, ob fortunæ ſuæ tenuitatem pravis alimentis nutritum, & acrimonia humorum (quæ veroſimiliter ad morbum hunc producendum plurimum contulit) atque nativa arteriarum gracilitate laborantem, qui, cum prægrandem, & ſummi ponderis arcam ligneam, baculis etiam oppoſitis in locis coadjuvantibus, ab uno in alterum locum amovere conaretur, vehementiſſimum ictum ipſius angularis arcæ partis in ſummo ſterno excipiebat, cui infortunio poſt prægreſſam ſanguinis ſputorum ejectionem cum levi tuſſi, atque profundum eo in loco relictum dolorem, ſuperveniebat fortis quædam pulſatio, quam tandem lenta mors poſt annum ab accepta percuſſione terminabat. Aperto cadavere pars interior ſterni carie obſeſſa, & in cavam figuram, ſub qua tumor aneuryſmaticus latebat, elevata, ipſumque Aneuryſma ex parte antica, & dextera flexuræ Arteriæ aortæ, magnitudine ſua malum Punicum referens, ortum deprehendebantur (*a*). Ne memorem jam caſum, facile forte huc referendum, quem de homine, ex Aneuryſmate vita functo, Cl. MATANUS refert, cujus ventriculus mirum in modum ſanguine, qui ex arteriæ aortæ Aneuryſmate in ejus cavum influxerat, diſtentus erat. Tumor nempe aneuryſmaticus, œſophago adhærens, talem ſibi viam fecerat, ut ſanguis directe ex aorta in œſophagum tranſire poſſet (*b*). Plura ſimilia exempla apud SAUVAGES (*c*), MORGAGNI (*d*), aliosque occurrentia, huc referri poſſent, ſi hanc rem ulterius comprobare neceſſe foret; quum vero ex allatis ſatis conſtare mihi videatur, humorum acrimoniam, ſive ea totam ſanguinis maſſam infecerit, ſive peculiari tantummodo loco enata, inſigni arteriarum & vicinarum partium parietes erodendi facultate gaudere, quo fit, ut abſtruſiſſimi quandoque morbi excitentur, Medicorum admirationem abripientes, & in formandis indicationibus peſſimis

(*a*) l. c. part. II, prop. XXII.
(*b*) l. c. §. 62.
(*c*) Noſ. Method. Tom. III, p. 2, ord. 1 de hæmatemeſi n°. 2.
(*d*) De ſed. & cauſſis morborum &c. lib. II, epiſt. XVIII, art. XXVI.

erroribus anſam dantes, ita ut, teſte MATANO, ægroto, qui chronico antea morbo correptus putabatur in hydropem incidiſſe, diuretica remedia propinaverit Medicus, quorum uſu in irritum delapſo, improviſus tandem interitus cunctorum ſpem eludebat: communis tamen omnium ægrotum hydrope exſtinctum fuiſſe reſtabat conſenſus, quum ſimilia, quæ aſciten concomitari ſolent, ſigna præceſſiſſe ſemet perſuaſum quilibet haberet. Luſtrato autem cadavere, non ſerum, non aqua, ſed cruentus prodibat gurges ex aortæ trunco, circa emulgentes arterias diſciſſo, erumpens (*a*).

§. XI.

Aneuryſmatis Mixti naturam conſiſtere in communicatione, venam inter & arteriam relicta, ex pertuſa vena, arteriæque ſubjectæ læſione ita enata, ut venæ vulnus exterius cum cutaneo coaleſcat, interior vero venæ apertura cum ea arteriæ communicationem alere pergat, ſupra jam in definitione vidimus. Ut autem de cauſa aliquid dicamus ad Cl. HUNTERUM confugiendum eſt, qui primus hanc Aneuryſmatis ſpeciem obſervationibus illuſtravit (*b*).

Quam *Hunteri obſervationem* poſtea Cl. CLEGHORN ſingulari quoque caſu confirmavit, fateri haud erubeſcens, ſeſe hujus obſervationis diagnoſin accuratiſſimæ Ill. HUNTERI deſcriptioni debuiſſe (*c*), &, quamvis placuerit ipſi potius ſpeciem hanc *nomine Varicis Aneuryſmatici* inſignire, eamdem tamen cum Cl. HUNTERO ſervavit definitionem, cauſſæque indigitationem, quam ambo in *venæ ſectione nimis imprudenter inſtituta, ita ut, vena penitus pertuſa, læſa quoque fuerit ſubjacens arteria,* poſuerunt; quæ tandem obſervata Peritiſſimi Chirurgi ELSE, WHITE, & ARMIGER evicerunt: Si nimirum, facto tali Aneuryſmate, quacunque etiam de cauſſa vulneris inferioris venæ, ejusque arteriæ coalitio impediatur, dum interim cura Chirurgi ſuperius venæ vulnuſculum ad cicatricem deducatur, vitium aderit, quod de veri, quodque de ſpurii Aneuryſmatis ſpecie participabit, cujus rei veritas magis conſtabit, quando in ſigna hujus ſpeciei diagnoſtica exponendo verſabimur, & ſingulariſſimas, a nominatis viris annotatas, obſervationes paucis enarrabimus.

(*a*) Ibidem.
(*b*) Med. obſervations and Inquiries vol. I. art. XXVI, & vol. II. art. XXXVI.
(*c*) Obſ. Med. Tom. III, p. 110.

§. XII.

Duas *Aneuryſmatis Cardiaci* dari ſpecies, antea jam innui. Harum una cordis cavitatis capacitatem juſto majorem; altera autem ejuſdem vaſorum coronariorum dilatationem nimiam, ut cauſſam proximam, agnoſcit. Prioris cauſſæ remotæ, quas eo quidem prolixius hîc inveſtigabimus, quum permulti ſint auctores, qui huic ſpeciei vel fidem denegant, vel ſaltem ejuſdem frequentiam, qualis ab aliis deſcripta fuit, in dubium trahunt, præcipue hæ ſunt:

1.° *Hæreditaria ad cordis Aneuryſma diſpoſitio.* Teſtantur enim obſervata, a prima quandoque ætate cordis cavitates, quo ad fibrarum nexum, ita fuiſſe debiles, ut, levi tantum accedente cauſſa procatarctica, in ſaccum aneuryſmaticum ſeſe dilataverint, & ſane talem diſpoſitionem Cl. LANCISIO in Nobili quadam familia obſervare licuit, in qua nimirum quatuor ſe ordine excipientes generationes, Proavum nempe, Avum, Patrem, & Filium peſſimo hoc mali genere vexatos fuiſſe novit (*a*).

2.° *Enormis advecti ſanguinis impetus verſus cor* ſummo quoque jure huc referri poſſe videtur; ſi quacunque etiam de cauſſa ſanguis ab exterioribus N. C. partibus interiora verſus compellatur, obruuntur præcordia, ſanguinis trajectus per cor, ac vaſa ipſi vicina impeditur, & anxietates quandoque immanes exoriuntur; fibræ hinc vel auricularum, ventriculorum, arteriæ pulmonalis, vel aortæ divelluntur, &, continuatis alternis cordis palpitationibus, ſenſim ſenſimque tono ſuo orbantur. Neque cauſſam hanc meris tantum ſpeculationibus niti, evincet auctoritas perſpicaciſſimorum in re medica Virorum, BONETI puta, LANCISII, MORGAGNI aliorumque, quorum ſcripta ſatis ſuperque demonſtrant, a diu paſſis cordis palpitationibus, corporis animique commotionibus validiſſimis, præcordiorum morbis variis, deformitatibus v. g. organicis, catharrhis, aſthmatibus, aliiſque innumeris diverſæ indolis affectionibus convulſivis, epilepſia, malo hyſterico, & ſimilibus haud raro cordis Aneuryſmata enata fuiſſe: quo inprimis etiam ſpectare mihi videtur febrile frigoris ſtadium, in quo ex omni ferme corporis ambitu externo humores interiora verſus propelluntur, præcordia invadunt, & neceſſario immanem vim diſtrahentem in cordis, vaſorumque majorum fibras, exſerunt.

(*a*) De motu Cordis & Aneuryſm. parte II, prop. XLVII.

3.° *Impeditus liberior ſanguinis per cordis cava trajectus* præcipue huic malo anſam dare poteſt : quæcunque ergo obſtacula, in arteriis hærentia, ſive fuerint enata in arteria pulmonali, ſive in aorta, huc ſpectant : qualia ſunt valvularum incraſſatio nimia, in ſubſtantiam cartilagineam degeneratio, imo quandoque oſſificatio, qualem a Cl. MORGAGNO in arteriæ pulmonalis valvulis ſemilunaribus obſervatam legimus, ubi valvulæ colligatæ quaſi videbantur (ita quidem, ut vix foramen ſanguini tranſituro relinqueretur (*a*) : quibus annumerandæ quoque ſunt valvularum protuberantiæ, ex adnatis introrſum excreſcentiis obortæ (*b*), ipſarum arteriarum prominentiæ, atque tubercula, earum oſſificationes, quarum innumera exempla idem auctor libro citato allegat, vaſorum cavitas quacunque etiam de cauſſa multum imminuta, ſive ex corporibus heterogeneis intus enatis, ſive a ſpaſtica conſtrictione, ſive ab alia quavis externa cauſſa comprimente, aut & connata præternaturali arteriæ anguſtia illata; quo præcipue ſpectare videtur obſervatio illa a Cl. MECKELIO deſcripta (*c*), & (§. IX) verbo memorata, fœminæ 18 annorum, quæ jam a tenera ætate anxietatibus, & univerſali corporis tremore, cordiſque palpitationibus vexata, poſt menſium ſuppreſſionem, atque paſſam ſyncopen, ad plures abierat : luſtrato enim cadavere, aortam ita anguſtatam invenit Cl. AUCTOR, ut dimidiam vix pulmonalis arteriæ æquaret diametrum ; cor autem, totum latus ſiniſtrum occupans, prægrande erat, juſto capaciori pericardio involutum, flaccidum tamen, & ventriculis ambobus æque robuſtis gaudens. Qualem caſum & exhibet Ill. MORGAGNUS (*d*), ubi, præter vitium coarctationis, jam a primordiis innatum, concurrit etiam frequens, & diuturna corporis in arteriora incurvatio, qua fit, ut magni inferiores arteriæ rami non uno in loco ad angulos flectantur, & flexi, continuata hac incurvatione, retineantur, ſed inſuper, quo magis antrorſum curvatur corpus, eo magis ventris viſcera, & per hæc quoque diaphragma comprimuntur, ut minus expeditus ſit per ventrem ac thoracem ſanguinis motus, arteriarum ramis, truncoque ipſo conſtrictis, & magis in anguſtum redactis : naſcetur hinc, ob

(*a*) Lib. I. de ſed. & cauſ. morborum, &c. ep. XVII, art. XII.
(*b*) MORGAGNI ibid. ep. XXIV, art. XVIII.
(*c*) Hiſt. de l'Acad. Royale des Sciences & Belles-Lettres de l'année 1750, com. 5.
(*d*) l. c. epiſt. XVIII, art. IV.

impeditum per arteriam magnam trajectum liberiorem, ſanguinis accumulatio in corde eo major, quo ipſa fuerit in arteriarum cavo reſiſtentia magis adaucta, &, increſcente vi diſtendente, magis magisque diſtrahentur cordis fibræ, ut tandem vel plus cedere, vel rumpi cogantur.

De his autem omnibus adhuc id monendum eſt, quod, nata in arteria aorta reſiſtentia, Ventriculus ſiniſter, in pulmonali econtra, dexter cordis Ventriculus magnopere ſoleat diſtendi, ut Cl. MORGAGNI (*a*) aliorumque obſervata evincunt: quare erraſſe crediderim Cl. LANCISIUM, dum ſcribit, cum ad aortam eſt obſtaculum, dilatationem *in dextris cordis cavis plerumque ſolere accidere: cum vero in ſiniſtris accidit, fere ſemper in Auricula, non in Ventriculo obſervari*, idque *patere in caſu, relato a* JOS. BONETO *Anat. Pract. Lib. II, ſect. VII, obſ. 49. ex* DANIELIS HORSTII *animadverſione* (*b*). Ad hunc vero locum notat Cl. MORGAGNUS, *quod, ſi eum caſum relegiſſet Lanciſius, ſiniſtram quidem Auriculam majorem apparuiſſe dextra, vidiſſet, ſed de ventriculorum magnitudine nihil ſigillatim; illud dumtaxat generatim dictum, cor nimia quantitate exceſſiſſe, ut tam magnum adſtantes ſumme admirarentur. Si vero non modo aliorum, ſed & ſui ipſius reſpexiſſet obſervationes; continuo ſibi aliter ſentiendum, animadvertiſſet* &c. (*c*).

Tandem ad hunc numerum referri quoque debent aortæ curvatura juſto acutior, qua fit, ut reſiſtentia, cordi exinde enata, augeatur, & ſanguinis transfluxus per illud difficilior reddatur, ut denique fibræ, a ſe invicem divulſæ, *cardiacum Aneuryſma* efforment.

Nec minor quoque cordis viribus contractibilibus opponetur obex a polypis, in aorta & pulmonali arteria haud raro inventis, & ab auctoribus deſcriptis, quorum exempla ne plura memorem, unum adduxiſſe ſufficiet notabile, in cadavere Caroli Patini obvium, ac in epiſtola ab Alexandro Knips Macoppe deſcriptum (*d*); aperto nimirum thorace, aorta ita dilatata offendebatur, ut aliud cor in pericardio concluſum æmularetur, diſſecta vero tunica, apparuit,

(*a*) l. c. epiſt. XVIII, art. V.
(*b*) l. c. part. II, prop. LIII.
(*c*) l. c.
(*d*) Brixiæ anno 1731 edita; partim etiam a MATANO in tract. cit. §. LXVI deſcripta.

polypoſam intus concretionem contineri, quæ magnitudine ſua eam ovi anſerini grandioris, & pondus trium quatuorve unciarum, adæquabat, tendinoſis principiis aortæ radicibus ſupra ſemilunares valvulas innixa baſi, &, latiori ventre ſoluto, in ſerratum apicem deſinens, ad divaricationem uſque arteriæ porrigebatur, haud tamen aortæ parietibus quaſi cartilagineis ita coaptata, quin, relictis rimulis, quædam liquidi quantitas interflueret.

Si itaque tale obſtaculum ſanguini, ex cordis cavis profluxuro, opponi poſſit, quid mirum, ſi cor quandoque enormiter totum quantum, vel pro parte tantum diſtendatur.

4.° *Humorum acrimonia, concurrentibus cordis palpitationibus*, plurimum ad hanc ſpeciem producendam conferre valet; conſtitit jam (n°. 2. hujus paragr.) a cordis palpitationibus frequentiſſimis, ac diuturnis, valde debilitati ejuſdem fibras, ita ut, ſi huic infirmitati ſuperaccedat humorum acrimonia, quæ in vim cohæſionis, rodendo ſc., continuitatem ſolvendo, imo quandoque integritatem continentium ſolidorum plane deſtruendo, ut plurimum agere ſolet, facillime, arroſa cordis ſuperficie interna, & amiſſis pro magna parte, quibus ſe ſanguini diſtendenti opponebat, viribus contranitentibus, parietes cordis a ſanguine, juſto copioſius in illud irruente, maxime diſtendi valeant; hinc cordis Aneuryſmata toties occurrere in corporibus hypochondriacis, hyſtericis, epilepticis, lue venerea, aliisque morbis ſimilibus afflictis, in quibus humorum acrimonia frequens cordis palpitationis comes exiſtit, optimorum practicorum teſtimonia ferunt. Non negavero tamen humorum circulantium acrimoniam ſolam rariſſime, ſi unquam, huic morbo anſam dare poſſe; ſi enim tantummodo conſideremus, motum ſanguinis nullibi velocius, atque rapidius, quam per cordis cava, ejusque vaſa majora peragi, mirum certe haud poterit videri, ſi cum LANCISIO ſtatuamus, Aneuryſma cardiacum vix fieri poſſe, niſi una ſimul magnorum canalium & orificiorum obſtaculum acceſſerit (*a*); aut cum hoc cordis parietum eroſio a materia purulenta, ichoroſa, ex abſceſſu poſt inflammationem vel ulcere maligno profluente, illata, concurrat.

5.° Neque ſicco pede me hic præterire poſſe *ſanguinis in polypoſam materiem concretionem* facile putaverim; fateor equidem, multos

(*a*) l. c. parte II, prop. XLIX.

eſſe Auctores, qui polyporum in homine vivo generationem non tantum negant, ſed & in alios, hanc theoriam lubenter admittentes, atque exemplis illuſtrantes, maxime invehunt; inter quos KERCKRINGIUM nominaſſe in præſentia ſufficiet, qui, non niſi in articulo mortis polypos naſci opinatus, voluit omnia illa ſymptomata, quæ vulgo a Medicis, tanquam polypum concomitantia, incuſantur, ab aliis cauſſis derivare, & TULPIO, ac BARTHOLINO errorem imputare, quod vivos polypo cordis, aliarumve partium, non raro afflictos fuiſſe, autumaverint: *Servo enim*, inquit, *ejuſmodi*, *quos ipſi vocant*, *polypos*, *ex variis partibus collectos* : *nihil autem aliud ſunt*, *quam ſanguis*, *qui poſt animalium mortem refrigeratus & grumoſus*, *durusque redditus*, *ex corde*, *hepate*, *& cæteris partibus extrahitur*, *in varios ramos diviſus*, *prout ibi in cavitatibus variis hæſit*, *qui polypo narium ita ſimilis eſt*, *ut prima fronte prorſus idem appareat* (*a*) : ſed quilibet me hîc facile conceſſurum videbit, haud raro polypoſas concretiones in agone mortis formari poſſe, quum certum ſit, & ad oculum demonſtrari poſſit, ſanguinem, circulum ire ceſſantem, in ſuas partes ſecedere, & præcipue in ſolidiorem maſſam abire, & hanc veritatem nunquam a TULPIO, aut BARTHOLINO negatam fuiſſe crediderim. Minime autem KERCKRINGII argumentum ita ſtringit, ut ſimul ſtatuere haud queamus, vivente homine, polypos naſci poſſe : refragaretur ſane hoc quotidianis obſervationibus, quum conſtet, impeditam quacunque etiam de cauſſa circulationem non tantum, ſed & eandem nimis acceleratam; motus febriles; æſtum; vaſorum anguſtiam; compreſſionem; exercitia corporis nimia; terreorum, adſtringentium, calefacientium, ſpirituoſorum abuſus, quotidianas fibræ ſanguinis denſitatis majoris cauſſas fieri (*b*) : ita ut in exanthematicis febribus, cum inflammatione conjunctis, teſtimonia BOERHAVII (*c*), & SWIETENII (*d*) ferant, ſanguinem quandoque adeo denſatum fuiſſe, ut ne gutta quidem de naribus ſtillans difflueret; & teſtante AUGENIO, in febribus ardentibus ſanguis abſque ſero viſus fuerit (*e*); in apoplectici ſanguine ſerum minime ſeceſſiſſe, notaverit

(*a*) Oper. omnium Anat. obſ. LXXIII, pag. 145.
(*b*) Cl. GAUBII Inſtit. Pathol. §. 367.
(*c*) Prax. Med. Tom. I, pag. 265.
(*d*) Comm. Tom. II, pag. 458.
(*e*) De Venæ ſect. lib. IX, cap. 24.

Schwenckius (*a*); in morbo acuto ſanguinem abſque ſero fuiſſe, Fantonus Auctor ſit (*b*); ac, teſte Salio, in funeſta ſyncope ſanguis in arteriis, veniſque, adeo coactus fuerit, ut ſolida ejus maſſa extraheretur (*c*); &, monente Cl. Huxhamo, in ægris, pleuritide, & peripneumonia epidemica affectis, ſanguis viſcidus, parumque ſeroſus ſeſe manifeſtaverit (*d*): ſed denique, quem fugit accurata illa obſervatio de polypo, in arteria hominis, cui femur amputatum fuerat, ſupra ligaturam efformato, & ab Exp. Petit detecto? quales polypos non modo poſt 20, aut 30, ſed & poſt ſecundam ab amputatione diem conſtanter inveniri affirmat, ac figuris illuſtrat (*e*). Ne loquar jam de inſigni, quam toties polypum inter, in agone mortis veroſimiliter natum, & eum, qui, vivente homine, ſigna præſentiæ ſuæ manifeſta exhibuit, intercedere videmus, differentia, quo ad tenacitatem, colorem, ac ſoliditatem ſatis notabili. Examinemus vero, quæ ulterius a Kerckringio, ad opinionem ſuam ſtabiliendam, adducuntur; *ſanguis autem*, inquit, *concreſcit per admixtionem peccantis cujuſdam acidi humoris; quod experientia tuis ipſa exhibebit oculis, ſi cani vivo venam ſecueris, eique ſpiritum vitrioli infuderis; coagulabitur enim continuo ſanguis, & qualem in putatitiis illis polypis animadvertimus, concipiet duritiem* (*f*). Verum & hoc argumentum eam, quam nos fovemus, opinionem minime infringit: injectiones enim hæ tantum id probare videntur, quod fluida, in vaſis corporum animalium contenta, condenſari poſſunt, quando cum certis materiebus mixta ſunt; an vero hinc ſequitur, non poſſe ea abſque ulla heterogenea admixtione coagulari (*g*)? An ideo, v. g. quia pro lubitu cruſtam inflammatoriam in ſanguine producere poſſumus, ligatura nimirum brachio, vel cruri injecta, ita ut, anguſtatis vaſis, major naſcatur ſanguini retro appellenti reſiſtentia, concludere quis poſſet, eam nequaquam a vi vitæ nimis incitata dependere? Nemo certe, qui Cl. Præceptorem Gaubium, vel

(*a*) Hæmatolog. pag. 177.
(*b*) Obſ. Anat. VII.
(*c*) Vid. Freindii Hiſt. Med. m. p. 58.
(*d*) Oper. Phyſ. Med. Tom. I, pag. 37.
(*e*) Mémoir. de l'Acad. des Sciences an. 1732, pag. 394.
(*f*) l. c. pag. 146.
(*g*) Senac Traité de la Structure du Cœur, Tom. II, chap. X, pag. 443.

vel ſemel tantum de hac cruſta differentem audiverit, vel ejuſdem inſt. Pathologicas attente perlegerit (*a*).

Sed ne forte in Cl. KERCKRINGII hypotheſi refutanda nimis audax videar, conſultius judicavero, ſi tantum pauca adhuc addam, quæ ſatis ſuperque, ni totus fallar, evincent, non ſolum in vivis polypos adfuiſſe; ſed & eoſdem ad *Aneuryſmata cardiaca* procreanda ſymbolam ſuam quam plurimum conferre. Ut igitur exemplum, noſtrum thema inprimis ſpectans, adducam, concretionem memorare debeo polypoſam, ovi columbini magnitudine, nullibi accretam, ſed libere in ſiniſtri cordis cavo hærentem, quæ, vivente homine, horrenda mala produxit (*b*); & illud denique argumentum, quo polyporum in vivis natorum exiſtentia egregie illuſtratur, priori ſuperaddere cogor: e vena nimirum hominis vivi inciſa, extracta quandoque fuiſſe coagula, non tantum polypoſa (*c*); ſed & in maſſam quandoque plane tendineam mutata (*d*), ac ſanguinis e vena ſecata effluxum omnino prohibentia. Ne memorem jam mirabilis ſtructuræ, atque inſignis magnitudinis polypum, in aorta hominis ſexagenarii prope cor repertum, & ab Ill. MALPIGHIO deſcriptum (*e*); illum a PECHLINO detectum, ex ventriculo dextro in auriculam & venam cavam decurrentem (*f*); atque alium, ſiniſtrum cordis cavum obſidentem, & a TULPIO deſcriptum, ac figura depictum (*g*); a KERCKRINGIO autem pro pſeudopolypo (*h*) immerito habitum; fides, credo, denegari haud poterit polyporum, inſignis quandoque magnitudinis, ac in ſaccis aneuryſmaticis repertorum hiſtoriis, ab auctoribus accuratiſſimis vel delineatis, vel verbis ita enarratis, ut de iis dubitare amplius nefas foret: ſpectant huc præcipue concretiones illæ polypoſæ, quas (ut omittam, quæ jam a VESALIO, BONETO, aliiſque memoratæ ſunt) nuperioribus temporibus deſcripſerunt, LANCISIUS in arcu aortæ inſtar lardi ſe commonſtrantes (*i*); Cl. ED. SANDIFORT in Aneuryſmate arteriæ aortæ, prope cor pro

(*a*) §. 367.
(*b*) Act. Phyſ. Med. vol. II, pag. 5.
(*c*) Lettre, dans les Mém. de l'Acad. des Sciences an. 1704, pag. 24.
(*d*) MANGETE Bibliothec. Anat. Tom. I, pars II, pag. 958.
(*e*) Diſſ. de Polypo Cordis Opp. omnium p. 315.
(*f*) Obſ. Phyſ. Med. lib. II, obſ. I.
(*g*) Obſ. Med. lib. I, obſ. 27.
(*h*) l. c.
(*i*) De ſubit. mortibus obſ. ult.

magna parte albicantes (*a*); D. SENAC in cordis parte ſiniſtra (*b*); G. HUNTERUS in anteriore parte Aneuryſmatis in principio aortæ obvii (*c*); ALB. HALLERUS, ut membranas albas, pulpoſas, & lamellatas, ex arcu aortæ in arteriam carotidem ſiniſtram, & jugularem venam continuatas (*d*); ac alio in caſu venam cavam, inter renales venas & iliacas, ita obturantes, ut nihil cavitatis loco ſupereſſet, niſi fibroſa quædam, quaſi carnea, polypoſa, & dura caro (*e*). Nec minori jure huc referri poſſe videntur polypus magnus, albus, atque tenax, a Cl. STORCKIO in dextro cordis ventriculo, in magnum Aneuryſma extenſo, valde tenui, ac debili repertus (*f*); ſanguis concretus, vehementerque tum polypoſus, tum cordis parietibus, columnisque accretus, in ventriculo cordis ſiniſtro, ad mucronem ampliſſimo, ita vero extenuato, ut levis modo membranula albeſcens, facile diſrumpenda, ibidem ſupereſſet; ac firmi, longique polypi in ejuſdem cordis ventriculo dextro, binis Auriculis, Sinubus, Pulmonali arteria, utraque cava vena a Cl. DE HAEN detecti (*g*): nec non ingens ille polypus, quem in Auricula, ac thalamo cordis ſiniſtro invenit, deſcripſit, ac figura illuſtravit FR. DEKKERS (*h*). Quæ omnia igitur (certiſſimum enim eſt, has polypoſas concretiones, in Aneuryſmaticis ſaccis inventas, eadem cum iis, in corde aliquoties obviis, ſtructura gaudere) attente conſiderata non facile mihi perſuadent, ut cum KERCKRINGIO, RUYSCHIO aliisque ſtatuam, polypoſas concretiones ſub vel poſt mortem demum generari, & eas hinc ex numero cauſſarum morbificarum relegandas eſſe; eoque minus huic opinioni aſſentiendum crediderim, quum a tot, tantisque auctoribus notatum video, ſuſpicionem latentium polyporum in corde, vaſisque majoribus, ex ſymptomatibus, in ægrotantibus obviis, ſuſceptam haud raro cadaverum diſſectione egregie confirmatam fuiſſe.

Videndum nunc ſupereſſet, utrum polypus cardiacis Aneuryſmatibus anſam dare poſſit; certe, ſi ex ſupra dictis repetamus, quæ

(*a*) Heel- en Ontleedkundige Verhandeling pag. 13 en 15.
(*b*) Lib. IV, cap. X.
(*c*) Medic. Obſervations and Inquiries vol. 1, art. XXVI.
(*d*) Opuſc. Pathol. obſ. XIX.
(*e*) Ibid. obſ. XX.
(*f*) Annus Med. 1, pag. 118, cadav. quart.
(*g*) Rat. Med. pars IV, cap. II, §. 3.
(*h*) Exerc. Pract. cap. VII, m. p. 611.

ſanguinem vivi hominis coagulare non tantum, ſed & in veros polypos mutare valent; ac præterea ex fideliſſimis auctoribus confirmemur, poſt magnos terrores, violentos horrores, morbos, æque acutos ac chronicos, præcipue Melancholiam, &c. polypos in cordis vaſorumque majorum cavis haud raro ortos fuiſſe, nullum amplius dubium reſtare videtur, quo minus ſtatuamus, nato polypo, inſignem ad Aneuryſmata diſpoſitionem dari: obſideat v. g. concretio talis polypoſa aortam arteriam, magna naſcetur illico ſanguini, retro advenienti, reſiſtentia, & creſcet ſanguinis in latera vaſis actio eo magis, quo cor violentius hanc reſiſtentiam vincere conatur; retento igitur, & accumulato juſto majori copia, in corde, ipſoque arteriæ magnæ principio, ſanguine, fibræ eorum diſtenſæ ad Aneuryſmata ſenſim ſenſimque diſponuntur. Verum quis non videt, eodem quoque in loco, quem polypus occupat, talem diſpoſitionem naſci poſſe? hærens v. c. polypus in uno alterove cordis ventriculo, ſatis cito, appoſitis nimirum continuo novis lamellis, magis magisque increſcet, impediet, quo minus prompte ſeſe evacuent cordis thalami, accumulabitur igitur perpetuo ſanguinis copia, fibræ diſtrahentur, & quandoque mirum in modum dilatabuntur.

Stabilita ergo, quam hîc tractavimus, cardiaci Aneuryſmatis ſpecie, neceſſe eſt, ut videamus, utrum eodem jure huic addatur ea cordis Aneuryſmatis ſpecies, quam ſupra jam, in *dilatatione vaſorum cardiacorum immodica*, conſiſtere vidimus. Non minoris certe ponderis ſunt ea argumenta, quæ, pro hac ſpecie confirmanda, adduci poſſent. Attendamus modo, quam innumeris vaſis gaudeat cordis ſubſtantia, ita ut in præmiſſa ejus deſcriptione notaverim, ipſius vaſa injectione materiæ coloratæ ita adimpleri poſſe, ut incautis videretur cor non niſi ex vaſis conſtare. Præterea ſi aſſumamus, inſignem dari in vaſis coronariis expanſilitatem, ita ut ea in cadavere militis aliquando turgidiſſima invenerit FANTONUS (*a*); & a MORGAGNO in cadavere viri, jam ab adoleſcentia ſua veneri, cibis, atque baccho deditiſſimi, ſiniſtræ propemodum carotidis latitudinem adæquantia viſa fuerint (*b*): merito itaque ſpeciem hanc a nobis commemoratam eſſe crediderim, præcipue quum conſtet, horum vaſorum diſtenſionem nimiam non tantum fœtus, infantes, ſed & ipſos haud raro

(*a*) Obſ. Anat. Med. obſ. VII.
(*b*) l. c. epiſt. XXVII a. XXVIII.

adultos infeſtare, imo quandoque mortem intuliſſe (*a*). Paucis ergo in cauſſas inquiramus, quæ ad morbum hunc producendum ſymbolam ſuam conferunt.

1.° In prioris Aneuryſmatis cardiaci cauſſarum tractatione (n.° 1.) memoravimus *hæreditariam ad Aneuryſmata proclivitatem*; & vidimus, revera hæreditate ita diſpoſitas fuiſſe cordis fibras, ut levi quoque de cauſſa in ſaccum aneuryſmaticum ſeſe dilataverint; ita ut ſtatuere fas ſit, fibras vaſorum coronariorum ob hæreditatem ita laxas, flaccidas, atque debiles eſſe poſſe, ut, accedente quacunque etiam cauſſa procatarctica, juſto magis diſtendantur, & cordis magnitudinem mire adaugeant.

2.° Majori tamen jure huc referri poſſe videntur omnia ea, quæ, in cauſſis Aneuryſmatis veri explicandis, verboſius ſub titulis *congeſtæ uberioris ſanguinis molis*; *voluminis expanſione adaucti*; *impediti ſanguinis trajectus*; *impetus advecti ejuſdem enormis*, *ac vaſorum parietum roboris imminuti* tractavimus; hæc enim, attente conſiderata, ad coronaria vaſa facile transferuntur, quapropter opus haud erit, diutius hiſce inhærere: unicum hoc addo, quod prior cauſſa, *congeſta uberior ſanguinis moles*, in infantibus longe frequentior ſit, quam quidem vulgo putatur; conſtat enim in junioribus omnia corporis ſolida teneriora, molliora, ac magis extenſilia eſſe, quam in adultioribus; quod tamen in iis ſummopere neceſſarium erat, ut corporis nutritio & incrementum eo felicius peragantur: illa vero, huic vitæ ſtadio ſuperaddita, longe promtiori, quam Natura ad ea, quæ vitæ actuoſitate continuo deteruntur, reparanda opus habet, ſanguificatione ſit, ut in iis præcipue, qui ſimul ingluviei admodum deditì ſunt, fluidorum ad firmas partes proportio tollatur, plethora generetur, vaſa diſtendantur, imo fibræ quandoque tonum ſuum plane amittant. Hæc itaque ſi ad vaſa coronaria applicemus, quæ adeo diſtenſilia ſunt, ac ramificata, facile liquet, ſanguinem, magna vi ex corde per arteriam aortam propulſum, in vaſa coronaria, facillime cedentia, eodem tempore intrare, in iis accumulari, neque ob eorum ramificationes minutiſſimas continuo refluere poſſe; naſcitur hinc ſanguinis per ea trajectus liberior inpeditus, vaſorumque repletio tanta, ut rumpi, vel enormiter dilatari cogantur. Non mirum igitur, quod Cl. MATANUS in homine, ex ipſis incunabulis ingluviei admo-

(*a*) MATANI l. c. §. VII,

dum dedito, immanem cordis amplitudinem, ob vaſorum coronariorum diſtenſionem nimiam, ex qua interitus conſecutus fuit, obſervaverit (*a*).

Ad quartam vero (ibidem) commemoratam cauſſam, *impetum* nempe *advecti ſanguinis enormem*, id monendum habeo, quod, nata v. g. in aorta, a quibuſcunque etiam cauſſis, in prioris Aneuryſmatis cardiaci ſpecie (n.° 3.) copioſe allatis, inducta reſiſtentia, magna detur ad hanc cordis affectionem proclivitas; cor enim, continuo tentans hunc ſibi moleſtum obicem ſuperare, ſanguinem ſuum magna vi in obſeſſum locum projicit; ille autem, non ita facile perennans, eo impetuoſius ruit in vaſa coronaria, diſtendit ea, atque dilatat.

Quintæ denique cauſſæ, *parietum* ſc. *imminuto robori*, hoc ſuperaddere liceat, in hydrope pericardii colluviem ſeroſam, alluendo vaſa coronaria, tantam quandoque flacciditatem ipſi pericardio, totique cordis texturæ conciliaſſe, ut ipſe viderim, cor pericardio ſuo incluſum, inſigni ſeroſi liquoris quantitate humectatum, ne ullam ferme fibram, colore ſuo rubello conſpicuam, exhibuiſſe, ejusque fabricam tam laxam fuiſſe, atque flaccidam, ut inde facies cordis externa prorſus dealbata eſſet. Verum acre, atque irritans factum, idem ſerum inflammationes, ulcera &c. inducere valet, quibus facile fit, ut, vaſorum parietibus admodum infirmatis, ac ſanguinis motu, quacunque etiam de cauſſa, per hos canales accelerato, diameter eorum adaugeatur, fibræ diſtrahantur, ac divulſæ, vel per totam cordis ſuperficiem æqualiter, vel pro parte tantum, mirum in modum dilatentur.

SECTIO QUARTA.

De Aneurysmatum effectibus.

§. XIII.

Ut eo, quem nobis jam in initio propoſuimus, ordine procedamus, proximum eſt, ut diverſarum Aneuryſmatum ſpecierum effectus dilucidius nunc explicemus, qui, cum cauſſis jam pertractatis collati, ad eorum diagnoſin multum conferent. Ingens autem horum numerus quum ſit, præcipuos tantum, eosque in praxi frequentius occurrentes, commemorare ſatis erit; diverſiſſimi nimirum inter ſe ſunt, prout

(*a*) l. c. §. VII.

ſedes Aneuryſmatum diverſa fuerit, imo, niſi forte vocabulum effectus ſtricte hic applicare malueris, eorum etiam ſingulos, eandem ſedem quamvis occupaverint Aneuryſmata, haud raro maxime inter ſe diſcrepantes detegimus.

Primarius autem, inter *Aneuryſmatis veri effectus* (ut iterum ordinem Cl. Præceptoris GAUBII (*a*) ſequar) locum occupat:

1.° *Tumorum efformatio, eorumque ſæpe immanium, ſi parietes arteriarum tenaciorem vim lente diſtendentem diu experiuntur.* Stupendum enim, quantum plurima N. C. ſolida continentia, ſi ſaltem ſenectute aliove vitio nondum obriguerunt, abſque ruptura ſeſe diſtendi patiantur, modo ad ea attendamus, quæ æque in ſtatu ſano, ac morboſo fiunt, in integumentis v. g. ac utero gravidarum, cute infantum, hydrocephalo laborantium; aſcite, herniis, vel & emphyſemate afflictis; in ventriculo cibis atque potibus deditorum; in veſica hominum, iſchuria quandoque inſigni correptorum. Ne memorem jam, quæ in reliquis N. C. receptaculis obſervatæ fuere, dilatationes inſignes, in ureteribus v. g., ductu choledocho, aliisque ſimilibus canaliculis. Ut autem de vaſis quoque hoc conſtet, ex innumeris exemplis petita illa RUYSCHII obſervatio ſufficiet: homo nimirum ſponte factum Aneuryſma tantæ magnitudinis in pectore ſuo gerebat, ut pulvinar mediocre, quo in ſedili utimur (demtis quatuor angulis; rotundum enim erat) æquaret. Aperto cadavere, apparuit, aortam tribus digitis tranſverſis ſupra cor in magnum Aneuryſma degeneraſſe (*b*): & ne, proprium, ad finem diſſertationis adjiciendum, aliorumque obſervata commemorando, nimis hîc excurram, unicum tantum, a Cl. Præceptore SANDIFORT communicatum, exemplum ſuperaddo, tumoris nimirum aneuryſmatici, ex aorta maxime dilatata enati, pectorique inſidentis, cujus circumferentia undeviginti & tres quartas partes pollicum; altitudo vero decem, & unam quartam partem poll. adæquabat (*c*). E quibus ſatis liquet, in tantam ſæpe magnitudinem diſtendi poſſe arteriarum parietes, ut non ſine ratione mireris, eos tamdiu abſque ruptura tolerari. Verum & huic natura haud raro egregie proſpicit, dum, ne tenuati cito rumpantur parietes, denſatione, incraſſatione, novisque laminis

(*a*) Inſtit. Pathol. §. 207.
(*b*) Obſ. Anat. Chir. Cent. obſ. XXXVIII.
(*c*) Heel- en Ontleekundige Verhandeling §. 3.

appoſitis cavitatum latera roboret (*a*) : conſtitit hoc ex illa RUYSCHII obſervatione, mox deſcripta, ubi innumerabiles tunicæ, craſſæ, carnoſæ, ſatis tenaces, & ſibi invicem impoſitæ, ita adimpleverant membranæ craſſitudinem, ut ſola fere hæc, ex concretionibus illis polypoſis enata, debuerit ingentem hunc ſaccum efformare, fulcire; exterior enim tunica, quæ aortæ dilatatæ membrana erat, ſtraminis tantum craſſitiem habebat. Similes polypoſas concretiones tunicæ arteriæ, mirum in modum diſtenſæ, undique ita affixas, ut ægre inde ſolvi potuiſſent, in propria obſervatione vidi, & in Tab. 5 & 6 exhibui. Verum ſimul quoque ex his conſtare poterit, quam multiplices conformationis a ſtatu ſano receſſus, incautos fallentes, oriri facile queant : vidimus enim antea, & in poſterum evidentius erit, innumeras fere cauſſas eſſe, quæ ad mala hæc producenda ſymbolam ſuam conferre, & in totum ſyſtema vaſorum effectus ſuos edere poſſunt, immo ipſa Aneuryſmata aliorum tumorum larvam ita quandoque induere, ut pro longe diverſis morbis ea ſalutares; quid mirum itaque, ſi vel peritiſſimi in Aneuryſmatibus curandis tantopere decepti fuerint Chirurgi, ut ea, pro abſceſſibus interdum habita, crudeli lanceola aperuerint, & loco puris ſanguinem cum anima eduxerint. Optandum itaque foret, ut certiora hîc haberemus indicia, quibus tumores aneuryſmatici ab aliis, natura longe diverſis, facile diſtinguerentur : de his autem in poſterum, ubi de diagnoſi hujus mali agendum erit, plura adferam.

2.° *Ob violentiorem diſtractionem ruptura*; *unde contentorum elapſio*, &, *quæ ex hac ſequuntur*, *innumera*. Inſignem quidem diſtractionem, inprimis ſi lente fiat, arteriarum parietes ferre poſſunt; minime tamen in infinitum creſcit niſus eorum in cohæſionem : imo ſæpiſſime natura eorum rupturam cavet, apponendo concretiones polypoſas ad internam arteriæ diſtentæ tunicam, non tamen ſemper; neque etiam omni tempore eodem tenore diſtenduntur, obſervata nimirum (in ſect. præcedenti) *ad cauſſas Aneuryſmatis veri* allata abunde demonſtrarunt, ſubinde cordis cava, vel vaſa majora, ſanguini, impetuoſius irruenti, ulterius reſiſtendi imparia, ſubito fuiſſe diſrupta, erupuiſſe ſanguinem, ac mortem, momento fere citius attuliſſe : ſi vero eadem in minoribus arteriis contingant, & ſanguis in cellulari membrana, vel ſacco peculiari ab aponeuroſi, aliave membrana

(*a*) Cl. GAUBIUS l. c.

formato, effundatur, gangrænam, cariem, immo oſſium vicinorum colliquationes inducere ſolet.

3.° *Ob materiæ in cava diſtenta protruſæ impetum majorem, impedito tranſitu, creſcente æſtu, concitata putredine, vi preſſionis intercepto in vaſcula parietum partiumque vicinarum influxu vitali, mortificatio*; ſimulac igitur arteriæ dilatatio facta fuerit, ſive cordi vicina, ſive ab eodem remotior fuerit, continuo tamen ſanguinis in illam impulſio adaugetur, & ille magis magisque in ſaccum aneuryſmaticum impingitur, qui, dum vel parum, vel maxime dilatatus, tantam ſanguinis copiam expellere continuo nequit, quantum cordis contractionibus & arteriarum vibrationibus incitatis, in illum impellitur; attritu itaque illo perdurante, calor incitatur, & ſanguis accumulatus æſtu majori putredinem contrahit, vel concreſcit in materiem polypoſam, quæ, magis magisque ad parietes arteriæ dilatatæ appreſſa, omnem tandem influxum & circulationem humorum per vaſa, eos vicinasque partes perreptantia, tollunt, qui proinde, in vaſculis ſuis ſtagnantes, calore loci putredinem facilius contrahunt, vaſcula propria erodunt, unde vel humorum in ſaccum aneuryſmaticum continuo impulſorum effluxus, &, quæ exinde fluunt, mala innumera, vel, ob materiæ ichoroſæ e vaſis ſuis exſtillationem, vicinarum partium læſio: quare, ſi in exterioribus Aneuryſmatibus color naturalis cutis, ſaccum integentis, in livido purpureum, nigricantem, gangrænoſum mutatur, Medici atque Chirurgi inſtantem Aneuryſmatis rupturam ſummo jure metuunt; quum in plerisque Aneuryſmatibus, lente factis, talis præcedere ſoleat coloris cutanei permutatio, ut plurima obſervata evincunt, & ad finem hujus diſſertationis obſervatione propria ulterius confirmabo.

4.° *Ob tenuiorem partem materiæ in cavum amplius congeſtæ per os anguſtius, aut per laterum diapedeſin tranſudantem, retentæ craſſioris in tumores ſolidos, molles, duros lenta condenſatio.* Hinc, quando Aneuryſmata non ita diu durarunt, ut ſanguinis concretio tam firma fuerit facta, molles ut plurimum eorum tumores, & digito cedentes, deprehenduntur, ſimulac autem per laterum diapedeſin ſerum fuerit expreſſum, relictum intus craſſamentum conquaſſatione continua lamellas format, quæ lateribus appoſitæ, & numero ſenſim ſenſimque increſcentes, duros reddunt parietes, & renitentes; vel abit in duras, firmasque maſſas polypoſas, quæ in ſaccis quandoque

ita

ita increſcunt, ut, pulſu ſeſe non amplius manifeſtante, dubitare quis poſſet, utrum Aneuryſma, an vero alius generis tumorem ſolidiorem contrectaret.

5.° *Humoris per arteriæ dilatatæ parietes tranſudatio, qui, acrior factus, ea, quæ prope ſunt, rodit, & oſſibus etiam vitium infert* (*a*). Mira ſane quandoque hîc contingunt phœnomena; exſudante per latera ſacci humore acriore, oſſa vicina inſigniter plerumque eroduntur, ipſi licet arteriæ dilatatæ parietes, ipſæque partes vicinæ molliores, ſpongioſæ, tenerrimæ, nihil inde mali patiantur, cujus phœnomeni rationem eruere, poſtea, ubi de effectibus Aneuryſmatis arteriæ aortæ ſpeciatim agemus, tentabo. Nunc tantum ad id, quo fiat, ut oſſa vicina ab accumbente Aneuryſmate tantopere excavari ſoleant, attendamus; cujus rei ratio explicatu ſatis facilis videtur Ill. Morgagno, quum dicit: *Vaſcula enim perioſtii, & perichondrii, & quæcunque alia, ut puta attenſæ his pleuræ, inter reſiſtentia illa corpora, & aſſidue, ac vehementer pulſans Aneuryſma interpoſitæ, ideoque contuſa, atque extenuata, facile tandem hîc illic rumpuntur, & quædam quaſi ulcuſcula faciunt, perminuta quidem, ſenſumque fugientia, humorem tamen inter lamellas membranarum illarum fundentia, qui mora acredinem contrahit, & erodendi vim, in quibuſdam præſertim corporibus, non mediocrem. Quæ de vaſculis etiam credito, per eam parietum Aneuryſmatis partem reptantium, quæ pars ad reſiſtentia illa corpora urgetur* (*b*). Quam opinionem quoque Cl. Sandifort in explicanda ſterni exeſione, Aneuryſma arteriæ aortæ concomitante, amplectitur (*c*), quo in caſu humores ichoroſi tantam jam contraxerant acrimoniam, ut in manibus Cl. Viri, aliorumque adſtantium ulcera maligna, non niſi poſt longum tempus ſanabilia, excitaverint. Verumtamen exempla quoque proſtant, in quibus conſumtio oſſis vicini ſimilis aderat, licet nulli humores ichoroſi ſeſe manifeſtaverint: talem v. g. caſum nobis exhibet Cl. Hunterus, qui fatetur, conſumtionem, ab illo obſervatam, a carie longe diverſam fuiſſe, ſibique viſum, ſanguinem inſenſibiliter quaſi os diſſolviſſe, & deſtruxiſſe; immo, in hanc ſanginis vim ulterius inquirens, addit, narratum ſibi fuiſſe a peritiſſimo Chirurgo, quod hic, tumorem

(*a*) Platneri Inſt. Chir. Rat. §. 429.
(*b*) l. c. epiſt. xviii, a. 27.
(*c*) Tract. ſæpius citat. §. xvii.

exiguum, a latere capitis ſitum & merum ſanguinem continentem; aperiens, nullum os infra eum invenerit, quod ſanguine diſſolutum putabat (*a*). Qualem excavationem & conſumtionem in noſtro quoque caſu, ad calcem diſſ. memorando, deſcribam: an vero hæc ſimili cauſſæ adſcribenda ſit, nec ne, dubius adhuc hæreo, in poſterum, ubi de effectibus Aneuryſmatum aortæ ſpeciatim agam, hanc quæſtionem ulterius indagaturus.

6.° Quibus omnibus tandem & illos ſuperaddere lubet effectus, quos tumores aneuryſmatici, valde increſcentes, in vicinas partes, præcipue ſi interiora N. C. occupaverint, exſerant: ſupra enim jam vidimus, ad inſignem magnitudinem adaugeri poſſe Aneuryſmatum dimenſiones, ut non facile quis miretur, ægrotantes, hiſce malis circa præcordia afflictos, immanibus ut plurimum vexari anxietatibus, doloribus acutiſſimis, palpitationibus, lipothymiis, cephalalgiis, vertiginibus, convulſionibus, apoplexia, delirio, &c. præcipue ſi Aneuryſmata, mole ſua pulmones, vel vaſa vicina comprimentia, trajectum ſanguinis liberiorem per ea, atque cor prohibuerint. Eadem quoque vi Mechanica & alias, ſibi vicinas, partes lædere poſſunt, eas nimirum e loco ſuo repellendo, deſtruendo, ac arietatione ſua ipſa duriſſima oſſa excavando, cæteroſque ſimiles effectus, actiones N. C. qualeſcunque mire turbantes, producendo.

§. XIV.

Nec minoris certe momenti effectus ſunt, qui *Aneuryſmata Spuria* concomitantur, eique multo periculoſiores, ac inter ſe magnopere diverſi, pro ut ſedes eorum alia aliaque fuerit. In interioribus v. g. enata quam plurima producere ſolent ſymptomata, partium functiones vel prohibentia tantum, vel plane tollentia: hinc ſi ſanguinis circuitus per vaſcula cerebri denegetur, ſive hoc ex qualicunque tumore, vel in interna calvariæ ſuperficie, vel in ipſa dura, aut pia matre exorto, ſive ex intropreſſo cranio, membranarum inflammatione, polypo, atheromate, aliiſve diverſiſſimis cauſſis factum fuerit, perinde eſt, modo conſtet, immodica ſanguinis accumulatione exinde illata maximopere vaſa diſtendi, fibras eorum divelli, ut, facta demum vaſorum ruptura, ſanguis contentus effundatur, & apoplexiæ, aliiſque capitis affectionibus anſa ſuppeditetur.

(*a*) Medical Obſ. and Inquiries vol. 1, pag. 345.

Similis ſanguinis congeſtio præternaturalis, ſi facta fuerit verſus pulmones, hæmoptyſin; verſus ventriculum, hæmatemeſin; verſus renes, mictum cruentum; verſus inteſtina, dyſenteriam; aliasque ſpecies, pro varietate partium inter ſe diſcrepantes, quamvis earum omnium natura eadem in vaſculorum ruptura poſita ſit, excitare ſolet. Si vero a contuſione valida, in quocunque etiam loco, arteriæ fuerint diſruptæ, maximi ſæpe oriuntur tumores, vel ſaltem maculæ rubræ, ut plurimum lividæ, immo quandoque omnino nigricantes ob ſanguinem effuſum, coagulatum, ac per cutim pellucentem.

Periculoſiſſimi vero ſunt effectus, qui ex diſruptione, vel vulneratione majorum vaſorum exoriuntur, qui, niſi cito auxilium afferatur, momentaneam ſæpe mortem inducunt, ut innumeris exemplis, ſi id ſcopus noſter dictitaret, comprobare poſſemus: unicum tantum iis, quæ paſſim in cauſſarum enumeratione citavimus, quo modo dicta optime illuſtrentur, ſuperaddo. Juvenis nimirum 17 annorum vulnerabatur ſclopeti globulo, femur penetrante, ad octo digitorum tranſverſorum diſtantiam ab inguine. Mox aderat valida hæmorrhagia, quæ, apparatu Chirurgico impoſito, coërcebatur; ſequenti die apparebat ingens tumor cum pulſu tam valido, ut ambas manus impoſitas attolleret: ſanguis interim per vulnus ad tres, vel quatuor uncias ſæpe effluebat: dein ſponte iterum ſiſtebatur. Sic ad quadrageſimum uſque diem ab inflicto vulnere res ſeſe habuit. Communi tunc conſilio, licet febris & collapſæ vires ægri ſummum indicarent periculum, concluſum fuit, locum affectum aperiendum eſſe, & arteriam vulneratam ligandam, ut coërceretur hæmorrhagia. Inciſo itaque loco, ingens grumoſi ſanguinis moles in conſpectum venit, quam ipſe Severinus abſtulit, pondere ſex libras æquantem: mox autem arteria vulnerata, pondere hoc comprimente liberata, cum ſaltu ſanguinem emiſit. Peritiſſimus Chirurgus arteriam ſemilaceram ligavit utrimque, & poſt ſex hebdomadas æger integre ſanatus fuit, ſic ut femur vulneratum, nec mole minus, nec robore debilius, manſerit (*a*). Unde liquet, quanti poſſint a ſanguine extravaſato formari tumores, quantumque hîc, ni ſubito afferatur medela, minitentur periculum, quare externa Aneuryſmata periculoſiſſima; interna vero lethifera ut plurimum ſummo jure habentur. Priuſquam autem hunc innumerorum malorum fontem dimittamus, notandum

(*a*) Marc. Aurel. Severinus de effic. Med. pag. 40, &c.

eſt, quod, licet ex illa SEVERINI obſervatione, mox allata, manifeſtum videatur, per longum tempus extravaſatum ſanguinem poſſe abſque corruptela manere, modo aëri non concilietur liberior aditus, in univerſum tamen mora corrumpitur, & acrimoniam contrahit, qua cito inflammationes, gangrænæ, diſſolutiones (*a*), eroſiones, atque caries excitantur: qualem caſum deſcripſit Cl. JOH. WARNER: vir nimirum triginta quinque annorum, poſt vehementem genu contuſionem, claudicabat, poſt ſex demum ſeptimanas tumor œdematoſus apparebat, qui, intra octo ſeptimanas per integrum femur ſeſe extendens, in interiori, ac ſuperiori parte durus quidem, extrorſum tamen ſine ulla pulſatione fluctuabat, integumentorum adinterim colore naturaliter conſtituto. Inciſionem tandem Cl. WARNER ſuſcipiebat, qua facta, ingens ſanguinis fluidi copia prorumpebat, vulnere itaque linteis carptis repleto, & faſcia comprimenti ad inguina applicata, amputationem peragebat, & ægrotum in ſanitatem reſtituit. In amputato vero femore, vaſtus internus & crureus una cum perioſtio deſtructi erant, muſculi interni, gracilis, ac vicini diſtenti, & ab oſſe femoris longe remoti inveniebantur, atque cavum, cruore plenum relinquebant, cujus pars coagulata in coriaceam conſiſtentiam tranſierat, os femoris carie & exoſtoſi affectum erat; ligamentum genu craſſum, aliquot uncias ſynoviæ viſcidæ & flavæ continebat, ac ipſa arteria femoralis ante diviſionem in *Tibialem* anticam, & poſticam calloſa erat, ac ſecundum longitudinem ſuam dilacerata, diametro vero ejuſdem ultra duos pollices adaucta (*b*).

§. XV.

Ut *effecta Aneuryſmatis mixti* rite exponantur, neceſſe iterum eſt, ut ad ſæpius citatos commentarios a Cl. HUNTERO, cui tot in Anatomicis debemus, & hujus quoque inventionis gloriam facile concedimus, de hac ſingulari Aneuryſmatum ſpecie conſcriptos, confugiamus: e quibus præcipua collegiſſe & fama viri illuſtriſſimi & ſcopus noſter dictitant. In anteceſſum igitur hîc monendum, Aneuryſma mixtum, quatenus arteriæ ſolutionem continui, a parte ſuperiori factam, ſupponat, atque ſanguinem, e cavo ſuo in vicinum

(*a*) HUNTERUS in Vol. 1. Medical Obſervations and Inquiries &c. art. XXVI, n.° 8.
(*b*) Caſes in Surgery obſ. 22.

effluere ſinat, ſatis pulchre cum Aneuryſmate ſpurio convenire: quatenus vero ſanguinem ſuum in venam incumbentem dimittat, eam maxime dilatet, ac plerumque brevi temporis ſpatio ad certam magnitudinem, ni in progreſſu ſuo turbetur, increſcat, nullumque malum portendat, inter ſe magnopere diſcrepant.

Primarius itaque hujus Aneuryſmatis effectus erit:

1.° *Venæ dilatatio præternaturalis*, cujus figura non ubique eadem eſt: differre enim ſolet, pro ut una, pluresve Venæ expanſæ; atque ramificatio; valvularum decurſus; arteriæ vulneratæ diameter, & aperturæ, ejusque Venæ magnitudo; ac modus coalitionis vulneris arteriæ cum eo Venæ, fuerint diverſa.

2.° *Arteriæ humeralis diameter adaucta.* Nec difficilis explicata hujus phœnomeni ratio Cl. HUNTERO videtur; ſimulac enim ſanguis per aperturam arteriæ directe in eam venæ libere fluere poteſt, major ſanguinis copia verſus hanc arteriam propelletur; & ſane hæc dilatatio non abſimilis illi eſt, quam in omnibus N. C. arteriis increſcentibus, & in iis quarundam partium vaſculoſarum, quum maſſa earum propria adaugeatur, quotidie obſervamus. Omnibus enim Anatomicis notum eſt, quantum uteri arteriarum diameter geſtationis tempore augeatur; notum etiam, quantum in aliis partibus diametro ſua amplificari poſſint. Vidit Cl. HUNTERUS in ſummo capite tumorem carnoſum tantæ magnitudinis, ut eam capitis æquaret, ita ut vel ipſæ arteriæ temporales & occipitales, quarum ope ei ſanguis pro nutrimento afferebatur, ad ipſius magnitudinem proportionatæ eſſent: quales caſus plurimos in liene, teſtibus, aliisque partibus, quæ volumen naturale ſuperabant, a ſe viſos fuiſſe, addit.

3.° *Pulſus arteriæ infra aperturam imminutus.* Ratio in promptu eſſe videtur: quando nimirum ſanguis liberrimam invenit viam ex arteriæ trunco directe in incumbentem venam, neceſſario ſequitur, quod, dum ſanguis, arteriæ continuatæ extremitatem verſus longe minori celeritate ac copia affertur, pulſus ibidem multo debilior fieri debeat, quum interim idem ſanguis per totum humerum ad locum læſum uſque, præcipue autem in ipſum ſaccum, ſi qui, ut plerumque, adſit, affatim irruat & arteriæ diametrum adaugeat.

§. XVI.

Innumeri vero, qui *cordis Aneuryſmata, a dilatatione ejuſdem cavorum originem ſuam trahentia*, concomitari ſolent, effectus enarrare vix poſſibile; præcipuos tamen eorum attigiſſe, quibus propius ad hujus mali diagnoſin accedamus, ſummum illius periculum jubet. Id autem in anteceſſum monuero, eorum effectuum multos a longe diverſis conditionibus, actionem mire turbantibus, excitari poſſe, plures, a cordis dilatatione licet fuerint producti, aliorum morborum larvam induere, plurimos vero eſſe inconſtantes atque fallaces, ita ut hoc ægro ſeſe manifeſtent, in alio autem iterum abſint. Præcipui hi erunt:

1.° *Cordis dilatatio nimia reſpirationi obeſt:* non requiri videtur, ut multis hîc explicem, quî fiat, ut facto Aneuryſmate cardiaco reſpiratio tantopere turbetur: tot enim cauſſæ ſunt, ut, eas omnes exponendo, a noſtro ſcopo nimium deviarem: id tamen in tranſitu notaſſe ſufficiat, reſpirationem lædi poſſe, vel quia unum alterumve cordis cavum, præternaturaliter expanſum, ſui lateris pulmones premat, ſurſumque pellat, ut nuperrimis diebus, quum hiſce conſcribendis occupatus eram, in theatro noſtro Anatomico a Cl., & maxime mihi venerando Præceptore, SANDIFORT in cadavere fœminæ, cujus cor ampliſſimum, valvulæ autem aortæ miro modo degeneratæ erant, egregie confirmatum vidi; quo ſpectant etiam illa Cl. MECKELII, & MORGAGNI obſervata, ſupra a nobis (§. VIII) verbo jam commemorata: vel lædi quoque poterit reſpiratio, ſi valvulæ arteriæ pulmonalis ſigmoideæ, cartilagineæ factæ aliove vitio affectæ, introitum ſanguinis in eam liberiorem imminuunt, ventriculum proinde dextrum vel & auriculam dextram (*a*) ad dilatationem immodicam cogunt, & ob exiguam ſanguinis quantitatem ſatis ſufficienter ampliſſimum vaſorum pulmonalium ſyſtema explicari non ſinunt, unde fieri debet, quod ſanguis juſta quantitate ad auriculam, ventriculum ſiniſtrum, atque aortam arteriam pervenire haud queat, cerebrum hinc, omneſque reliquæ partes ſanguinis influxu determinato orbentur, virium naſcatur languor, atque anhela reſpiratio.

Verumtamen quis non videt, reſpirationem hanc læſam a longe

(*a*) MORGAGNI de ſedibus & cauſſis morborum &c. Ep. XVII, a 12, & 13.

diverſis quoque conditionibus excitari poſſe (*a*), ita ut, teſtante Ballonio, homo quidam, reſpiratione difficillima laborans, putaretur pulmones primario affectos habuiſſe, quum interim poſt mortem in iis nullum vitium deprehenderetur, verum cor ad magnitudinem capitis adauctum, & pulmones inde admodum compreſſi erant; ſanguis enim magna vi illuc propulſus atque retentus hujus dilatationis cauſſa videbatur, unde non mirum, quod orthopnœa, hæmoptyſis, aſthma, atque phthiſis tam ſubito cordis dilatationem inſequerentur (*b*).

2.° Nec minora certe mala ſunt, quæ *polyporum* in expanſione cavorum *efformationes* concomitantur, quos ſupra vidimus toties hujus Aneuryſmatis ſpeciei cauſſas exiſtere, quicquid etiam objecerint alii: jam vero, ut quoque hoc aſſertum, quod jam inter effectus Aneuryſmatis veri (n.° 4.) quod arterias ſtabilire tentavimus, probetur, demonſtrandum nobis incumbit, eodem jure polypos inter Aneuryſmatum cardiacorum ſequelas enumerari poſſe. Non neceſſe autem eſt, ut hìc cum ſummis viris ſtatuamus, polyporum generationes ab inæqualitate ſuperficiei internæ cujuſdam cavitatis, per læſionem aliquam, vel dilacerationem orta, ſemper eſſe derivandas, qua fieret, ut ſanguinis motus retardaretur, &, iis tantum in locis, ubi obſtacula adſunt, polypi naſcerentur: certum enim eſt, & ſupra jam demonſtravimus, in ſanguine diſpoſitionem talem requiri, qua in concretiones nimis firmas nitatur, ut in morbis acutis, aliisque ſimilibus, in quibus ſanguis, juſto vehementius per vaſa ſua propulſus, nimis condenſatur, fieri videmus: minime tamen negavero, iis in locis, ubi ſanguis retinetur, polypos generari poſſe: experientia nimirum quotidiana ſatis hoc evincit; in univerſum vero propoſitio illa nequaquam procedit, præterquam quod, licet jam ſanguis in quodam loco coacervatus ſit, conquaſſatio tamen, ut in veros polypos abeat, ſuperaccedat, ſumme neceſſarium ſit. Quis igitur, dum ſanguis in corde nunquam quieſcit, verum continuo movetur, conquaſſatur, negabit, polypos in illo naſci poſſe, & eo quidem facilius, quo cordis cava fuerint magis diſtenta; cum eo in caſu tanta ſanguinis copia quavis cordis contractione e ventriculis expelli ne-

(*a*) Conf. Cl. Præceptoris SANDIFORT *Oratio de circumſpecto cadaverum examine, optimo practicæ medicinæ adminiculo* pag. 15 & 16.

(*b*) Conf. SENAC *traité du Cœur* Tom. II, pag. 414.

quit, quantum a vaſis, ſanguinem reducentibus, continuo affertur: omni igitur momento ſanguinis certa copia remanet, quæ conquaſſatione ita denſatur, ut amplius orificia arteriarum ingredi haud queat; verum, in cordis cavo collectus, maſſam format polypoſam, ſeorſim in eo fluitantem, vel lamellarum forma ejus ſuperficiei internæ affixam; unde plerumque fieri ſolent cordis palpitationes frequentes, tantum non continuæ; anxietates ad levem corporis motum inſignes; pulſus irregularitas, horumque omnium augmentum, prout corpus magis moveatur; remedia calefacientia ingerantur; polypoſa materies increſcat; eorumque ſymptomatum diverſitas, pro ut in hoc vel illo cordis cavo hæſerit: ſiniſtrum enim ſi occupaverit ventriculum, arteria pulmonalis rite ſeſe ab accumulato ſanguine liberare nequit; diſtendentur igitur ejuſdem rami, & ad rupturam deducti hæmoptyſin excitant: econtra, aorta arteria haud ſufficientem ſanguinis quantitatem accipiente, nutrimento ſuo orbantur omnes N. C. partes, unde lipothymiæ, aliaque mala, ex vaſorum inanitione originem ſuam trahentia, ægrotantes invadunt. In dextro vero cordis thalamo generata ſi fuerit maſſa polypoſa, ob impeditum ſanguinis, per venas cavas ad aurem, & ventriculum dextrum allati, per cordis cava trajectum, vaſa cerebri ſanguine accumulantur, diſtenduntur, vel & rumpuntur; unde apoplexia haud raro lethalis, immo mors ſubitanea hujus affectionis ſequelam quandoque ſiſtunt. Idem obſtaculum ſi fuerit natum ſanguini, per venam cavam inferiorem adſcendenti, viſcerum abdominalium obſtructiones, melancholia, tenſiones, ſpaſmi, &, quæ ex his ſequuntur, mala innumera ægrotantes infeſtant. Ulterius ſi proceſſerit malum, immaniter nimirum diſtenſis venis, vaſa lymphatica minus prompte ſeſe in eas evacuare valent, nimium hinc repleta lympham, ab ipſis reſorbendam, in cavis relinquunt; naſcuntur ergo artuum tumores œdematoſi, & in cavitatibus N. C. majoribus hydropes varii, pericardii puta, hydrocephalus, pectoris hydrops, aſcites &c.; & denique, concretionibus polypoſis ita adauctis, ut, emiſſis quoque ramis ſuis per continuatos ex corde canales, oſtia obſtruant, ac ſanguinem per ea propelli impediant, proximum eſt, ut lipothymiæ, ſyncope, aſphyxia, catarrhus ſuffocativus, venarum cavarum, auriculæ, ſinus, aut ventriculi dextri dilatationes, abſque ſummo vitæ periculo haud facile tolerabiles, rupturæ, & mors ſubitanea exinde ſequantur.

3.° Ne-

3.° Neque plane omittenda hîc eſt ea cordis affectio, quæ cardiacum Aneuryſma toties concomitatur (*a*), ac *palpitationis* nomine a Medicis inſigniri ſolet, cujus vis, teſtante Cl. VOGELIO, quandoque tanta eſt, ut pulſatio extra conclave audiatur, ut arteria magna foras in Aneuryſma dilatetur, ut thoracis coſtæ dislocentur, exedantur, ac diffringantur, ut cor ipſum de propria ſede depellatur, denique ut externus locus, ubi admota manus pulſum percipit, rubeſcat, aut calloſus fiat (*b*), ita ut, auctore TULPIO, Pharmacopolæ famulus cordis concuſſionibus tam violentis vexaretur, ut eæ ad conclavis portam audirentur, poſt anxietates vero, reſpirandi difficultatem & oppreſſionem circa regionem ventriculi, pulſus intermiſſionem, ac vomituritionem hydrope tandem periit: aperto cadavere, inſignis magnitudinis cor, & calculi in rene deprehendebantur (*c*). In juvenis, poſt enormes cordis palpitationes mortui, cadavere ſiniſtrum cordis cavum triplo majus dextro invenitur (*d*). Hominis 34 annorum, poſt validas & diuturnas cordis palpitationes extincti, cadaver cordis ventriculum immaniter dilatatum, in ſua tamen ſubſtantia æque craſſum, ac naturaliter eſſe ſolet, exhibuit (*e*). Et denique vir 25 annorum, curſor pallidus, anheloſus, ſubita laborat angina, a qua ſanatur quidem, ſed manet ſpirandi difficultas, & cordis palpitatio ſæpe recurrens, inprimis cum citato greſſu procederet, ſubita tandem morte extinguitur; in cadavere invenitur cor triplo majus, quam naturaliter eſſe ſolet; ablato pericardio, & expreſſo omni cruore, libras duas cum dimidia in lance pendens (*f*). Ne loquar jam de obſervatione, a M. GAUTERE communicata, hominis nimirum, palpitationibus cordis intolerabilibus ita vexati, ut cogeretur ſubinde in ventrem incumbere, & ambabus manibus cor reprimere: palpitationes diſtincte audiri poterant; & manus pectori admota violenter repellebatur. In cadaveris thorace pericardium præmagnum detegebatur, quo aperto, cordis ventriculi magnopere diſtenti ſeſe obtulerunt, ita ut eorum quiſque ad minimum pintæ ſanguinis craſſi atrique dimidium, & concrementa

(*a*) J. OOSTERDYK SCHACHT Inſtit. Med. Pract. lib. IV, cap. VIII, §. 9.
(*b*) Prælect. Acad. de cognoſcendis & curandis præcipuis C. H. affectionibus §. 522.
(*c*) Conf. SENAC. l. c. pag. 415.
(*d*) Abridgement vol. V, pag. 229.
(*e*) l'Acad. des Sciences de l'ann. 1735. hiſt. XXIX.
(*f*) LANCISIUS de ſubit. mortibus pag. 127, 128.

polypoſa contineret (*a*). Quibus omnibus ſatis mihi comprobari videtur, palpitationes inſignes non raro cardiacorum Aneuryſmatum ſequelas eſſe, nec difficile hoc concipitur, ſi modo attendamus, quantum cor ſanguine, a quacunque etiam cauſſa verſus ejus cava propulſo, vel ex iis per arteriarum fines libere tranſire impedito, obruatur, ita ut exinde ſtupenda ſane phœnomena neceſſario ſequantur, nunc quieſcat cor, mox iterum irritatum validiſſimo ſpaſmo ſeſe contrahat, qui motus, dum aliquamdiu alternatim durant, actiones animales & vitales tam mirifice turbant, ut tandem horum omnium augmentum miſerorum vitam cum morte commutet. Sed forte tamen mihi quis objiciet, cardiaca Aneuryſmata ad effecta potius, quam cauſſas palpitationum cordis referenda eſſe; novi equidem inveniri auctores hanc ſententiam propugnantes, novi & contrarium defendentes: ſtatuendum vero crediderim, palpitationem cordis nunc cauſſam, nunc effectum Aneuryſmatis cardiaci conſtituere: ſatis ſuperque enim hîc illic, inter cauſſas hujus ſpeciei exponendas, comprobare anniſus fui, inſignem ad cordis Aneuryſmata proclivitatem a palpitationibus, juſto diutius protractis, generari; eas tamen ſæpiſſime etiam eorum ſequelas eſſe quis, ad modo propoſita pro momento tantum attentus, facile negaverit? Inficias quamvis minime iverim, cordis palpitationes a longe diverſis quoque cauſſis excitari poſſe, easque cum cardiacis Aneuryſmatibus ut individuos comites rariſſime incedere; prius nimirum aſſertum veriſſimum, & omnibus Medicis receptum; poſterius vero ut evincatur, unicam, a Cl. Storckio communicatam, obſervationem adduxiſſe ſufficiat, qui narrat: in viro, Aneuryſmate dextri cordis ventriculi inſigni mortuo, præſente vita nullas palpitationes obſervatas fuiſſe (*b*).

Præter hos effectus adhuc innumeri alii ſunt, qui ſymptomata ſymptomatum melius vocantur, qualia ſunt v. g. pulſus irregularitas, faciei pallor, artuum tumor, aliaque mala ſimilia, non tamen ſemper ægrotantes infeſtantia, quos inter effectus jure recenſetur ſingularis ille, de quo loquitur Fabricius Hildanus, gangræna ſc., artus quandoque corripiens, quum cor, vel vaſa majora, ex eo prodeuntia, maxime ſeſe dilataverint. Narrat enim, fœminam cordis palpitatione,

(*a*) Vid. Recueil d'obſervations de Médecine des Hopitaux Militaires, fait & rédigé par M. Richard de Hautesierck, Tom. II, p. 626.

(*b*) Annus Med. I, pag. 118, Cadav. 4.

a pluribus ſymptomatibus concomitata, tuſſi v. g. valde moleſta, ac reſpiratione laborioſa fuiſſe vexatam, quibus per ſatis longum tempus non ſine magnis cruciatibus perpeſſis tandem ſeſe adjunxit manus ſiniſtræ ſphacelus, præſtantiſſimis etiam remediis refractarius (*a*).

4.° Non rara etiam hujus morbi ſequela *mors repentina* eſt, cujus cauſſam ſatis manifeſtam facile detegimus, quando cum MORGAGNO ſtatuamus, quod, etſi, iis in caſibus, ubi ægrotantes morte repentina ex cordis dilatatione nimia illata pereunt (uti & mox adducendis exemplis evincere conabor) *ingens cordis moles, ſive diaphragma prægravando, ſive etiam pulmones comprimendo, reſpirationi officit, tamen vel ſola ventriculi ſiniſtri dilatatio facit, ut, quanto minus ſanguinis in aortam poteſt extrudi, tanto quoque minus e pulmonibus admitti poſſit, unde tum ſpirandi difficultas oritur, gravatis ſanguine pulmonibus, tum mors denique repentina, ubi is ventriculus magis ſemper magisque laxatus ea tandem ſanguinis copia obruitur, ut ſeſe contrahere nequeat* (*b*) : quo ſpectat præcipue caſus ille juvenis, ſpirandi difficultate diu vexati, a qua ſubinde ſanguine, e naribus erumpente, levabatur; ceſſante vero poſtea ſolita hac evacuatione, poſt magnam corporis exercitationem, &, verſus ſarcinulas, humi depoſitas, inclinationem mortuus illico concidit : vaſa colli & capitis ſanguine turgidiſſima, &, aperto thorace, pulmones parvi admodum ob immanem cordis magnitudinem; inciſo vero pericardio, auriculæ, dexterque ventriculus ſolito ampliores, maxima tamen magnitudo in ſiniſtro cordis cavo, dilatato adeo, ut nihil magis, & copia ſanguinis atri nec in concretiones polypoſas, ſed in grumos nonnihil coacti, non modo, ut reliqua cordis cava, oppleto, verum & diſtenſo, detegebantur (*c*). Plura quoque huc ex BONETO referri poſſent exempla; unum nimirum aurigæ, in curru extincti, qui longo tempore conqueſtus fuerat de abdominis doloribus, ad jugulum adſcendentibus, ut inde ſe crederet ſuffocari, nec levamen ante ſenſit, quam appreſſa thoracem & abdomen manu comprimeret, vel oppoſito fulcro ſublevaret : aperto cadaveris thorace, præter pulmones ſicciores, ad livorem tendentes, cor inuſitatæ magnitudinis, & quovis bubulo majus, dextra ſc. cordis auricula ampliſſima,

(*a*) Conf. SENAC. l. c. pag. 416.
(*b*) De ſed. & cauſſis morborum &c. epiſt. XXVII, a. XIII.
(*c*) l. c. a. II.

ſex digitos tranſverſos lata, ſanguine turgida, ſiniſtra vero contracta vix nucem minorem æquans, obſervabantur (*a*) : & illud ægrotantis, repentina quoque morte defuncti, in cujus thorace cor nativam molem longe excedens, flaccidum, nigroque ſanguine plenum obſervabatur (*b*); ac denique ex HARVEO alium commemorare poſſem ægrotum, cui cordis moles, & ventriculorum cavitates ſanguine diſtenſæ, bovini cordis magnitudinem æquabant, quique in ſumma cordis & pectoris oppreſſione levamen aliquod percipiebat, cum tota pectoris regio a fortiſſimo viro comprimeretur (*c*). Circa quæ tamen illud adhuc cum MORGAGNO animadvertendum habeo, *cordis* nimirum *Aneuryſmata haud ſecus atque aortæ, non ita neceſſarias ſubiti interitus cauſſas eſſe, ut ſunt cordis, aut aortæ ruptiones. Immo dilatationes illæ, niſi eo demum pervenerint, ut nova alia cauſſa extrinſecus, aut intrinſecus, accedente, illico ceſſare debeat ſanguinis circumitio, lentam potius mortem afferent, quam repentinam; cujus rei etſi multæ exſtant obſervationes, tamen quod ad cor attinet, de quo hîc agimus, duæ inſpiciantur, quæ habentur in* BONETI *ſepulcreto Anat.* (*lib. II, ſect. VII obſ. 83; & ſect. VIII obſ. 13.*) *; altera* TH. BARTHOLINI, *in qua cor tam vaſtum proponitur, ut ſæpe in bobus non majus ſit; altera* OTTONIS HEURNII, *in qua cor dicitur communem magnitudinem quater circiter exceſſiſſe. Neutrius ægrum ſubita abreptum morte; immo utrumque lento morbo confectum legimus* (*d*).

5.° Quibus omnibus rite perpenſis, facile cuique erit colligere, *cordis rupturam*, ut frequentem mortis repentinæ cauſſam, cardiaci vero Aneuryſmatis omnium triſtiſſimam ſequelam, merito ſibi primarium hîc vindicare locum; hanc tamen ſolummodo, quatenus, prægreſſa dilatatione, in cordis Aneuryſmatibus contingat, paulo prolixiore ſermone inveſtigabo, illam nimirum rupturarum cordis ſpeciem, quæ fit, quando cordis fibræ diu fortiterque diſtractæ omnem reſtituendi ſeſe vim plane amiſerunt, ita ut, continuata vi interna diſtendente, prorſus divellantur, ῥῆξιν patiantur, & contentum intus ſanguinem effluere ſinant. Et hæc ſane ea cordis affectio eſt, quæ, aſſentientibus ſummis in arte viris, inter cauſſas lethiferas

(*a*) Sepulcr. Anat. Tom. I, lib. II, ſect. IX, obſ. 24.
(*b*) l. c. obſ. 30.
(*c*) De Circul. ſanguinis exercit. III.
(*d*) l. c. epiſt. XXVII, a. XV.

omnium celerrime repentinam mortem inferre ſolet. Nec mirum, omnem enim noſtræ vitæ ac ſanitatis vigorem in humorum liberrima circulatione poſitum eſſe, quis facile negaverit? Sed ut is conſervetur, imprimis requiritur, ut cordis fibræ integræ in ſanguinis admiſſi molem rite reagere, & expellere, atque contenta libere permeare poſſint: ruptura vero quum adſit, adminicula hæc tolluntur, ſanguis ex ſuis cavis in aliena effluit, omnemque cordis actionem ſuffocando repentinam mortem infert: ſed forte quis objiciet, obſervata plurima evincere, per horas non tantum, ſed & per dies, immo ad vigeſimum tertium uſque, notante FANTONIO (*a*), rupto corde ſupervixiſſe ægrotos, qualia multa exempla ſimul congeſta Cl. MORGAGNI exhibet (*b*). Illæ vero obſervationes, inter rariores ſane enumerandæ, cardiacorum vulnerum lethalitatem mihi ſaltem infringere minime videntur, protractæ licet vitæ diſcrimen ex collatis potiſſimum inter ſe hujus aut illius ſauciati ventriculi obſervationibus; lacertulorum forte reticulis aliis ſuper alia impoſitis, atque ſic vulnus operientibus; grumoque ſanguinis concreti cordis aperturam obturante, aut & ipſius cordis in ſe contractione, ſi nullus adfuerit obex, indeque conſequente in ſanguine per vulnus extrudendo infirmitate ſumma, colligi poſſe, auctore MORGAGNO (*c*), videatur. Fieri hæc quandoque poſſe in vulneribus, ex improviſo cordi illatis, lubens agnoſco, nullus tamen ſimul dubitavero, quin, tantopere diſtractis fibris cardiacis, ut omnem ferme tonum ſuum amiſerint, hiatus tam inſignis oriturus ſit, ut, quamvis in hoc vel in illo cordis ventriculo acciderit ruptura, nihil tamen vel a lacertulorum reticulis, ſive a grumo ſanguinis concreti, cordisve in ſe contractione ſperandum habeamus. Ut autem conſtet, revera diſrupta aliquoties fuiſſe cordis cava, ſequentia tantum exempla enumerare lubet: rariſſimas tamen eſſe ſiniſtræ atque auriculæ dextræ rupturas, minus raras vero ventriculi dextri, qui ad hanc rem inprimis attenti fuere, annotarunt auctores; utrum autem hæ in dextro, quam in ſiniſtro cordis cavo frequentiores obſerventur, inter ſe minime conveniunt.

(*a*) Obſerv. Patern. obſ. XXXIII.

(*b*) l. c. epiſt. LIII, a. 27.

(*c*) l. c.

De dextra cordis auricula binæ præprimis occurrunt obſervationes, una a D. Mummsen communicata, ac ſupra jam (§. x) exhibita: altera a Nebelio in viro, quem equus ephippio excuſſerat, frenoque circa ejus collum ligato, protraxerat, inventa; tum vena cava, tum ipſa auricula dextra ruptæ erant, quamvis contuſio externa thoracis nulla, nullaque coſtarum fractio adfuerint (*a*). Quorum binorum exemplorum veroſimilior cauſſa ab impedito ſanguinis per cordis cava trajectu, ejusque verſus id determinatione majore, ac nata inde fibrarum auriculæ diſtenſione tanta, ut abſque ruptura magis dilatari non poſſent, deducenda videtur.

Diſrupti vero ventriculi dextri exempla plura habemus: duo tantum ab interna cauſſa diſtendente producta memoraſſe ſufficiat. In milite ſub æſtu venereo, ſaltatione prægreſſa, mortuo dextrum ventriculum eo loco, ubi cum ſepto cohæret, ita fiſſum, ut ſanguis, inde emanans, totum pericardium impleverit, Vaterus vidit (*b*). Hiſtoriam vero viri ſexagenarii, per tres menſes doloribus in regione lumbari valde cruciati, ac dein mortui, in cujus dextro ventriculo cordis, quod naturali duplo majus fuit, ruptura ſatis ampla, totiusque cordis fibræ molles repertæ fuere, Cl. Hazon deſcribit, ac conjicit, hunc forte eventum nimio opii uſui adſcribendum eſſe, quum quotidie opii doſis augeretur, ita ut ultima vice ab ægro centum & quinquaginta ſex guttæ laud. liq. aſſumerentur (*c*).

Siniſtram autem auriculam ex polypo, ſiniſtrum ventriculum obſidente, diſruptam Cl. Langhans vidit (*d*).

Cordis tandem ventriculi ſiniſtri rupturam longe frequentiorem ſequentia exempla evincunt. In viro, qui ſæpe de dolore quodam oppreſſorio pectoris, inprimis nocturno tempore, conqueſtus fuerat, parietem ventriculi ſiniſtri amplo hiatu, ut facile digitum admitteret, ex impedito ſanguinis de ſiniſtro ventriculo in arteriam trajectu diſruptum fuiſſe, Ill. Harveus auctor eſt (*e*). In cadavere formoſioris ac athletici habitus viri, cui ſummam ſenectutem promiſiſſet

(*a*) Miſc. Acad. Nat. Cur. Dec. iii. Ann. iii. obſ. lxxxii.
(*b*) De morr. ſub. non vulg. cauſſ. p. 12.
(*c*) Journal de Médecine, Chirurgie, Pharmacie &c. par M. van der Monde, Tom. ix, p. 516.
(*d*) Act. Helvet. vol. ii, p. 123.
(*e*) Exercit. iii. de circul. ſanguinis, Pars 1, p. 149.

quilibet, ad latus uxoris repente extincti, rupturam ſiniſtri cordis ventriculi prope oſtium aortæ Cl. BOHNIUS detexit (*a*). In epileptico paroxyſmo a ſanguine in capillaribus arteriis, ſpaſtice contractis, retento, cordique reſiſtente, ſiniſtri ventriculi diſruptionem exortam Cl. JOHNSTONUS notat (*b*). Viri autem quinquagenarii, per aliquod tempus variis ſymptomatibus, cordis inprimis palpitationibus, ſuffocatione, atque ſenſu ſingulari, ac ſi thorax diffringeretur, afflicti cor magnitudinem naturalem ſuperaſſe, & in ventriculi ſiniſtri medio aperturam quatuor lineas longam apparuiſſe D. JOS. VILLESAVOYE ſcribit (*c*); ac denique, ne in obſervationibus enarrandis, ad idem redeuntibus, multus ſim, duas has ſuperaddo: unam D. GUSMANI GALEATII, qui in cadavere viri, variis ærumnis per 30 annos afflicti, & in ultimo demum vitæ ſtadio moleſto dolore ad ſterni finem circa cordis ſcrobiculum, & per totum pectus ſeſe extendente correpti, ſciſſuram vix duarum linearum Pariſienſium longitudine in exteriori ventriculi ſiniſtri pariete invenit (*d*): alteram denique a Cl. MORGAGNO deſcriptam, medici nimirum duodeſexaginta annos nati, hypochondriaci, lurido colore, ac dolore gravi, e ventre ad thoracem adſcendente, non ſine convulſivis quibuſdam motibus, anxiaque reſpiratione vexati, ac repente confecti, in cujus pericardio ſanguis effuſus, qui illuc devenerat per tria foramina ex ſiniſtro cordis ventriculo, tantopere dilatato, ut cavum triplo majus quam ſecundum naturam comprehenderet, deprehendebatur (*e*).

En igitur præcipuos effectus, qui cardiaca Aneuryſmata, ex cavorum cordis dilatatione nimia orta, concomitari ſolent, paucis expoſitos. Quæ vero ſymptomata in Aneuryſmatibus cardiacis, ex vaſorum coronariorum diſtenſione immodica ortum ſuum trahentibus, obvia ſunt, a cordis inprimis amplitudine juſto majori dependent.

Quantum ſeſe dilatati patiantur coronaria vaſa abunde ſatis ſupra jam demonſtravi, ut neceſſe minime videatur multa, quibus evincatur, quod cordis volumen ita adauctum circulationi ſanguinis per ejus cava, ac reſpirationi maxime obeſſe poſſit, afferre: ipſa nimirum

---

(*a*) De renunt. vulnerum ſect. 1, p. 114.
(*b*) In a letter to Dr. JOHN FOTHERGILL in Med. obſ. and Inquiries vol. II, p. 119.
(*c*) Frænkiſche Sammlungen von Anmerkungen &c. vol. II, part. XI, n.° 3.
(*d*) Comment. BONON. Tom. IV, pag. 34.
(*e*) De ſed. & cauſſ. morborum &c. Tom. II, epiſt. LXIV, a. XV.

coronaria vaſa congrumeſcente ſanguine magis magisque ita implentur, ut præ amplitudine nimia, ac parietum craſſitie cor vix ſeſe contrahere valeat; ut tonum ſuum plane amittant ipſa vaſcula, quo fit, ut eorum laterum reſiſtentia imminuatur, ac, manente cauſſa eadem diſtendente, tantum divellantur, ut, niſi natura ſuppreſſam forte hanc illamve evacuationem ſolitam iterum excitet, aliove modo vaſa hæc ab impactione nimia liberet, facile inde eorum ruptura fiat, ſanguis extra ſuos cancellos in pericardium eliminetur, illudque adimplendo omnem demum cordis motum ſuſpendat, tollat: vel, ſi utcunque adhuc quicquam reſiſtunt, ac διαπήδησιν tantum patiuntur, ſerum ſanguinis exprimatur, & intra pericardium collectum hydropem ejus efformet, cordisque actionem ac reſpirationem mirum in modum perturbans innumera, ſuo quoque momento minime carentia, mala producat.

SECTIO QUINTA.

De Aneuryſmatum diagnoſi.

§. XVII.

QUAM dubia, fallax, ac inſignibus difficultatibus preſſa ſit harum affectionum diagnoſis, qui in celeberrimorum Virorum famam, effata, atque errores in Aneuryſmatibus tractandis pro momento tantum contemplando verſetur, quis non videt? quum peritiſſimi etiam Chirurgi, pertuſo Aneuryſmate, pro remedio momentaneam ſubinde intulerint mortem, & Cl. DE HAEN exclamare lubuerit: *Cognitio Aneuryſmatum utinam certior eſſet, ſignisque munita pathognomicis deſiſteret turpiſſimis erroribus anſam præbere* (*a*)! Non tamen ideo de horum morborum diagnoſi omnino deſperandum; cauſſarum nimirum, atque effectuum attenta contemplatio utcunque nobis in ea eruenda aliquam lucem affundet. Ne tamen certiora cum incertis confundam, conſultius judicavero, ea hîc ſejunctim paulo prolixius indagare.

Ad

(*a*) Rat. Med. part. V, cap. VI, §. 2.

Ad incerta refero, quæ deſumuntur:

1.° *A pulſatione:* hæc enim Aneuryſmatum verorum (de quibus tantum in hoc §. loquor) non ita individuus comes eſt, quin potius PARÆO aſſentiri poſſimus, qui, cum inter Aneuryſmatum ſigna pulſationem enumeraſſet, mox admonuit: *ne tamen fallamur ſignis ſupra commemoratis: nam nonnunquam in inſignibus Aneuryſmatibus nec pulſum ullum percipere licet, quia ſanguis in trombos coït, & concreſcit* (*a*). Ad quod eo magis attendendum, quum, teſte LANCISIO, pulſatio Aneuryſmatis ſignum adeo exploratum ac pathognomicum vulgo habeatur, ut ſine illa Aneuryſmata exiſtere nullo modo poſſe credantur; quo errore imperiti decepti ſæpe æquo artis ludibrio; atque ægrorum pernicie, Aneuryſmatis tumorem minime pulſantem, ferro vel igne temere aperiunt, cujus infauſti caſus exempla apud DEKKERUM & RUYSCHIUM habentur (*b*). Si enim veriſſimi PARÆI effati non ita immemor fuerat ille RUYSCHII amicus, tumorem ſane circa talum nucis juglandis magnitudine, etſi omnis pulſatio deerat propter ſanguinem coagulatum (*c*), aperire minime auſus fuiſſet. Hujus vero phœnomeni ratio ut explicetur, nullatenus requiritur, ut cum MARCO AURELIO SEVERINO ſtatuamus, ex putrefactione ipſius arteriæ a ſanguine diffuſo & corrupto intra vicina ſpatia pulſationem remittere (*d*): neque opus eſt, ut plane cum RUYSCHIO conſentiam, quum dicit; nullam, ſi ſanguis in Aneuryſmate coaguletur, pulſationem percipi (*e*). Non equidem negavero, interdum reſiſtentiam, ex congerie concreti intra aneuryſmaticum ſaccum ſanguinis enatam, ad pulſationem imminuendam multum conferre; cum LANCISIO tamen dubito, an quidem ſola illa reſiſtentia per ſe ſufficiat, ſi non eidem adjungatur diminutio virium cordis, ſanguinem propellentis, præſertim cum experimento compertum ſe habuiſſe RUYSCHIUS ipſe in deſcripto Aneuryſmate narret, quod pulſatio, quæ vehementiſſima eſſe ſolet, in totum aliquot hebdomadibus ante mortem ceſſaverat (*f*); pergit autem Cl. LANCISIUS: etenim ſi ponatur cordis vigorem eundem perſeverare, neceſſario ictus ſan-

(*a*) Oper. lib. VI, cap. XXXII.
(*b*) l. c. prop. LVIII.
(*c*) RUYSCH. Obſ. Anat. Chir. obſ. XXXVIII.
(*d*) De recondita abſceſſuum natura p. 178.
(*e*) Ibid.
(*f*) pag. 52.

guinis extrorſum trudens poterit per id temporis dimovere ea obſtacula, quæ ex polypoſo fornice oppoſita ſunt, cum oſſa elevare, atque ſæpe etiam disjungere ſoleat (*a*). Præterea ſi reſiſtentia ſola, ictui ſanguinis a concreto intra ſaccum aneuryſmaticum cruore enata, pulſationis languorem producat, an ullibi manifeſtior deprehenderetur hujus imminutionis cauſſa, quam in noſtro, ad calcem diſſertationis adjiciendo, caſu, in quo ipſas tunicas, variis ſibi invicem impoſitis lamellis obtectas, atque has præter magnitudine inſignia polypoſa coagula, tumorem perfecte adimplentia, in arteriæ dilatatæ ſinu incluſa obſervavimus, quamvis pulſatio, ad magnam diſtantiam viſui ſatis conſpicua, ad ultimum vitæ tempus miſerrimam infeſtaverit. Accedit, quod mihi ſaltem, ſi nimirum Ruyschii opinionem ſequamur, explicatu difficillimum videatur, quî fiat, ut ſubinde pulſatio nunc ſilens, mox vero, vel diu admodum poſt de novo iterum inſurgat, quum certum ſit, quod facta ſemel ſanguinis coagulati congeries continuo magis adaugeatur ac ſolideſcat, & ita perpetua reſiſtentia ictui ſanguinis major generetur. Omnium autem validiſſimum argumentum a ſanguinis miſſione depromitur, qua præſtantius nullum, ut impetus ſanguinis in tunicas ſacci aneuryſmatici, ejusque pulſatio infringatur, auxilium novimus. Miſſo etenim ſanguine, pulſatio in parte læſa mox debilitatur, non quia eo momento ſanguis in Aneuryſmatis cavo magis ſolideſcat, verum quod, ſublata certa ſanguinis copia, minorem tantum impulſum facere cor queat, quum illud, hac evacuatione debilitatum, non ſufficienter ſeſe contrahere poſſit, eoque minori vi ſanguinem in vaſa propellere valeat. Ne vero juſto longius a ſcopo noſtro recedamus, ex præmiſſis paucis tantum concludo, Aneuryſmata poſt longum tempus, vel cito admodum pulſationis indicio deſtitui ob triplicem præprimis cauſſam, unam rariorem, craſſiorum ſc. polypoſorum corticum interiori arteriæ tunicæ appoſitionem; alteram forte frequentiorem, fibrarum puta ſacci aneuryſmatici ultra tonum ſuum diſtenſionem, & tertiam denique omnium frequentiſſimam, cordis vigorem multum imminutum.

Liquet præterea, ad verum Aneuryſma dignoſcendum pulſationem non abſolute requiri, ſed econtra ab illa jam præſente nullam tamen ad hujus affectionis diagnoſin juſtam procedere argumenta-

(*a*) l. c.

tionem, quum, auctore Cl. DE HAEN, in matrona quadam inter alia morbi ſigna tumor pulſans in infima & ſiniſtra epigaſtrii regione haud procul ab umbilico tactui ſeſe offerebat, dum, ſecto cadavere, apparuit, colon longitudine quatuor latorum digitorum diametrum ſeſquipollicis habuiſſe, partique ampliatæ tantam utrinque anguſtiam adfuiſſe, ut aër non niſi vi per eandem impelli expellique poſſit, pulſus itaque perceptus ex arteria quadam meſocolica, in tumorem excurrente, minime verò ab arteria, in tumorem extenſa, naſcebatur (*a*): accedit, quod, notante Cl. JOH. WARNER, frequens etiam Aneuryſmatis Spurii comes ſit tumoris pulſatio (*b*), exemplo confirmante M. AUREL. SEVERINO (*c*), ac olim jam recte obſervante BERENGARIO cum macie; PROSPERO MARTIANO cum motu arteriæ cujuſdam magnæ, in aliis a carne interjecta obſcurato; plenitudine nimia, inflammatione, tumore ad ſuppurationem vergente, vel denique cum inſigni pancreatis, aut meſeraïcarum glandularum obſtructione aliisve vitiis pari paſſu frequenter incedat (*d*). Ne memorem jam notabilem illius ſutoris hiſtoriam, in quo a Cl. MORGAGNO violenta & aſſidua pulſatio ad præcordia & ad umbilicum, a quatuor retro menſibus percipiebatur, qua pulſatione majorem ſenſiſſe ſeſe aut vidiſſe, vix meminerit Cl. auctor: inciſo tamen cadavere, nulla cordis, nulla auricularum, nulla vaſorum ſive in thorace ſive in ventre dilatatio apparuit, ut hujus phœnomeni cauſſam nervorum agitationi ſive irritationi præprimis adſcribendam crediderit (*e*).

2.° *A duritie vel renixu tumoris:* hæc nimirum a lamellis inprimis polypoſis, internam ſacci ſuperficiem obducentibus, atque coagulis, in eo ſeorſum fluitantibus, dependent, Sed in multis hæc deſunt, & mollia potius tactui ſeſe offerunt, ut magnopere ſubinde falleremur, ſtatuentes, ad veram horum Aneuryſmatum naturam duritiem ac renixum abſolute requiri, quum fieri etiam poſſit, ut membrana adipoſa, quæ naſcens Aneuryſma integit, inflammationem ab attritu patiatur, in ſuppurationem abeat, ac copioſum pus omnem motum ita ſuffocet, ut, licet jam forſitan antea pulſatio quæpiam adverti

(*a*) Rat. Med. part. IX, cap. II, §. 5. Hiſtoriam haud multo abſimilem vide Tom. I, cap. XXX, §. 6.
(*b*) Caſes in Surgery caſ. 22.
(*c*) De effect. Medicin. lib. I, part. 2.
(*d*) Cl. MORGAGNI l. c. epiſt. XXXIX, art. XIX.
(*e*) l. c. epiſt. XXIV, art. XXXIV & XXXV.

potuiſſet, eadem nunc minime percipi queat : qualem caſum ipſe Cl. DE HAEN in praxi obſervatum candide nobis refert : fœmina ſc. quadragenaria a 3 vel 4 annis ægram ſe pectore eſſe conquerebatur, ſputa quippe purulenta, ſubinde ſanguine miſta, ſe reddere, cor ſibi palpitare, difficulter ſe reſpirare, vagosque experiri dolores, ex nulla dein nota ſibi cauſſa puſtulam ad infimarum coſtarum lateris ſiniſtri cartilagines prope ſternum ſeſe manifeſtaſſe, & tandem in tuberculum caſtaneæ magnitudinis increviſſe. Tumor examinatus, non pulſans, ſed durus, elaſticus, veram ſui non determinabat naturam. Eo igitur tantummodo Emplaſtro Diæbotanon tecto, cura ad phthiſin pulmonalem potiſſimum dirigebatur : ſpatio trium ſeptimanarum emolleſcebat, ita ut perfectum apoſtema referret, manifeſtaque puris fluctuatio genuinam tumoris naturam nunc determinare videretur : ſuadenda itaque vel ideo maxime ejuſdem apertura erat, quod pulmo ſuppuratus fortunato caſu viam ſibi extrorſum quandoque capeſſat, qua diu aperta ulcus internum demum evacuetur & ſaneſcat. Tumor igitur apertus, pusque album & coctum parca tantum quantitate fuit eductum : in fundo vero durius quicquam ſupererat, unde digeſtivum, & maturandi ſcopo toti tumori Emplaſtrum Diachyl. cum gumm. imponebatur : biduo vero poſt, loco exſpectatæ maturationis, pulſus ibidem fortiſſimus in tota lata baſi tumoris, & digitum repellens, eoque per aperturam immiſſo, horrendum Aneuryſma obſervatur : mox itaque conſolidandæ aperturæ gratia, Emplaſtro ad rupturas Fernelii impoſito, integra fere conſolidatio ſpatio trium ſeptimanarum, tumore aneuryſmatico ſenſim imminuto, remanente tamen ſub coſtis vehementi, latentis Aneuryſmatis indicio, pulſatione, obtinebatur. Ita ut, quod primo detectum fuerat, id modo veluti appendix eſſet, quæ a magno ſacco orta ſeſe inter coſtarum cartilagines inſinuaverat (*a*). Qui caſus abunde quamvis fallaciam ſummam ac incertitudinem demonſtret, de iis tamen magis adhuc perſuademur, ſi conſideramus, quotidie tot tantosque tumores, duros, renitentes, immo vel pulſationis, ac fluctuationis ſenſu concomitatos, verorumque Aneuryſmatum larvam mire induentes nobis occurrere, dum tamen hi, accurate indagati, veram abſceſſuum, in

---

(*a*) Rat. Med. pars V, cap. VI, §. 3, quale exemplum ibid. (§. 2.) de Aneuryſmate ad caput internum oſſis tibiæ habetur.

ſuppurationem tendentium, naturam commonſtrent, vel ſubinde Spuriorum Aneuryſmatum ſequelæ habendæ ſint.

3.° *A cutis colore :* cutis nimirum color ab Aneuryſmate Vero rarius quidem mutatur, niſi diu admodum adfuerit, ac enormiter increverit, tum enim vel ſanguis pellucet, vel ut plurimum per diſtractionem nimium laceſſita ac irritata integumentorum vaſcula inflammantur, in ſuppurationem abeunt, vel &, gangrænâ correpta, nociva effecta cito ſæpe exſerunt; aut per diapedeſin ſacci aneuryſmatici ſerum exprimitur tenue ac acerrimum, quod alluendo & erodendo integumenta perforat, ac totum Aneuryſma diſſilire facit. Diutiſſime tamen integumentorum colorem, inprimis ſi diſtractio lente fuerit facta, immutatum manſiſſe, Aneuryſmatum, quamvis inſignium, hiſtoriæ, a Doct. NOORTWYKIO (*a*), Cl. SANDIFORT (*b*), & a me ad calcem diſſ., aliisque bene multis commemoratæ ſatis evincunt; ad cujus rei rationem præcipue facit, quod natura, ut rupturæ proſpiciat, lamellas polypoſas ſuperficiei Aneuryſmatis internæ adfigat, vel & ſubinde ipſis tunicis cartilaginum vel & oſſium duritiem conciliet, unde ſanguis minus facile pellucet, & contra diſtractiones nimias egregie ipſi tumoris parietes muniuntur.

4.° *A pulſu reliquarum arteriarum :* pulſus certe in Aneuryſmatibus interioribus ut plurimum *contractus*, *renitens*, *convulſivus* & *intermittens obſervatur*, *præſertim in brachio viciniori* (*c*). Inſignis tamen & hîc deprehenditur inconſtantia, ita ut, teſte MORGAGNO, Aneuryſmata interna ſæpiſſime adjunctam habeant vehementem arteriarum pulſationem (*d*) : &, Auctore Cl. SANDIFORT in Aneuryſmate præmagno pulſus quidem debilis eſſet, attamen regularis (*e*): ne plures enarrem diverſitates, ſufficiat, quo facile deciperemur, naturæ luſum indicaſſe. Quæ ſigna igitur, quum ad juſtam hujus morbi diagnoſin parum conferunt, verum dubia potius atque fallacia ſunt cenſenda, requiritur, ut certiora hîc ſubnectamus, quibus rarius fallimur, immo quæ, ſimul ſumta, nullum ferme nobis dubitandi locum relinquunt : cauſſarum ſupra (in §. IX) memoratarum una

(*a*) In præfat. ſua tract. FR. SOLANI de LUQUE præfixa.
(*b*) Tract. cit. §. 1.
(*c*) LIEUTAUD Synopſ. univ. Medic. parte 1, p. 107.
(*d*) l. c. epiſt. XXIV, a. XXXV.
(*e*) Tract. ſæpius cit. §. 2.

alterave ſi fuerit prægreſſa, tumque tumor oriatur in loco, ubi per Anatomen novimus, magnam adeſſe arteriam; ſi pulſus manifeſtus in tali tumore percipiatur; ſi leni preſſione evaneſcat, vel minuatur plurimum, mox redeat ad priſtinam magnitudinem, ubi preſſio ceſſat, auctore Cl. Swietenio (*a*), cognoſcimus, externum Aneuryſma adeſſe; perſuademur, ſi, arteria ex fundo arctiori in majorem ſaccum aneuryſmaticum expanſa, ſibilus eo præcipue tempore, quo fluidus utcunque ſanguis ex ipſa arteria in ſaccum, & vice verſa, irruit, audiatur.

Aneuryſmatis vero, interiora occupantis, magnam quidem, minime tamen certam ſuſpicionem movent cauſſarum, arterias ad Aneuryſmata diſponentium, prægreſſio vel adhucdum in corpore dominium; ſymptomatum, Aneuryſmata interna ſubinde concomitantium, præſentia; ſi, Aneuryſmate in pectore, vel circa pulmonum vicinia ſito, perpetua fere ſpirandi difficultate vexetur æger, ac inſolitam quandam circa locum affectum pulſationem ſentiat; ob ſuffocationis metum decubitum averſetur; corporis flexuram in anteriora amet, & difficillimam patiatur deglutitionem; quum cordis motus turbetur, &, incitata ſanguinis circulatione per exercitationes corporis juſto majores animive commotiones, vel & levi tantum corporis motum, ſuffocationis metus injiciatur; lipothymiæ aliaque ſimilia, ex impedito ſanguinis per cordis vaſorumque majorum cava trajectu liberiori oriri ſolita, ægrotos infeſtant.

§. XVIII.

Præmiſſis, quæ de ſignis Aneuryſmatum Verorum æque dubiis ac certioribus proponenda putabam, ordo requirit, ut Spuriorum ſigna ſubjungamus, in quæ eo diligentius a Medicis inquirendum eſt, quum, neglecta eorum cognitione, peſſima ut plurimum ſymptomata, per idonea adminicula juſtoque tempore adhibita, ſubinde adhuc evitabilia, immo mors ipſa oriantur. Dolendum tamen, quod Aneuryſmata hæc in interioribus toties, quæ manibus acceſſum denegant, & quidem longe frequentius, quam vulgo judicatur, contingant. Vidimus enim (§. x), quomodo ſanguis ex aortæ trunco, circa emulgentes arterias, diſciſſo erumpens & abdominis cavum adim-

(*a*) Comment. Tom. 1, p. 289.

plens hydropis larvam induerat, & Medicum ad diureticorum exhibitionem impulerat: vidimus ſimul, quam varii morbi, natura quamvis fuerint eadem, diverſa ſub forma ſeſe prodant, ut non niſi ex cauſſis prægreſſis, & ſymptomatibus præſentibus eruere quodammodo poſſimus, Spurium intus latere Aneuryſma; ſumma igitur hîc Medici ſolertia & perſpicacitas requiritur, quibus morbum hunc ab aliis, eadem ſub larva ſeſe commonſtrare ſolitis, diſtinguere, certam inſtituere hujus affectionis prognoſin, juſtamque adferre medelam ſubinde valet; quos vero morbos, quum a Practicis titulo apoplexiæ ſanguineæ, hæmoptyſis, vomitus mictusque cruenti, dyſenteriæ &c. dilucide exponantur, intactos relinquo, viſurus potius, quibusnam ſignis Aneuryſma Spurium externum, proprie loquendo ad noſtrum thema inprimis attinens, dignoſci & ab aliis tumoribus diſtingui poſſit. Si v. g. cauſſæ ſupra memoratæ, contuſiones inprimis validæ, aliæve potentiæ nocivæ, pungentes, ſecantes, vel erodentes præceſſerint; ſi breviſſimo ſatis tempore in magnum tumorem attollatur, ab initio molliorem, ac preſſione cedentem, dum in vicinia adaugetur, increſcens vero poſtea durior fiat, ad cutim elatior & inæqualis, dum ſanguis, per tunicam celluloſam quaquaverſum diſperſus, minus diſtinctis circumſcribitur limitibus; ſi pulſus minus manifeſtus, quam in Vero Aneuryſmate adſit (quod tamen interdum etiam fallit, ut ex illo Severini exemplo (§. xiv) commemorato abunde patuit); ſi cutis color naturalis in livorem mutetur, & hæc, gangrænâ correpta, rupturam portendat (*a*); ſi denique tumor, infeliciter inſtituta v. ſ., læſa ſimul ſubjecta arteria, in brachio enatus ad humerum adſcendat, inferius nimirum bicipitis aponeuroſi obſtante, de Spurii Aneuryſmatis præſentia certi utcunque eſſe poſſumus.

§. XIX.

Longe felicius hodie detegitur *Mixtum Aneuryſma*, poſtquam Cl. Hunterus, in hanc ſingularem ſpeciem attentus, binos caſus accuratiſſime, ut ſolet, deſcripſit, & a Cl. Cleghorn, Hunteri exemplar ſecuto, tertia ſuperaddita fuit obſervatio. Ut autem ſigna eo facilius eruantur, auctorum fama & obſervationum dignitas, paucis

(*a*) Quantum tamen ſigna ex pulſatione & colore integumentorum deſumta fallere poſſint, ex Joh. Warner (caſes in Surgery caſ. xxii, p. 142 & ſeq.) conſtat.

has commemorare, poſtulant; prima, a Cl. HUNTERO (*a*) enarrata, matronam ſpectat, cui a Chirurgo vena baſilica imprudenter ſecta fuerat, ita ut arteria ſubjecta ſimul læderetur; ſequentibus præprimis obſervatis phœnomenis; ligato brachio, venæ, & inprimis baſilica, quæ ſecta erat, valde intumeſcebant ad duos nimirum pollices infra & ſupra cubitum, paulatim iterum ad naturalem magnitudinem redeuntes: venæ compreſſio ſimulac ceſſerat, ſanguine illico turgeſcebat, quamvis mox infra locum affectum ligatura applicata eſſet; arteriæ vero & venæ apertura, in ſanguinis miſſione facta, digiti ope admodum compreſſa, ligatura ſive applicata, ſive ablata, venæ tamen collapſæ, & exiguæ magnitudinis mox apparebant. Omnis regio ad tractum arteriæ, cujus diameter & pulſus ſolito majores erant, tumebat, & in ipſa tandem vena, inprimis læſo loco tremulus quidam & inordinatus motus detegebatur, paulo ſuperius vel inferius non amplius dignoſcendus.

Alter caſus circa juvenem verſatur, cui jam a quinque annis in brachio vena ſecta fuerat; lanceolam profunde ſatis penetrantem ſenſerat æger, ſanguinis rivulus tamen facile coërcebatur: ſequenti die ad carpum uſque ſanguis in brachio effuſus apparuit, tertio vero die loco læſo tumor enaſcebatur, truncus arteriæ brachialis naturali jam multo capacior, & pulſus in hoc quam in altero brachio longe debilior evaſerant. Ad ſymptomata attentus Cl. HUNTERUS concluſit, ſaccum quendam intermedium hîc adeſſe; cæterum præcipua eorum cum iis, in priore caſu jam indigitatis, optime congruebant (*b*).

Tertia denique obſervatio a Cl. CLEGHORN deſcripta (*c*) juvenem reſpicit, qui, ſecta ſimiliter vena baſilica, aliquot ſeptimanas poſt in varicem, ut vocat, Aneuryſmaticam incidebat, ſimili ac modo deſcripto in caſu, profunde penetrantis lanceolæ ſenſu percepto. Tumor loco læſo ad magnitudinem amygdalæ oriebatur: pulſatio & concuſſio in baſilica vena manifeſtæ erant, in mediana vero debiliores, omnium minimæ in cephalica, quæ tamen valde tumida ad claviculam uſque varicoſa erat: pendulo brachio, venæ tumefactæ longe craſſiores videbantur; ſublato vero eodem, tumor diſparebat, ceſſabant pulſationes & conquaſſationes omnino in cephalica vena, multum vero in

(*a*) Med. Obſ. and Inquiries vol. I, art. XXVI, p. 340.
(*b*) Ibid. vol. II, art. XXXVI.
(*c*) Ibid. vol. III, pag. 110 & ſeq.

in mediana ; dum interim baſilica æque tumida in hac, quam in contraria poſitione motus ſuos tremulos ac conquaſſationes vehementes continuaret. Arteria ſubclavia, vel humerali compreſſa, omnia ſymptomata ceſſabant, duplo vero fortius inchoantia, ſimul ac compreſſio deſinebat. Leniter premendo & attollendo tumorem, indicem inter & pollicem, Cl. AUCTOR diſtincte percepit membranas Arteriæ a poſteriore parte venæ, & locum, ubi arteria cum vena communicationem alebat. Ad tumorem aure admota, motus tremuli & pulſationes facillime diſtingui potuerunt, diſtinctius tamen adhuc, quando ſpecillum longum, ferreum, una extremitate tumori incumbens, altera vero intra dentes retinebatur, vel auri applicabatur. Quæ ſufficiunt deſcripta, ut inde ſigna diagnoſtica eruantur, ita ut neceſſe minime videatur, eas ſubnectere obſervationes, quas ELSE (*a*), WHITE (*b*), & ARMIGER (*c*), poſtea divulgarunt, quippe quæ, cum deſcriptis ſatis convenientes, egregie quidem eas confirmant, peculiare tamen nihil exhibent.

§. XX.

Optandum ſane, ut in permultis deſcriptorum cordis Aneuryſmatum hiſtoriis æque certa, quibus hæc ab aliis præcordiorum morbis, toto cœlo diverſis, internoſcere poſſemus, invenirentur ſigna. Aſt pleraque, ab auctoribus ut infallibilia jactata, non niſi frequentiſſimos aliarum etiam præcordiorum affectionum comites, plurima quoque inconſtantia deprehendimus. Paucis in ea inquiram: *An Venarum Jugularium mutua dilatatio, fluctuatio, & collapſus* LANCISIO, *ut indubitatum præſentis auriculæ ac ventriculi cordis dextri dilatationis ſignum tantopere laudata, revera tale eſt habendum?* Quis ferme virum, ſumma ingenii ſui facultate admirandum, ac phœnomena ſibi obvia tam egregie explicantem, refutare auſus fuerit? *Ex dilatatione*, inquit (*d*), *Auriculæ, ac Ventriculi cordis dextri duo præcipua contingunt, maxima conſideratione digna, quæ potiſſimum Jugularium alternam dilatationem efficiunt. Primum quidem, hiſce cavis ſumme dilatatis atque ampliatis, longe major ſan-*

(*a*) Ibid. pag. 171.
(*b*) Ibid. vol. IV, pag. 377.
(*c*) Ibid. pag. 382.
(*d*) l. c. prop. LVII.

guinis copia in iiſdem congeritur. Deinde orificium caudicis Venæ Cavæ amplius quoque fit, quam ut poſſit ab appoſitis valvulis omnino præcludi. Hinc propterea fit, ut contracto corde, ſanguis ex dextero ventriculo non ſolum in Pulmones per Venam Pulmonicam impellatur, ſed cum præ nimia copia, tum etiam ob non ſatis clauſum oſtium Venæ Cavæ per illius rimas hiantes rurſum per univerſum tractum Venæ Cavæ ſuperius repellitur, ac repercutitur, atque ex ipſo recte in jugulares vehementius fertur, quam in cæteros Cavæ ramos, quod illæ in directum ſitæ ſint ad lineam hujuſce motus. Unde mox venarum jugularium, quum externæ ſint, & omnium oculis in collo pateant, conſpicuam dilatationem, &, inſequente ventriculi diaſtole, conſtrictionem earundem alterne fieri debere concludit.

Et hoc quidem ſignum pro demonſtrandis dilatationibus dextrorum cordis cavorum, dummodo continuum ſit, etiam dum æger quieſcit, tanti eſſe cenſet, ut mirum fuerit, quam ſæpe contra aliorum Medicorum ſententiam (certo credentium, dilatationem in ſiniſtris cordis cavis adeſſe) confidenter dextros ſinus Aneuryſmate laborare pronuntiaverit.

Aſt quis non videt, egregie quamvis explicatum phœnomenon, ac Illuſtriſſimi Viri experientia comprobatum, minime tamen pro indubitato haberi poſſe indicio ? Lubens utcunque largior, multis caſibus hujus rei veritatem poſſe confirmari. Nullus tamen ſimul dubito, quin pulſationes hæ venarum jugularium a longe quoque diverſis cauſſis interdum oriri poſſint. Nonne cordis palpitatio, nulla licet cavorum cordis dilatatione immodica præſente, verum a qualicunque obſtaculo, ad arteriam pulmonalem poſito, excitata eundem ſiſtere poterit effectum ? Nonne ſic, impedito ſanguinis per arteriam hanc trajectu liberiori, dexter cordis ventriculus irritatur, palpitat, ſanguinem quaquaverſum premit, facto in valvulas tricuſpidales impetu, in ſinum eum repellit, & ob inſignem repulſionis impreſſionem venis cordi vicinis pulſationem ſimilem illi, quæ in arteriis ſentitur, communicare debet ? Obſervarunt certe Cl. MORAND (*a*) & PASTA (*b*) venarum jugularium pulſationem aſſiduam, quamvis nulla dextrorum cordis cavorum dilatatio apparuerit ; ſed

---

(*a*) Mém. de l'Acad. Royale des Sciences a. 1732.

(*b*) Epiſt. de Cordis Polypo n.° 9 & 13.

econtra Cl. SENAC (*a*) aliique enormes dextrorum cordis cavorum dilatationes narrant, nulla licet de venarum jugularium pulſatione mentio fiat.

Hoc igitur LANCISIO largiendum videtur, venarum jugularium pulſationem (modo conſtiterit, eam neque ex ſubjectarum arteriarum carotidum appulſione, neque ex alterna venarum turgeſcentia, violentæ inſpirationi exſpirationive reſpondente (*b*), fuiſſe enatam, eamque, quieſcente etiam ægro continuari) ſemper indicare, in dextris cordis cavis adeſſe vitium, ſanguinis ſaltem per ea trajectum multum impediri; ſæpe vero cordis ventriculi dextri dilatationem denotare; interdum tamen & eam fallere.

An pulſus valde durus, & plenus certius præſentis Aneuryſmatis Cardiaci ſignum præbet? Fatendum, ſi ad cauſſas hujus phœnomeni multifarias attendamus, & Cardiacorum Aneuryſmatum hiſtorias accurate inveſtigemus, nihil iterum certi hîc haberi: innumera enim exempla quotidie in praxi obvia evincunt, immenſas dari pulſus irregularitates, inprimis pulſum durum & plenum ſæpius occurrere, quamquam nulla latentis cardiaci Aneuryſmatis ſuſpicio ſuboriatur Medicis, vel raro ſaltem illud concomitetur. Præterquam quod in ægro, dextri cordis ventriculi dilatatione inſigni laborante, pulſum ſemper parvum & inæqualem obſervaverit Cl. STORCK (*c*). In alio, cor ad minimum triplo majus ſolito, præcipue vero ventriculum ejus ſiniſtrum maximum habente, pulſum inæqualem & tremulum Cl. DE HAEN detexit (*d*). In viro, cujus dextrum cordis antrum, inprimis vero dextra auricula Aneuryſmate laborare Cl. BURGGRAVIO videbatur, in utroque carpo, utut non nihil parvus, juſto numero & rhythmo decurrebat. In alio vero, ſiniſtri cordis ventriculi Aneuryſmate affecto, pulſum inordinatum, qui tandem ita turbabatur, ut rhythmum notare impoſſibile eſſet, idem auctor percepit (*e*). Econtra ex VALSALVA Cl. MORGAGNUS caſus citat, in quibus non niſi forte poſtremo tempore Cardiacis Aneuryſmatibus pulſus inæ-

(*a*) l. c. part. II, pag. 416 & ſeq.
(*b*) Qualem obſervationem Cl. MORGAGNI (l. c. epiſt. XIX, art. XXXIII & XXXIV) memorat.
(*c*) Ann. Med. primus, pag. 119.
(*d*) Rat. Med. pars IV, cap. II, §. 3.
(*e*) Act. Phyſico-Med. vol. X, obſ. XXXIX.

qualitas ſeſe adjunxerit (*a*), dum Cl. MORGAGNUS proprium caſum deſcribit, in quo illam, ne proxima quidem morte, detegere potuit (*b*). Immo, ingentem quamvis auriculæ dextræ dilatationem P. DIONYSIUS notat (*c*), nulla tamen ibi pulſuum inæqualitatis mentio fit.

An denique cordis palpitatio Aneuryſma Cardiacum certo indicat? Nec parum quoque huic phœnomeno attribuerunt multi, quamvis nequaquam attenderint, calamitoſiſſimam hanc cordis affectionem idiopathicum toties, nullo tamen Aneuryſmate in eo obvio, exiſtere malum, toties ſympathicum, interdum tanquam hæreditarium, aliquando ut connatum, nunc mite, nunc gravius, & per intervalla plus minus longiora revertens, nunc periodicum, alias continuum & pertinax aliove diverſiſſimo modo ab aliis aliisque cauſſis haud raro dependens ægrotos infeſtare, ut ſtatuere nullus dubitem, in eruenda hujus morbi diagnoſi nunquam ita felices factos fuiſſe, qui hoc magni fecerunt phœnomenon, LANCISIUM puta, BURGGRAVIUM aliosque, ni huic alia quoque adjeciſſent ſigna; exiſtimabant nimirum, quod ex ipſis cordis ictibus dijudicari poſſet, utrum dextrum cordis cavum, an vero utraque cava ſimul Aneuryſmate laborent. Sequentia præcipue BURGGRAV notat: *Si uterque cordis ventriculus aneuryſmaticus fuerit, ictus cordis, ex qualibet ejus ſyſtole oriundi, palmam manus ſiniſtræ mamillæ apponendo, diſtingui, & ad numeros reduci non poſſunt, ſed videtur, ac ſi intra univerſum pectus, etiam ſuperne verſus jugulum, interne in ſcrobiculo cordis, & in utroque latere, etiam demiſſiore, plura corda ſimul, ſed ſine ordine ſalirent, idque pro Aneuryſmatis magnitudine plus minus vehementer. Si vero tantum cordis ventriculus dexter Aneuryſmaticus redditus fuerit, ictus cordis ſub læva papilla prorſus non, ſed ſub ſterno, & in dextro thoracis latere, percipitur. Si tantum ſiniſter cordis ventriculus Aneuryſmate laboraverit, pulſus in carpis ſine ordine & numero decurrunt* (*d*).

Si tamen cauſſæ ſupra memoratæ præceſſerint, cordis palpitationes oriantur inſignes, continuæ vel levi de cauſſa cito redeuntes, difficilis reſpiratio, & ſubinde animi deliquia adſint, pulſus nunc

(*a*) l. c. epiſt. XVII, art. VI, VIII & X.
(*b*) l. c. epiſt. XVIII, art. II.
(*c*) l'Anatomie de l'homme, ad calcem libri.
(*d*) l. c. p. 141.

vacillet vel deficiat, nunc iterum validiſſime agitetur, ac manu præmagnam cordis maſſam, coſtas ferientem, percipere poſſimus, magna ſane latentis Aneuryſmatis Cardiaci ſuſpicio movetur, parum tamen certi de hac ſpecie, neque de illa quicquam, quæ a vaſorum coronariorum immodica dilatatione originem ſuam trahit, niſi forte cauſſæ prægreſſæ ac inſequentes effectus aliquam lucem indaganti affuderint, determinare poſſumus.

SECTIO SEXTA.

De Aneuryſmatum Prognosi.

§. XXI.

Certa morborum cognitio quantum conferat, ut juſta fiat eorum prognoſis, tantum ſæpe ægrorum deſiderium, quanta interdum Medicorum, licet peritiſſimorum, deteſtata famæ tortura, neminem, vel in praxi clinica paulisper modo verſatum, amplius latet. Quid itaque de Medicorum in noſtrarum affectionum forte nimis audacter facta prognoſi exſpectandum habeamus, cuilibet facile dijudicandum relinquo. De eorum itaque, quæ cognitu faciliora deprehenduntur, Aneuryſmatum prognoſi ſequentia tantum proferre liceat.

Quoad Aneuryſmata Vera: omnia certe Aneuryſmata Vera curatu difficilia habentur, ea inprimis, quæ ex acrimonia venerea nata, interna, & primariis N. C. organis vicina ſunt, ad quæ manui acceſſus denegatur, vel quæ antiqua ſunt & majora, quamvis & externa, ubi nec a compreſſione, nec a ſectione (de quibus in curatione latius) aliisve mediis aliquid ſperari poteſt, ſummum certæ vitæ periculum minitantur, quamvis jam Natura diſruptioni proſpexerit, parietes ſacci Aneuryſmatici, appoſitis laminis polypoſis, craſſiores reddendo, aut ipſis cartilagineam oſſeamve duritiem conciliando, ut dixerit jam Cl. Sennertus, dari Aneuryſmata, quæ longo tempore levi tantum incommodo ſatis tolerabilia ſunt (*a*), & monuerit Cl. de Haen, quantumvis periculo plena res ſit Aneuryſma, inculpate tamen 30, 40 annorum ſpatio geri Aneuryſma externum poſſe (*b*). In univerſum

(*a*) Operum omnium tom. III, p. 308.
(*b*) Rat. Med. pars VII, cap. XV, §. 2.

vero talia Aneuryſmata curatu difficilia ac periculoſa habentur, quum, auctore Ill. MORGAGNO, licet non rumpantur, occidere tamen poſſunt (*a*). Si vero aneuryſmatica arteria fuerit parva, neque ſolitaria, ipſum Aneuryſma exile, recens, externum, & a corde remotius, curæ ſæpe ſpes magna ſupereſt, quæ tamen eorumque periculum pro ſitus inprimis, ac magnitudinis arteriæ dilatatæ diverſitate variant.

§. XXII.

Quoad Spuria : hæc iterum, ſi in interioribus contingant, incurabilia non tantum habenda, verum ſubitaneam ut plurimum mortem inferunt. Vel ſi in exterioribus appareant, minime tamen compeſci ſanguinis torrens, neque operatio inſtitui poſſint, cito necant; dum interim, quæ in minoribus vaſis ita oboriuntur, ut ſanguis per vicinas partes diffundatur, præſentaneam quidem opem requirunt, ſatis tamen feliciter adhuc curantur, felicius vero in ramo, quam in trunco, licet obſervata hodierna evincant, æque in hoc, quam in illo, ſummo interdum ſucceſſu peractam fuiſſe curationem.

§. XXIII.

Quoad Mixta : hæc, teſte Cl. HUNTERO, talia eſſe ſolent, ut, ſi non turbentur, nihil mali portendant (*b*); modo caveat æger, ne tumorem comprimendo impediat, quo minus libere ſanguis ſuperiora verſus revertat.

§. XXIV.

Quoad Cardiaca denique *Aneuryſmata :* triſtiſſimum hoc ſi detectum fuerit malum, infauſta ſemper habenda prognoſis, nihil enim hîc Medicina valet; *quis* nimirum, ut cum BURGGRAVIO (*c*) loquar, *diſtractos cordis villos, & a circulantium humorum infinitis validis irruptionibus quotidie magis diſtrahendos cogere iterum poterit, ſi & dexterrimi & peritiſſimi viri manibus acceſſus daretur ?* Unicum, quod hîc ars afferre poſſet, auxilium in eo conſiſtit, ut vim vitæ, nimis forte incitatam, refrænet, & ita, cordis actionem ſedando,

(*a*) l. c. epiſt. L, art. XII.
(*b*) l. c. vol. II, p. 393.
(*c*) l. c. p. 140.

ulteriorem mali progreſſum aliquatenus prohibeat, vitamque miſeris ægrotis utcumque placidiorem creet. Quæ ſane de Cardiaco Aneuryſmate, a vaſorum coronariorum dilatatione immodica orto, ſimiliter, ſi unquam detegi valet, deprædicanda forent.

SECTIO SEPTIMA.

De Aneurysmatum Curatione.

§. XXV.

Aneurysmatum Curationis methodus quum pro diverſitate locorum, quæ occupant, ac pro ſingularum ſpecierum inter ſe diſcrepantia, alia atque alia requiratur, ratio dictitat, ut de eorum ſingulis ſingulatim quoque agamus. Ordo igitur noſter quum poſtulet, ut cum Aneuryſmate Vero inchoëmus, primum nunc videamus, quid Medico, delatentis intus Aneuryſmatis Veri præſentia quomodocunque perſuaſo, ſit agendum. Curationis ſpes quamvis hoc in caſu valde exigua ſit, Medicum tamen decet, ut cauſſas, quas ſupra jam inveſtigavi, indaget, indagatas tollat; in univerſum vero, ea, quæ mali progreſſum ulteriorem prohibere, illudque longe tolerabilius reddere valent, porrigat. Sed ut hiſce indicationibus ſatisfiat, neceſſe eſt, ut Venæ ſectiones, Valsalvæ (*a*) Hippocratis exemplar (*b*) ſecuto, magnopere laudatæ, quibus circulationis impetus infringatur, ac proinde vitæ actuoſitas debilitetur, inſtituantur, eoque magis, ſi plethora adſit, vires vitales ſatis ſe ſuſtentent, neque alia ſymptomata, ſanguinis miſſionem contraindicantia, detegantur. Stimulantia evitentur; corporis evacuationes vehementiores prohibeantur; quies animo concilietur; alvus per remedia eccoprotica laxa ſervetur, ut niſus fortiores arceantur; ac diæta ſubjungatur parca, tenuis, quæ mirum quantum ſubinde profuit, ut dixerit Ballonius: *cuidam omnes arteriæ micabant manifeſto. Mirum id fuit. Inſtituta diæta curatus eſt* (*c*). Quum vero obſervata quorundam evincant, hac cura quoad Aneuryſma Verum integre ſanatos interdum fuiſſe ægrotos (de qua tamen curæ integritate quam ma-

(*a*) Conf. Morgagni l. c. epiſt. XVII, art. XXX.
(*b*) De Morbis, lib. I, n.° 10.
(*c*) Lib. Paradigm. n.° 15.

xime dubito), credibile eſt, quod hoc modo, ſanguinis copia multum imminuta, æquilibrium parietes arteriæ inter & ſanguinem reſtituatur. Ne vero longus ſim in ejuſmodi obſervationibus enarrandis, illam VALSALVÆ adduxiſſe ſufficiat, quam MORGAGNUS ſequentibus verbis indicat: *cum vir nobilis, quem ſic* (V. S. nimirum ac ſtricta diæta) *perſanaverat* VALSALVA, *ex alio poſtea morbo forte interiiſſet; arteriam, in qua olim Aneuryſmatis initium fuerat, contractam rurſus ad naturalem modum, ſed quaſi calloſam eo loco, deprehendit* (*a*).

Si vero fibræ ſacci forte adeo fuerint diſtractæ, ut tonum ſuum jam plane amiſerint, talia tum ſuperaddi debent remedia, quæ fibras roborare, & juncta iis, quæ attenuando, ac reſolvendo, ſanguinem polypoſum ſubigere forte poſſent; quo ſpectant præprimis fructus ſaponaceo-acidæ indolis, nitrum, gummi ferulacea &c. Dolores vero ſeu ſpaſmi, toties has arteriarum affectiones concomitantes, ſi ægrotantes nimium vexaverint, hypnotica leniora concedi poſſunt, ab iiſdem vero fortioribus ſive opiatis, niſi ſumma neceſſitate cogamur, abſtinendum potius crediderim, quum humores rarefaciendo ac circulationem eorum intendendo, Aneuryſmatis cauſſam reſuſcitare potius videantur, ita quidem, ut Cl. HAZON nimio opii doſi cordis ventriculum dextrum naturali non tantum duplo majorem, verum & diſruptum, non ſine ratione adſcripſerit (*b*). In iis vero Aneuryſmatibus Veris, ad quæ manibus acceſſus datur, longe alio modo procedimus: in genere quidem optime hîc conveniunt omnia ea, quæ modo in internis præſcripſimus, topicis tamen inprimis cura quandoque radicalis in his abſolvitur.

Si nimirum Aneuryſma fuerit externum, recens, a corde remotius, non nimis magnum, neque ſaccus admodum degeneratus, ſi arteria tantum pro parte dilatata fuerit, in loco, abſque periculo tuto premendo, decurrat, & os ſibi ſubjectum habeat, a compreſſione aliquid ſperari poteſt, hac tamen ſimul obſervata cautela, quod arteria altiori, quam Aneuryſmatis loco, modice ſimul comprimatur, ut ſanguinis trajectus per arteriam affectam retardetur, ejusque in ſaccum aneuryſmaticum impulſus juſto fortior arceatur.

Modica

(*a*) l. c.
(*b*) Vid. diſſ. hujus, pag. 379.

Modica tali compreſſione in uno ægro ſiniſtræ ſubclaviæ, & in alio carotidis arteriæ ejuſdem lateris in ſaccum aneuryſmaticum inſignem expanſionis progreſſum ulteriorem non tantum, verum & intra 8 vel 9 menſes diminutionem valde notabilem Cl. ACREL vidit (*a*).

Diverſimode compreſſio hæc peragitur: ſunt, qui, Cl. MORGAGNUM ſecuti, præferunt, tumorem cutis ſublevatæ quadruplicato ex veſica bubula aut ex molli aluta ſplenio integere, cujus ſplenii oræ omnes per medicamentum, quod valentiſſime id poſſet, ad proximam cutem, quæ circum tumorem adhuc integra & firma eſſet, agglutinarentur (*b*): ſunt, qui iterum alia eligunt machinamentorum genera, qualia HEISTERUS (*c*) figuris exhibet, ULHOORN emendat aliaque ſuperaddit (*d*); illud SENFFII PLATNERUS delineat (*e*): & ſingularem quoque apparatum Cl. ARNAUD deſcribit ac figuris illuſtrat (*f*). Non lubet nunc varias illas comprimendi methodos examinare; fontes allegaſſe ſufficiat.

Quum vero ſimplicior methodus magis compoſitis ſemper præferenda ſit, conſultius erit hoc in caſu ſequentem vincturam prius tentare, quæ vel in brachio aliisve locis, a corde remotioribus, feliciter ſubinde applicata fuit. Brachium, ut Aneuryſmatibus præcipue obnoxium, eligam. Prius ſanguinis impetus per V. S., alvi ductionibus, abſtinentia, victu tenui, ac aquæ potu concomitatam, & per totum curationis tempus aliquoties repetendam, infringendus eſt, dein tumor ita contrectandus, ut contentus intus ſanguis in continuatum arteriæ canalem repellatur; imponatur tum charta bibula maſticata, in alcohol vini expreſſa, multiplicibus pannis ac gradatis intecta, quos inter ponatur fruſtum plumbi, nummus, aliudve, quo tumor optime prematur, corpus durum; quæ omnia tandem faſcia quadam ſatis longa adſtringuntur tali modo, ut, ab infimo humero ligaturam inchoando, continuetur ea ſupra pannos gradatos ita, ut tumoris ſedes, indice & medio alterius manus digito com-

(*a*) Confer. SANDIFORT Natuur- en Geneeskundige Bibliotheek, 5de deel, 1ſte ſtuk, p. 152 en 153.
(*b*) l. c. epiſt. XXVI, art. X.
(*c*) Heelkundig Onderwys, 2de deel, plaat VII, fig. 8 en 9.
(*d*) Ibid. pag. 1191, enz. en plaat II.
(*e*) Inſtit. Chir Rat. fig. 10.
(*f*) Mémoires de Chirurgie, part. 1, pag. 186; & Tab. IV, pag. 216.

preſſa, non iterum aſſurgere poſſit; quum ſummum brachium in orbem voluta deligavit, ſupra pannos gradatos ad humerum iterum revertitur; quod ſic ter quaterve hac faſcia peragitur, quæ ultima vice ad humerum reverſa ſplenium, quod arteriæ brachiali objiciendum eſt, comprehendit, firmat: ita deligatum brachium, ad latus parum adductum & flexum, mitella excipiatur, quietum ſervetur, ac diu relinquatur faſcia, immo eam, laxior ſi facta fuerit, ſubinde adducere oportet (*a*).

Fatendum vero raro compreſſiones has qualeſcunque perfecte Aneuryſmata ſanare, niſi forte in arteria, plano oſſi incumbente, in arteria v. g. temporali contigerint; ſanata tamen fuiſſe ea interdum & aliis locis oborta, exempla Acrellii modo memorata, illæ, ab J. J. Plenk communicatæ, Cl. Leberi obſervationes, qui ſummo ſucceſſu aliquoties ſuberis fruſto ad tumorem fornicato, linamento repleto, & loco ſuo faſcia retento, Aneuryſmata non nimis magna ſanavit (*b*), & aliæ, a Cl. Arnaud deſcriptæ, evincunt; de poſterioris machinamentis, egregie quoque ſubinde hîc conducentibus, (in ſeq. §.) latius agam. Cæterum merito ſtatuitur, Aneuryſmata quæcunque, ſita vel in cervice aliave interna extus prominentia reſpuere ut plurimum hanc compreſſionem, quum inprimis, ſi magna fuerint, & cordi vicina, niſi leniſſime & ſenſim compreſſio fiat, ſummum naſci ſoleat diſcrimen, ne, vitalibus organis exinde nimium anguſtatis, ſubito ſuffocetur æger: in iis vero, quæ in brachio, crure, capite & pectore externo, aliisque partibus, in quibus ſubjectum ſibi os habent arteriæ, contingunt, ab illa quandoque aliquid ſperari poſſe; ſæpe vero, ſi ad vaſorum multorum decurſum juxta oſſa cylindrica attendamus, arterias aneuryſmaticas hujus ope tantum latitudine ſua lucrari, quantum profunditate amiſerunt.

Iis vero in caſibus, ubi vinctura hæc locum non habet, & Chirurgica operatio, (de qua mox) tuta non videtur, ſuaſerunt alii, ægro V. S. ita debilitato, ut enervatus per plures dies jaceat, evitatis ſimul cibis copioſioribus, iisque, quæ corporis calorem nimium intendere poſſunt, totum brachium & humerum ita pluribus deligare faſciis, ut hæ, cochleæ in modum, ſuperiora verſus ſerpentes,

---

(*a*) Confer. Platneri Inſtit. Chir. Rat. §. 431.
(*b*) Sammlung von Beobachtungen über einige Gegenſtænde der Wundarzneykunſt; zweyter Theil, art. 1.

ſingulos prius circumdant digitos : alia faſcia , ſimili plane modo digitis & brachio obvoluta , ad humerum deſinat , & fortiter adſtringatur , non quidem tantum , ut omnis ſanguinis motus tollatur , ſed ut nimius impetus cohibeatur. Tumori vero plumbum , vel aliud durum corpus imponatur , appoſitis ſimul pannis multiplicibus , quæ omnia , faſciâ firmiter deligata , valde coarctantur ; cæterum , ut in deſcripta ſupra faſciatione , ſplenium , brachiali arteriæ objiciendum , faſcia firmetur , & in latus adductum brachium ita flectatur , ut mitella excipi & ex cervice commode ſuſpendi queat : aliquoties in faſciâm ſp. vini camphor. inſtallatur ; & , obſervatis debite cautelis , ab Exp. Chir. PLATNERO (*a*) indigitatis , tractetur , qui tamen ſimul monet , hanc methodum non niſi in illis deſperatis Aneuryſmatibus , ubi nec vinctura locum habet , nec ſcalpelli opera tuta eſt , experiendam eſſe , cum minimum interdum illa proficere poſſit , ubi præſtat ancipiti auxilio uti , quam nullo.

Si itaque compreſſio priori methodo peracta non ſucceſſit ; Aneuryſma jam obcalluit ; & artus immobilitatem ac ſummum dolorem creat ; ſi ruptura & majus incrementum eo in loco , ubi operatio adhuc peragi poſſet , imminet , Aneuryſmatis exſtripatio , toties ſummo ſucceſſu inſtituta , ſuadenda.

Sed an hæc ubique æque tuta & facilis peractu haberi poteſt ? Certe , ſi ad vaſorum arterioſorum decurſum ac diviſionem in ramos ſuos attendamus , fatendum , longe tutius hanc iis in locis , ubi arteria minime ſolitaria , ſed in ramos diviſa decurrat , peragi poſſe : econtra , ſi Aneuryſma in arteria quadam , per quam ſolam ſanguis in artum influit , contingat , membrum præſcindendum eſſe , multi docuerunt.

Quum vero accuratiora Anatomicorum obſervata demonſtrent , mire quandoque ludere naturam in vaſorum decurſu ac ramificatione (*b*) , ita ut viſa fuerit quandoque arteria humeralis mox in ſummo humero in duos jam ramos fuiſſe diviſa , vel ſi etiam indiviſa ultra cubiti flexuram inceſſerit , ea tamen , priuſquam in radiæam & ulnarem dividitur , præter inſignem ramum , qui , ex ipſa humerali

(*a*) l. c. §. 434 & ſeq.

(*b*) Confer. quæ habet Cl. LUDWIG in program. *de variantibus art. brachialis ramis in Aneuryſmatis operatione attendendis* , & B. GOOCH *practical treatiſe on Wounds , and other Chirurgical ſubjects* , vol. 1 , p. 180.

arteria ſupra diviſionem ſuam enatus & circa cubitum inflexus; radiali arteriæ inſeritur, plures alios minores ramos, quos *collaterales* Anatomici vocant, in illas ſeſe inoſculantes, emiſiſſe: ut mirum propterea non ſit, ſumma quandoque felicitate Aneuryſmata in ipſa humerali arteria devincta, exciſa, ac ita ſanata fuiſſe, ut, inſtituto poſt mortem talis ægroti examine, viderint, ac delineaverint MOLINELLIUS (*a*), & CHARLES WHITE (*b*), quod, licet arteria humeralis, ad tres pollices ſupra diviſionem ſuam in ramos primarios intercepta, ac ligata fuerit, arteriæ tamen capillares, infra ligaturam ſe inſerentes, tantopere ſe dilataverint, ut ſimul ſumptæ vel diametrum trunci ſuperarent. Quod igitur in arteriæ humeralis ligatura fit, in crurali ſimiliter contingere poteſt, ut hujus quoque arteriæ feliciter peractæ interceptiones ſatis evincunt (*c*).

Conſultius itaque ſemper erit, priuſquam ad ipſam artus amputationem confugiamus, arteriæ aneuryſmaticæ interceptionem inſtituere, ac exſpectare, quid Natura tali in caſu moliatur, ea tamen, auctore SHARPIO (*d*), adhibita cautela, ut omnia, quæ ad amputationem requiruntur, inſtrumenta ad manus ſint, quum ſubinde contingat, ut arteria ligari minime poſſit, vel ſtatus brachii, gangræna jam correpti, eam poſtulet.

De diverſis vero comprimendi, ac intercipiendi methodis mox ſub curatione Aneuryſmatis ſpurii agam.

§. XXVI.

Nec minora quandoque ars *in Aneuryſmatibus ſpuriis* pertractandis afferre commoda videmus, quum ſola ſubinde compreſſione, vel arteriæ interceptione a ſummo vitæ periculo liberentur ægri.

Compreſſio vero hæc duplici modo peragitur; fit enim vel externe tantum, vel, facta cutis inciſione, ad nudam arteriæ aperturam, de qua infra. Externa vero compreſſio in iis præcipue caſibus tentanda, ubi *circumſcriptum*, ſupra definitum, Aneuryſma, neque nimis magnum adfuerit, ac preſſioni facile cedat, ſimplici tantum

(*a*) Act. Bonon. vol. I, pars II, pag. 72.
(*b*) Caſes in Surgery, part. I, pag. 139.
(*c*) SAVIARD Nouveau recueil d'obſervations chirurgicales obſ. CXCV. Eſſays and obſ. vol. III, p. 266. J. J. PLENK l. c. pag. 37. BURCHALL in Med. obſ. and Inquiries vol. III, p. 106 & 109.
(*d*) Traité des opérations de Chirurgie, chap. XXXVI, pag. 372.

charta maſticata ad ipſum tumorem applicata, ac pannis gradatis & faſcia firmata, interpoſitis V. S., alviductione, ac diæta tenui, aliquoties feliciter abſoluta fuit (*a*). Subere vero oblongo, eoque fornicato, ad tumentem arteriam applicito, ac proba firmato ligatura, vetulam ita ſanavit Cl. DE HAEN, ut tumor tantillum decreſceret; omnis, qui antea magnus ſatis fuerat, eique, qui locum diutius digito explorabat, per quam ingratus, tremulus motus ceſſaret, & corpus durum, fere rotundum, extrorſum convexum ac immobile, arteriam in loco vulneris tegere videretur, quod tamen fœminæ nullam creabat moleſtiam (*b*): ſæpius, ac felicius adhuc curam hanc peregit Cl. LEBER (*c*). In recenti ſimiliter, ac parvo Aneuryſmate compreſſionem externam laudat & probat Cl. FOUBERT, dum in majore aut vetuſtiore operationem ſuadet: primam peragit, ſi in arteriæ humeralis trunco Aneuryſma hæſerit, ſin vero in ramo, intercipit illum, ligat (*d*).

Cum Cl. DE HAEN fateri hîc poſſem, haud bene me capere, cur ramum etiam compreſſione curandum non ſuſcipiat, ſi truncum tuto noverit compreſſione curare (*e*). An vero hæc ratio foret, quod, dum frequenter rami arteriæ humeralis primarii in cubito proxime juxta ſe mutuo decurrunt, non facile tum ita compreſſio peragi valeat, ut evitetur ſimul alter ramus, quo ſimul compreſſo fieret, ut iidem, quos ſubinde poſt interceptionem trunci dolent Chirurgi, naſcerentur effectus, quam ideo, ſi Aneuryſma in trunco adſit, compreſſioni Cl. FOUBERTUS poſtponit.

Hinc forte contigit, quod aliquoties voto non reſponderit compreſſio illa, quum ſæpe tali modo faſcia applicetur, ut circulatio per brachium inferius impediatur, & vaſa quoque collateralia conſtringantur; ut igitur huic incommodo ſuccurreretur, bina egregia machinamenta excogitavit Cl. ARNAUD, ſummo ſucceſſu ab eo adhibita, nitideque deſcripta ac delineata (*f*), quibus efficit, ut circulatio libera maneat, & eo tantum in loco, ubi requiritur, ut trombus, arteriæ aperturæ reſpondens, in eam reprimatur, qui

(*a*) MONRO Eſſays and obſ. vol. III, p. 297.
(*b*) Rat. Med. pars IV, cap. II, §. 11.
(*c*) J. J. PLENK l. c. pag. 13 & ſeq.
(*d*) Mémoir. de l'Acad. Royale de Chir. Tom. II, p. 537 & 538.
(*e*) l. c. §. 9.
(*f*) l. c. pag. 186 & 196. Pl. IV & V.

demum in unum ſolidum cum arteria eo, quem egregie FOUBERTUS (*a*) explicat, modo, coaleſcat, ope laminæ cujuſdam ovalis, concavæ, ipſique tumori incumbentis, compreſſio peragatur, quorum poſteriori machinamento ægrum Aneuryſmate ſpurio, ovalis figuræ, non admodum magno, ad medium & internum femoris latus, in ipſa crurali arteria ſito, laborantem, cujus artum unanimi conſenſu amputandum cenſebant Cl. PEYRONNIE, PETIT, BOUDOU, LE DRAN & VERDIER, perfecte ſanavit. Ut vero machinamentorum deſcriptiones, eorumque applicandi methodus rite intelligantur, L. B, ne ea nimis arctis circumſcribendo limitibus minus clare proponam, ad Cl. Viri opera citata amando.

Quum igitur compreſſio felici eventu interdum fuerit applicata, neque operationem in poſterum forte inſtituendam turbet, quia, notante Cl. HUNTERO, facta compreſſione, rami collaterales magis ſe dilatare ſolent, atque hinc membrum ad eo liberiorem ſanguinis trajectum poſt operationem diſponitur (*b*), conſultius ſemper videtur, hanc, modo circumſcriptum, neque nimis magnum Aneuryſma, ejusque cutis adhuc ſana fuerit, prius tentare, quam ad ipſam operationem deveniamus, quæ ſæpe quidem optimo quoque ſucceſſu inſtituta, interdum tamen peſſima poſt ſe reliquit effecta.

In hac vero inſtituenda minime iterum inter ſe conveniunt Auctores: ſunt, qui ſuadent, applicato prius torculari, totum tumorem aneuryſmaticum, facta cruciali inciſione, aperire, concretum ſanguinem eximere, ligare arteriam ſupra & infra aperturæ arteriæ ſedem, & denique vulnus modo, mox proponendo, deligare. Sunt iterum alii, qui malunt, ſimili modo applicato torculari, facta inciſione, cutim incidere, eamque ab ipſo Aneuryſmate caute ſeparare, ligare tum ſupra & infra arteriam, a vicinis ſejunctam, partem intermediam aneuryſmaticam exſcindere, & vulnus, ad ſuppurationem deductum, tamdiu ſervare apertum, donec fila cadunt, illudque tandem ſanare. Sunt tandem, qui præferunt, ſanguinem, torculari appoſito, ex tumore deorſum verſus extremitatem artus propellere, cutim, longitudinali facta inciſione, ab ipſo Aneuryſmate ſeparare, unica tantum ligatura ſupra Aneuryſma arteriam conſtringere, ac vulnus ſecundum artem, donec filum ſeparatur, pertractare.

(*a*) l. c. p. 536.
(*b*) Med. Obſerv. and Inquir. vol. 1, art. XXVI, remark. XVIII.

Prior methodus, a Cl. SAVIARD (*a*), M. AURELIO SEVERINO (*b*), JOHN MACGILL (*c*), ALEX. MONRO (*d*), CAR. GUATTANI (*e*), BURCHALL (*f*), RUYSCHIO (*g*), aliisque ſummo ſucceſſu inſtituta, eas præprimis requirit cautelas, ne in ipſa nimirum interceptione nervi arteriæque collaterales ligentur; ut tertium filum binorum ſupremo paulo altius trajiciatur, ut, ſi hoc forte non ſufficeret, conſtringi quoque poſſet; ne vero lina injecta arteriam mordeant, vel abrumpant, panniculi minores hæc inter & ipſam arteriam ponantur, ac inſtrumenta pro amputatione neceſſaria, ſi forte arteriæ ligatura impoſſibilis eſſet, in promptu adſint.

Altera methodus a PURMANNO tam feliciter inſtituta, ut dicat ſe hujus ope Aneuryſma, capitis magnitudinem adæquans, intra quatuor hebdomadarum ſpatium optato eventu diſſecuiſſe, ac ſanaſſe (*h*); & tertia denique, qua unius menſis ſpatio periculoſiſſimum Aneuryſma Cl. ANEL ſanavit (*i*), rarius hodie, ut minus tutæ, inſtituuntur. Ultimam tamen methodum, quæ nimirum unica tantum ligatura peragitur, a Cl. LEBERO in arteriæ temporalis Aneuryſmate (*k*), a Perit. vero Chirurgo J. VAN HESPEL in arteriæ brachialis trunco (*l*), feliciter iterum fuiſſe peractam, conſtat. Lubet vero magis methodum aliam, veteribus jam uſitatam, compreſſionem nimirum Aneuryſmatum, oſſa ſibi ſubjecta habentium, ſtipticorum ſuffultam auxilio, poſtea neglectam, a Germanis primum, dein & a Gallis revocatam, ut eæ nimirum, quæ interceptionem quandoque inſequuntur, evitentur calamitates, paulo prolixius hîc exponere.

In hac operatione inſtituenda plures ſeſe ſolertes præſtiterunt Clariſſimi in arte Viri: ab HAMBERGERO Jenæ (*m*), TREW Norimbergæ (*n*), atque FOUBERT Pariſiis (*o*) feliciter peracta eſt:

(*a*) Nouveau recueil d'obſervations chirurgicales, obſ. VII, XXXIII, LXIII.
(*b*) De effect. Medic. lib. I, part. II.
(*c*) Medical Eſſays vol. II, art. XV.
(*d*) Ibid. vol. IV, art. XVII.
(*e*) Hiſt. duæ Aneur. hiſt. I.
(*f*) Med. obſ. and Inquiries vol. III, art. XII.
(*g*) Obſ. Anat. Chir. Tom. I, obſ. II.
(*h*) Chir. Curioſa, pag. 612.
(*i*) Suite de la nouvelle méthode de guérir les fiſtules lacrimales, pag. 257.
(*k*) J. J. PLENK l. c. pag. 9 & ſeq.
(*l*) Uitgezogte Verhandelingen, vol. VII, p. 189.
(*m*) Commerc. Lit. Norimberg ann. 1732, pag. 107.
(*n*) Ephem. Nat. Curioſ. vol. VIII, obſ. CXXVI, & ſecunda vice vol. X.
(*o*) Mémoir. de l'Acad. Royale de Chirurg. Tom. II, pag. 539 & ſeq.

nec minorem ſibi laudem reportavit Cl. MORAND, quum *Agaricum* in horum Aneuryſmatum operatione adhibuit, cujus egregium eventum ipſe (*a*), Cl. BROSSARD, Cl. DE HAEN (*b*) aliique viderunt. Hæc ſequenti inprimis peragitur modo : poſtquam inſtrumentum tornatile juſto loco, in Aneuryſmate v. g. ad flexuram cubiti, prope alas, ubi arteria humeralis decurrit, fuerit appoſitum, tumor inciditur, eoque ſatis dilatato, extravaſatus ibidem ſanguis aufertur ; laxato ſuſpenſa manu torculari, ex ſaltu ſanguinis mox arteriæ apertura detegitur, ac, methodum HAMBERGERI atque TREW ſequendo, laminæ variæ chartæ maſticatæ, liquore ſtiptico Dippelii madefactæ, priores minores, majores cæteræ, ad ipſum arteriæ vulnus gradatim apponebantur ad tantam altitudinem, ut, aſperſo ſimul ad omnem vulneris ſuperficiem pulvere quodam adſtringente, faſciis juſte apprimi, ac firmari poſſent : laminæ hæ relinquantur, donec cadunt, & vulnus ſecundum artem ſanatur. Similiter operationem hanc charta maſticata expreſſa & ſatis ſolida peregit Cl. FOUBERT, qui ad finem citatæ diſſertationis machinam deſcribit ferream, aptam, qua tumor tantum & cubitus comprimatur, ac evitetur impeditus ſanguinis per reliqua vaſa trajectus : conſiſtit in circulo ferreo, parum ovali, cui ab uno latere interno adſtat lamella pulvinulo inſtructa, ab altero vero perforatus cochleam tranſmittit, cujus extremitati ſimilis pulvinulus, ad magnitudinem vulneris conformatus, affigitur, eo ſcopo, ut hujus ope locus aperturæ arteriæ juſte prematur : circulus hic ad membri volumen accommodatus, ita fiat, ut ad latera vulneris brachium ab omni preſſione liberum ſit, & non niſi ad arteriæ aperturam ac cubitum puncta ſua fixa habeat.

Loco vero chartæ maſticatæ mirum in modum ſuum laudat Agaricum Cl. MORAND (*c*) ; fungus nimirum hic, nomine *Agarici pedis equini facie* Botanicis notus, & a materiæ Medicæ ſcriptoribus, ut excreſcentia quarundam arborum, deſcriptus, a Chir. BROSSARD, ut remedium, quo maximarum etiam arteriarum hæmorrhagiæ tuto ſiſterentur a. 1750 Acad. Chir. Pariſ. primum communicatus fuit, cujus Fungi, menſe Auguſto collecti, & auferendo ejus corticem durio-

(*a*) Rat. Med. pars IV, cap. II, §. 10.
(*b*) Mémoir. de Chirurgie, vol. II, pag. 225.
(*c*) l. c.

duriorem malleique ictibus compingendo, ac emolliendo rite parati, uſus tantus deprehendebatur, ut plurimos inter Chirurgos, qui illud, ut optimum ad hæmorrhagias compeſcendas laudabant, Cl. MORAND egregias circa illius efficaciam tum ſui, tum aliorum, obſervationes exhibeat, eam inprimis Agarici ſpeciem, quæ quercubus annoſioribus accreſcit, in citata diſſertatione commendans, ubi ſimul notat, illam compreſſione utcunque laxiore curam hanc peragere.

Conſultius eſt, ut ſupra jam monui, prius torcular probe adſtringere, &, ne hujus remedii efficacia tollatur, ab omni ſanguine depurgare ſaccum apertum, eumque pulvere ejuſdem inſpergere, & ad ipſum tandem arteriæ vulnus paratas Agarici lamellas imponere, primam minorem, alteram vero tertiamque majores, donec tanta earum eſt altitudo, ut ligatura juſte firmari poſſint; qua methodo Aneuryſmata brachii, vulnera majorum arteriarum ſanata, & ſanguinis profluvia tam feliciter cohibita fuere, ut, ex obſervationibus ratiocinando, ſtatuendum utcumque videatur hoc remedium, modo ad ipſum arteriæ vulnus applicari queat, compreſſioni qualicunque fortiori, interceptioni, ac ſtipticorum uſui præferendum eſſe, quum hujus ope modica tantum compreſſio requiratur; paucos intra dies vulnus abſque novæ hæmorrhagiæ metu examinari poſſit; arteriæ parietes, auctore Chir. PLENK (*a*), non coaleſcant, & illa evitentur ſymptomata, quæ ars toties, facta vel compreſſione, vel interceptione, aut & ſtipticorum applicatione, luget, quippe quæ arteriæ cavum delendo, circulationem per artum inferiorem prohibendo, vel & nervos conſtringendo, aut irritando convulſiones, artuumve immobilitatem haud raro intulerunt.

Aliam tamen adhuc, nuperioribus temporibus, Aneuryſmatum curam in Anglia LAMBERTUS propoſuit (*b*), poſtquam viderat, arteriarum facta ligatura, dolorem, inflammationem, ac gangrænæ metum inſecuta fuiſſe, & Naturæ progreſſum in uniendis labiis leporinis, ac equorum venis inflictis vulneribus attenderat, ea nimirum ſpe fretus, ſimilem in arteriarum vulneribus, acus ope factam operationem forte peragi poſſe, & ſane, inſtituto ſemel hoc artificio, hæmorrhagiam mox compeſcuit: acum nimirum chalybeam, tenuem, longitudinis quartæ partis pollicis, per labia vulneris trajecit, &,

(*a*) Mater. Chirurg. uit het Hoogduitſch door B. TERSIER vertaalt, 1ſte ſtuk, p. 176.
(*b*) Medical obſervations and Inquiries, vol. II, pag. 360 & ſeq.

circumvoluto filo, reliquit, nulla inſequente amplius hæmorrhagia: quarto, poſt factam operationem, die vulnus vidit optime diſpoſitum, die decimo quarto acus & filum ceciderunt, vigeſimo vero ſecundo vulnus ſanatum, exceptis, quæ ex proviſu ad fila bina ſupra & infra aperturam, ſi forte hæmorrhagia compeſci non potuiſſet, trajicienda, facta fuerant, vulnuſculis, gaudebat; reſectis itaque & his filis, brevi totum vulnus cicatrice obducebatur, & exinde non niſi pulſus majorem, quam in altero brachio, debilitatem retinuit, quod imminutæ ad arteriæ conſolidatæ locum diametro adſcribi poſſe putavit LAMBERTUS.

Quicquid ſit, methodus hæc, ſi ulterioribus obſervationibus, & inſtituto dein ſanati vulneris examine evincatur, non coaleſcere arterias (de qua re tamen adhucdum quam maxime dubito, dum, facta quamvis ſubtiliſſime operatione, multum tamen diametri ſuæ amittere debeat canalis arterioſus, cui inſignis arteriarum, inprimis applicato pungente ſtimulo, contractio accedit) ſatis bona videtur; cæterum, quum de hiſce nondum conſtet, præferenda longe videtur illa methodus, quam ultimo loco laudavi, ſæpius cum ſummo ſucceſſu inſtituta, immo, ut mihi videtur, arteriarum interceptione ob dictas rationes multo præſtantior; modo caveatur, ne torcular nimis cito auferatur; licet quidem, facta operatione, illud parum laxare, applicatum tamen maneat, neceſſe eſt (*a*).

Non aliter tamen poſſum, quin paucis quoque ſubjungam, quæ Expert. Chirurgus CHARLES WHITE nuperioribus temporibus circa Spongiam eodem, quo Agaricus, applicandam modo, communicavit. Anno nimirum 1762 Londini edidit tractatum, cui titulus: *An account of the topical application of the ſpunge in the ſtoppage of Hæmorrhages:* ubi illam inprimis laudat Spongiæ ſpeciem, quæ, compacta, parum poroſa, nomine *Spongiæ maſculæ*, & apud TOURNEFORTIUM n.° 575, titulo *Spongiæ, ad uſum præſtantiſſimæ, foraminibus exiguis perviæ*, a reliquis ſpeciebus diſtinguitur: qua exſiccata magnarum arteriarum hæmorrhagias compeſcuit, ut ibidem

(*a*) Utcunque coaleſcere arterias, poſt factam earum ſecundum LAMBERTI methodum ligaturam, ex iis, quæ Doct. ASMAN accurate in canum arteria crurali inſtituit, experimentis conſtat, ut idem Auctor jure concludat, methodum hanc ligatura non præſtantiorem, ſed minus certam, minuſque tutam habendam eſſe. (Diſſ. de Aneuryſmate pag. 29 & ſeq.)

pluribus evincit exemplis, nuperiusque aliis confirmavit curatorum Aneuryſmatum hiſtoriis (*a*) : e quibus integrum eſt colligere, non minori ſucceſſu Spongiam, quam Agaricum, in Aneuryſmatum cura applicatam fuiſſe : promiſcue tamen adhiberi poſſe videntur, donec plures obſervationes evicerunt, hunc vel illam præſtantiores in hæmorrhagiis coërcendis uſus præſtitiſſe.

§. XXVII.

Aneuryſma vero *Mixtum*, quum brevi ad certam magnitudinem, ultra quam amplius procedere ſolitum non eſt, increſcat, nullumque malum, ſi non turbetur, portendat, quum ſanguini arteria egredienti parum reſiſtentiæ opponatur, merito Cl. HUNTERUS concludit (*b*), nihil potius hîc tentandum eſſe; neque etiam a compreſſione quid ſperari poſſe videtur, dum ſanguinis liber ex arteria in venam ingreſſus requiritur, nec multum incommodi affert, id quod idem Auctor teſtimonio ægrotantis, abhinc 14 annos ſingulari hac Aneuryſmatis ſpecie laborantis, ulterius ibidem (*c*) confirmat. Si tamen rupturæ metus inſtaret, V. S., diæta tenuis, quies, eorumque, quæ ſanguinis in venam impulſum juſto fortiorem reddere valent, evitatio, multum hîc prodeſſe poſſent.

§. XXVIII.

Majori ſane periculo premitur, longeque promptius auxilium exigeret atrociſſimum *Cordis Aneuryſma*, aſt ut in prognoſi jam innuimus, quis diſtractas cordis fibrillas cogere iterum poterit ? quis, facta ruptura, ſolutum redintegrare, & ſanguinem, ſummo impetu cordis cava egredientem, coërcere iterum tentaverit ? Perſpicuum itaque cuilibet puto, morbum hunc non niſi palliative tractandum, evitando quaſcunque corporis commotiones majores, quam ad vitam protrahendam requiruntur, tranquillum ſervando animum, cibum ingerendo blandum, tenuem, parca ſimul quantitate, ne ſanguis, nimia chyli copia commixtus, cordis cava magis adhuc diſtendat, obruat, vitando præterea quæcunque remedia ſtimulantia, quippe

(*a*) Caſes in Surgery; pag. 141 & ſeq.
(*b*) Medical obſervations and Inquiries, vol. II, p. 393.
(*c*) Pag. 398 & ſeq.

quæ, circulationem nimis intendendo, ſanguinem impetuoſius juſto in cordis cava impellunt, eaque magis dilatant; quum econtra, V. S. inſtituendo, ſi eam plethora, vel corporis exæſtuatio nimia non exegerit, turbata ſemel, ob ſublatum ſanguinem inter & cordis vires æquilibrium, ſanguificatio magis lædatur, hydrops generetur. Potus vero copioſiſſimi, ſed tenues, ſerum v. g. lactis, medicamenta diluentia, aperientia, lubricantia, aliaque ſimilia, quibus ſanguinis liberrima fiat per vaſa lubricata circulatio, ingerantur. Quæ omnia tam in ea Cardiaci Aneuryſmatis ſpecie, quæ a dilatato uno alterove cordis cavo, quam in illa, quæ a diſtenſis nimium coronariis vaſis (ſi quæ datur hujus ſpeciei certa diagnoſis) originem ſuam trahit, generaliter ſic indicata velim.

SECTIO OCTAVA.

Specialiorem exhibens Aneurysmatis Arteriæ Aortæ pertractationem, notabili casu illustratam.

§. XXIX.

Multa licet, ad Aneuryſmatum internorum cognitionem neceſſaria, in generali pertractatione paſſim jam expoſuerim, non pauca tamen adhuc de Aneuryſmate Arteriæ Aortæ ſuperaddenda mihi videntur, quippe quæ, teſte Monro (a), toties Aneuryſmatibus anſam præbuit, ut eorum, prope cor obſervatorum, numerus æqualis, ſi non major ſit iis, in reliquis N. C. partibus obviis, in unum collectis.

Ne itaque crambem recoctam iterum apponendo L. B. nauſeam creem, paucis tantum aliquot Aneuryſmatum Arteriæ Aortæ hiſtorias ſubnectere lubet, tali ordine digeſtas, ut ſimul liqueat; quænam Aneuryſmatum Aortæ omnium frequentiſſimæ cauſſæ ſint; quonam in loco præprimis illa ad Aneuryſmata diſpoſita; quinam primarii eorum effectus; quibus tandem notabilem Aneuryſmatis Arteriæ Aortæ obſervationem, qua paſſim monita, vel adhucdum monenda, egregie confirmantur, ſubjungam.

(a) Eſſays and obſerv. vol. III, pag. 285.

§. XXX.

Ad primarias cauſſas, obſervationibus ſuffultas, refero:

1°. *Qualeſcunque corporis motus ac niſus vehementiores, quam ut incitatus inde ſanguinis impetus ab arteriarum viribus contranitentibus ſuperari queat:* hinc

Poſt *vomitum enormem, per quinque dies protractum*, obortum in collo tumorem aneuryſmaticum LITTRÆUS deſcribit, qui, ut, inſtituto poſt mortem examine, patuit, e curvatura Aortæ aſſurgens media ſui parte intra thoracem recondita oſſibus cariem creaverat, altera vero ſui parte ſuperiora conſcendens totum latus colli ad maxillam expleverat (*a*).

Poſt *tuſſim aſſiduam, ac vehementem*, prægreſſa, & in phthiſin pulmonalem terminata, peripneumonia, enatum in dorſo gibbum inſignem, ſublitеſcente nimirum Aneuryſmate Aortæ, Doct. NOORTWYK vidit; ſaccus ſc. ſub arcu Aortæ in latere ejus ſiniſtro ortus ad diaphragma uſque protendebatur, ac tantam habebat magnitudinem, ut amplitudinem veſicæ urinariæ majoris inflatæ adæquaret: tribus vero amplis foraminibus, inter 6 & 7; 7 & 8; 8 & 9^{am} coſtam hiantibus, cum gibbo, cruore coagulato repleto, communicabat: coſtæ denique in Aortæ fundo carioſæ & fragiles, immo & proximæ his corporum vertebrarum partes carie affectæ occurrerunt (*b*).

In viro plethorico, poſt *corporis verſus humum inclinationem*, & *niſum ad aliquid attollendum*, cito mortuo, Aneuryſma Arteriæ Aortæ ſupra cor ovi minoris magnitudinis, & in quodam loco diſruptum, WALTHERUS vidit (*c*).

Violento vero *curſu*, hiemis tempore, rigidiore ſæviente bruma, agitati viri cadaver Aortam Arteriam paulo ſupra cor, præcipue circa ejus arcum, ampliorem ſolito Cl. VALCARENGHO (*d*) obtulit: nec non in viro, qui animo prius vehementer commotus citiſſimo paſſu rixantes amicos ſuos corripere ſtrenueque componere aggreſſus fuerat, paulo vero poſt vertebrarum dorſi, ſcapularum vel & clavicularum doloribus ſæpius cruciabatur, poſt mortem Aortam circa

(*a*) Mémoir. de l'Acad. Royale des Sciences l'ann. 1707.
(*b*) Præfat. ad tract. NIHELLII de pulſu.
(*c*) HALLERI Diſſ. Chir. tom. V, p. 189.
(*d*) Vid. Continuationi ejus Epidem. Cremon. conſtit. a°. 1737—1740. ſuperadditarum de Aortæ Aneuryſmate obſerv. trium, pag. 53 & ſeq.

arcum parum expanſam, magis autem trans curvaturam duos circiter digitos transverſos, videlicet in deſcendente ejus trunco eaque parte, qua dorſo adhæreſcit, eodemque in loco diſruptam quoque fuiſſe, idem auctor vidit (*a*).

Tuſſi ferina per annum vexatum hominem in Aorta ſupra cor inſigne geſſiſſe Aneuryſma, Cl. MORGAGNUS auctor eſt (*b*), qui ſimiliter poſt *tuſſim, ac reſpirationem inſignes*, exortum tumorem pulſantem, ſub clavicula dextra ad ſternum ſe commonſtrantem, vidit, & duorum, aut trium menſium ſpatio ita adauctum, ut alterum quaſi caput e medio ſterno enatum, & ad jugulum extenſum videretur; Aorta, poſt mortem, in oblongum & ingentem Aneuryſmatis ſaccum dilatata deprehendebatur, cujus orificium cum Arteria communicabat ad ſuperiorem, non nihil anteriorem arcus ipſius partem, ſic ut, communi quoque trunco ſubclaviæ & carotidis dextræ in ſaccum illum dilatato, hæ duæ arteriæ ex facie poſteriore incipientis ſacci prodirent, qui ſaccus cum anteriora thoracis oſſa, præſertim vero claviculam dextram, tum proximas huic coſtarum, & ſterni partes aſſidua ſua pulſatione, & erodente ex ſe emiſſo humore penitus abſumpſiſſet, viam ſibi ad exteriora paraverat, muſculoſque & integumenta attollens, illam quaſi alterius capitis imaginem effecerat (*c*). Nec non in cadavere viri robuſti, valde ſalacis, qui ſe ciſiarii modo, modo rhedarii laborioſa arte tuebatur, Arteriam Magnam induratam, intusque oſſeis ſquamis præditam ac dilatatam, ut, ejus vertebræ corpore excavato, ipſa hujus occuparet locum, idem auctor detexit (*d*).

E niſibus vero *fortioribus*, quos vir, thoraces duros conficiendo victum ſibi quærens, imbecilli ſuo corpore inſtituere coactus erat, obortum Aneuryſma arcus Aortæ, cujus ſaccus inter cartilagines ſecundæ & tertiæ coſtæ prorumpens, tumorem oblongum efformaverat, Cl. HUNTERUS obſervavit (*e*).

E validiſſimo corporis nixu, & inſecuta tuſſi valde moleſta, ac cordis palpitatione, arcum Aortæ adeo aneuryſmaticum factum Cl.

(*a*) l. c. pag. 87 & ſeq.

(*b*) De ſedibus & cauſſis morborum &c. epiſt. XVIII, art. XVII.

(*c*) Ibid. epiſt. XVII, art. XXV.

(*d*) Ibid. epiſt. XVII, art. XVII.

(*e*) Medical obſ. and Inquir. vol. I, art. XXVI.

Burggrav deprehendit, ut dicat, ultra ſedecim aquæ uncias ab eo capi potuiſſe (*a*).

2°. *Validas corporis percuſſiones externas* : hinc Lancisius de homine caſum narrat, qui *ſphæra buxea in læva dorſi parte vehementer percuſſus fuerat*, indeque ſenſum moleſtum eo in loco retinuerat, ac poſt quatuor annos ibidem de profunda pulſatione querebatur, cui ſe denique, in gibbam prope ſpinam elevatis & corroſis coſtis, tumor pulſans adjunxit, quo ab Empirico inciſo, mox æger exſanguis cecidit (*b*). Cadaveris inciſionem inſtitutam non fuiſſe, dolendum. Aliam vero ſuperaddit hiſtoriam Aneuryſmatis, reperti in cadavere viri, malis ſuccis redundantis, cujus *ſummum pectus magnopere percuſſum erat*, manifeſtante ſe ibidem paulo poſt tumore aneuryſmatico, qui poſt mortem inveniebatur ex parte antica & dextera flexuræ Arteriæ Magnæ ortus, & aſſurgens ipſum ſternum ſuſtulerat, cujus interior pars, carie quoque obſeſſa, in cavam figuram elevata erat (*c*).

Poſt *lapſum* doloribus lumborum ac dorſi acerbis prehendebatur vir lue venerea olim correptus; loco affecto tumor enaſcebatur proximas ſibi coſtas attollens : aperto poſt mortem ventre, Aneuryſma tantæ detegebatur magnitudinis, ut ventris caveæ dimidium ferme occuparet, a diaphragmate ad pelvim ſe extendens, & occupans quantum ſpatii eſt a latere dextero vertebrarum ad ſiniſtrum diſtenti abdominis latus, liene, ventriculo, inteſtinis, meſenterio, cava vena, rene ſiniſtro dextrorſum adeo compulſis, ut is ren ad regionem eſſet umbilicalem : Aorta Arteria, quum in ventrem primum pervenit, ita ſiniſtrorſum expandebatur, ut anteriorem & laterales parietes facere videretur deſcripti Aneuryſmatis, quod ibi inter diaphragmatis appendices cum Aortæ cavo ampliter communicabat. Perioſtium exeſum, coſta infima & cava facies oſſis Ilium carie affecta erant; aut ſolo digitorum appreſſu facile rumpebantur. Corpora autem ipſa infimæ thoracis vertebræ & duarum primarum lumbalium altiſſime erant excavata, & maxima ex parte abſumpta, ligamenta quamvis intacta manſerint (*d*).

(*a*) Act. Phyſ. Med. vol. x. p. 148.
(*b*) De motu cordis & Aneuryſmatibus pars II, prop. XXI.
(*c*) Ibid. prop. XXII.
(d) Cl. Morgagni l. c. epiſt. XL, art. XXVI.

Cl. Valcarenghus vero hominem memorat, qui *curſu maxime agitatus, & in ſuppoſitam foveam incurrens, ſterno dextrorſum in oppoſitam ripam vehementer impegerat*, reſpirandi difficultate ac inſigni pulſationis ſenſu in pectore ab eo tempore conquerebatur, tandemque corpus nimium exercens cito defecit: in cadaveris ſiniſtra thoracis parte magna ſanguinis copia detegebatur, qui eruperat ex Arteriæ Aortæ Aneuryſmate tantæ molis, ut ejuſdem cavitas binas manus commode reciperet. Saccus hic a ſiniſtra cordis baſi incipiens ad dextram vergebat, & coſtis quartæ, & quintæ hujus lateris firmiter adnexus quartam præcipue maxime excavaverat, eo nimirum in loco, ubi antea fortis pulſatio ſe manifeſtaverat. Tum aſſurgens ad claviculas uſque magna mole ſua exporrigebatur, ita ut a ſummo ejuſdem vertice tum ſubclaviæ, tum carotides arteriæ originem ducerent (*a*).

E lapſu, in dorſo tumorem fortiter pulſantem efformatum, infimam coſtam inter & os innominatum ſiniſtri lateris ſitum, qui ex Aorta ab arteria cœliaca ad renalem dextram in inſignem ſaccum aneuryſmaticum expanſa enaſcebatur, D. Monro vidit (*b*).

3°. *Poſitos qualeſcunque ſanguini a corde propulſo obices; quo ſpectant*:

Spinæ diſtorſio: qualem in anu gibbera & clauda Aneuryſmati Aortæ, paulo ſupra diviſionem ſuam in iliacas, in aneuryſmaticum ſaccum diametro quaquaverſus duorum digitorum expanſæ, anſam dediſſe, ſummo jure Cl. Morgagnus conjecit (*c*).

Coarctatio diametri arteriæ axillaris dextræ & ſubclaviæ ſiniſtræ: ob quam cauſſam obortum in Aorta prope cor aneuryſmaticum ſaccum, qui, extendens ſe a tertia vertebra ſuperiorum dorſi ad quintam inferiorum colli, longitudine ſua œſophago, parte ſuperiori tracheæ, inferiori vero pulmonibus incumbebat, a parte anteriori ſterno & primæ utriuſque lateris coſtæ fortiter adhærens, Cl. Littræus memorat (*d*).

Polypus

(*a*) l. c. pag. 81 & ſeq.
(*b*) Eſſays and obſerv. vol. III, art. XII, p. 225 & ſeq.
(*c*) l. c. epiſt. XXXVIII, art. XL.
(*d*) l. c. an. 1712, pag. 78.

Polypus in Aorta conſtitutus : qualem, vivente ægro, ſigna præſentiæ ſuæ quam manifeſtiſſima exhibuiſſe, & Aneuryſmati in Aorta prope cor obvio, tantæ magnitudinis, ut aliud cor in pericardio concluſum æmularetur, occaſionem ſuppeditaſſe ALEX. KNIPS MACOPPE affirmat (*a*).

4°. *Diſtractiones ſubitaneas :* quo refero illud in Actis Pariſinis (*b*) memoratum venatoris exemplum, qui in latus dextrum ſubitiſſime caput ſuum flexum difficulter reducere poterat, & deglutitione ac reſpiratione difficillima ad mortem vixit : in cadaveris thorace Aorta maxime dilatata, & ingens in arteria ſubclavia dextra ſaccus aneuryſmaticus deprehendebatur.

5°. *Humorum acrimoniam, concurrente corporis agitatione juſto majore :*

Aperto thorace cadaveris viri, *ludo pilæ ligneæ & meri abuſui nimis dediti*, inſigne apparuiſſe Aneuryſma, in quod anterior paries arcus Aortæ ſe expandens ſummum os ſterni, & huic inſidentia claviculárum extrema, atque coſtas proximas partim abſumpſerat, partim inducta carie vitiaverat, Cl. MORGAGNUS notat (*c*); & aliud lanionis, venerea infecti lue, ſæpe ebrii, ac per aliquot dies ante mortem tuſſi aſſidua correpti, in Aortæ curvatura obvium deſcribit (*d*) : quo jure etiam referri poſſe mihi videtur caſus ille, in quem idem Auctor ſupra jam inquiſiverat (*e*); homini nimirum, qui laneas telas forficibus magnis tondebat, meri potui largiori nimis dedito, & morbo venereo correpto, attolli cœperat dextera pectoris pars ſuperior. Accurato poſt mortem inſtituto examine, apparuit tumor in ea pectoris ſede, quæ inter axillam dexteram & ſternum eſt, prominebat in modum hæmiſphærii, ſed depreſſi, a coſta quarta ad claviculam pertinens, propior ſterno quam axillæ, ac preſſioni cedens. Clavicula rupta erat, & carie interius exeſa, ſupremarum autem coſtarum quatuor ea præcipue pars, quæ diu ſolet eſſe cartilaginea, corrupta, aut abſumpta ab Aneuryſmate inveniebatur. Erat autem Aneuryſma ſacci inſtar, cujus latus ſiniſtrum per foramen, duos admittens digitos

(*a*) In epiſt. Brixiæ an. 1731 edita.
(*b*) A. 1700, pag. 38, art. VI.
(*c*) l. c. epiſt. XXVI, art. IX.
(*d*) Ibid. epiſt. LVIII, art. XIII.
(*e*) Ibid. epiſt. XVIII, art. XXV.

cum latere dextero communicabat Arteriæ Magnæ, priuſquam hæc commune dexteris ſubclaviæ & carotidi initium præberet.

6°. *Aëris intra pulmones retentiones nimis diuturnas :* hinc in cadavere tubicinis inventum Aneuryſma pectoris intima & ſuperiora obſidens idem Auctor memorat, arcu Aortæ cum ramo, qui dexteræ ſubclaviæ & carotidi originem præbet, ita dilatato, ut Aſperam arteriam gulamque comprimeret (*a*). An huc quoque reducendus caſus ille, quem de meretricula idem MORGAGNUS narrat, quæ vino dedita, de laſſitudine & cibi faſtidio abhinc aliquot menſes jam conqueſta, in opere venereo interiit. Luſtrato cadavere pericardium, concreto ſanguine plenum, & Aneuryſma a tergo Aortæ ſupra valvulas ſemilunares reperiebatur, nucem juglandem magnitudine æquans. Diſruptus hiabat in pericardio ſaccus, cujus faciei interiori pelliculæ polypoſæ adhærebant (*b*).

§. XXXI.

HAS præter Aneuryſmatum arteriæ Aortæ hiſtorias multæ adhuc aliæ apud Auctores occurrunt, quas tamen, dum earum cauſſas non ita facile indagare potuerim, potius omiſi : præterquam quod hæ ſufficiant, ut inde jam eliciamus, quonam in loco Aorta præprimis ad Aneuryſmata diſpoſita ſit, *pars* nimirum *ejus a corde ad arcum uſque decurrens*, & *ipſa curvatura :* cujus phœnomeni ratio a configuratione arteriæ ſanguinisque in eam impulſu fortiori merito derivatur, quum certum ſit, magnam opponi reſiſtentiam ſanguini, a corde in arteriam propulſo, ob curvaturam, quam quatuor circiter digitos tranſverſos ſupra cor patitur; ſanguis igitur, quacunque etiam de cauſſa incitata cordis actione, in arcum incurrit, quo maxime reſiſtente fit, ut ſanguis hunc inter & cor accumulatus arteriæ parietes undequaque maxime dilatet, vel hanc illamve partem forte debiliorem in ſaccum ſaltem aneuryſmaticum, arteriæ quaſi accumbentem, protrudat, ut ſupra memorata exempla ſatis evincunt. Nec difficilius explicatur, cur ipſa interdum curvatura inſigniter expandatur, quum facile quis concipiat, ſanguinem continuo tanta quantitate, tanta vi, ac velocitate in partem ſuperiorem arcus Aortæ, totum ejus impetum ſuſcipientem, projectum validiſſime fibras ejuſdem, cæterum

(*a*) Ibid. epiſt. XVIII, art. XXII.
(*b*) l. c. epiſt. XXVI, art. XIII.

fortiſſimas, diſtrahere, in enormes ſubinde, niſi ſubito admodum naſcantur, ſaccos aneuryſmaticos expandi, lacerari alias, vel & diſrumpi: quam cauſam etiam Cl. MORGAGNUS innuit, dum dicit: *quod, cum trahi in dubium minime queat, arcum Aortæ non longe a corde incurrenti ſanguini objectum, hujus curſum ſubito, & violenter inflectere, facile intelligatur, ſi cordis impulſus nimium intendatur, & præſertim, ſi Aorta vel a primordiis minus firma ſit, vel ab eroſivo aliquo principio debilitata, Aortæ expanſionem effici; deinde, cur ejuſdem ad illam, aut prope illam curvaturam, vel nullo præſente polypo, frequentiſſime inveniantur* (*a*).

Ne tamen quis credat, reliquum arteriæ Aortæ truncum ab Aneuryſmatibus prorſus liberum eſſe: contraria docent illa, a Doct. NOORTWYKIO, MORGAGNO, LANCISIO, MONROO deſcripta, & ſupra a me commemorata; his addere poſſem Aneuryſma pugni magnitudinis in Aorta, diaphragmati jam proxima, efformatum (*b*); aliud in Aorta ſtatim ſub diaphragmate enatum, parte vero ſua ſuprema ſiniſtra in thoracis cavum, quod pene totum repleverat, proruptum (*c*); illud dein a Cl. STORCKIO cum Ill. DE HAEN communicatum Aortæ Aneuryſma, quod ab ipſo corde inchoatum ultra curvaturam pergebat: facta vero curvatura, Aorta a dorſo recedebat; cujus phœnomeni cauſſa ſaccus erat, ex poſtica Aortæ deſcendentis parte, orificio pollicis diametrum habente, productus: qui ſaccus inter coſtam quartam ac quintam, a ſe mutuo dimotas, protruſus, deletis nimirum intercoſtalibus muſculis, explicaverat ſe in tumorem manui integræ magnitudine parem (*d*). Quo æquo jure annumerantur Aortæ amplum arterias prope iliacas Aneuryſma, a FANTONO memoratum (*e*), aliud a BAYFORD infra diaphragma obſervatum, &, adjectis figuris, a Cl. HUNTERO (*f*) communicatum, & illud denique ſupra jam a nobis ex MATANO collectum, quod circa emulgentes arterias diſruptum copioſum ſanguinem in abdominis cavum effuderat (*g*).

(*a*) Adverſar. Anat. II, Animadverſ. XLI.
(*b*) MORGAGNI de ſed. & cauſſ. morborum &c. epiſt. XXVI, art. XI.
(*c*) Ibid. epiſt. XL, art. XXIX.
(*d*) DE HAEN Rat. Med. pars IV, cap. II, §. 2.
(*e*) Obſ. Anat. Med. obſ. I.
(*f*) Medic. obſ. and Inquiries vol. III, pag. 14 & ſeq.
(*g*) Conſ. hujus diſſ. pag. 386.

§. XXXII.

Ex præmiſſis ſimiliter Aneuryſmatum arteriæ Aortæ hiſtoriis abunde conſtare poteſt, quinam eorum omnium frequentiſſimi effectus ſint, quos ad duos tantum primarios, quum plerique in generali Aneuryſmatum pertractatione jam a me expoſiti fuere, refero: 1°. ſc. partium vicinarum mollium actiones læſas; 2°. oſſium excavationes: quibus tandem oſſearum (ut vocant) bractearum, toties in Aneuryſmatibus obviarum, hiſtoriam ſubnectam. Primum quis negaverit, qui ſemel tantum attenta mente conſiderat, quantum hîc preſſio mechanica efficere valeat, ubicunque nimirum arteria Aorta in ſaccum aneuryſmaticum expanditur, ubique ut plurimum noxas inferre ſolet, quæ in partibus mollibus, actiones earum lædendo, primario ſeſe manifeſtant: hinc ſi in pectore Aneuryſma latet, mirum non eſt, quod multoties, preſſis ita pulmonibus, ut ſanguis libere permeare nequeat, reſpirandi difficultas, immanis præſertim poſt locorum acclivium conſcenſum anxietas, cordis palpitatio, lipothymiæ, aliaque mala naſcantur. Nec raro quoque ægri de clavicularum, vertebrarum dorſi, ſcapularum, aliarumque vicinarum partium doloribus queruntur, qui, Auctore Cl. ALBERTINO (*a*), exinde ut plurimum dependent, *quod Aneuryſmata orta longius a corde, vel ob peculiarem ſuæ figuræ modum, ſanguinisque impulſum, ac indolem impenſius, celeriusque in ſuis fibris diſtrahantur, vel tendinem, ſeu nervorum truncum, aut aliam ſenſilem partem, inprimis contra os aliquod, ſuis ictibus impellant.* Accedit, quod Aorta deſcendens vertebris firmiter adnectatur, quæ itaque, conſtituto ibidem, vel & in arcu Aortæ, Aneuryſmate, ac juſto vehementius ſanguine in illud impulſo, mirum in modum diſtracta dolores creat immanes, tenſivos, lancinantes, ſubinde non niſi corpore admodum quieto tolerabiles, nervisque in conſenſum tractis, convulſiones, aliæque corporis affectiones ſpaſmodicæ exoriuntur. Sæpe etiam Aneuryſmata circa arcum Aortæ obvia concomitantur artuum ſuperiorum torpor vel & ſtupor, cujus phœnomeni ratio a compreſſis inprimis vaſis ſubclaviis, & nervis brachialibus deducenda videtur. Mirum enim quot quantaque mala, a ſola vicinarum partium compreſſione dependentia, tumoribus aneuryſmaticis ſeſe adjungant, ita ut exempla

(*a*) Com. Acad. Bonon. p. 388.

habeamus, illos interdum ita increviſſe, ut magnam thoracis partem adimplendo, pulmones tantopere compreſſerint, ut hi vel penitus conſumpti viderentur, vel ſaltem ſanguini trajectum denegantes apoplexiam ob prohibitum ſanguinis regreſſum ex capite in cor dextrum, nimis repletum, vel &, ob impeditam lymphæ ſeroſæ per vaſa lymphatica abſorptionem, venis quippe ſanguine nimium diſtentis, ipſam hydropem, ut plurimum lethalem, niſi per urinarias vias, & per alvum, idonea excitata criſi, ab exuberante fluidorum pondere Natura ſponte ſua ſeſe liberet [ut in illo VALCARENGHI exemplo ſupra memorato contigit (*a*)], inducere ſolent, vel & aſpera arteria ab Aneuryſmate, circa præcordia ſito, ita ſubinde compreſſione coarctata fuerit, ut, præcluſo aëris ingreſſu, cito ſuffocaverit ægrum.

Nec difficilius comprehenditur, quanta mala oriri debeant, ſi Aneuryſmata in Aorta abdomen percurrente fuerint enata, modo quis contempletur diverſiſſima infimi ventris viſcera, eorumque varias, ad quas deſtinata ſunt, actiones, ut mirum propterea non ſit, nunc digeſtionem, chylificationem, nunc bilis ſe- & excretionem turbari, nunc iſchuriam, alias inflammationes ab arietatione, hydropem, lumborum tenſiones, aliaque mala, viſcerum ſitus, fabricæ, atque uſus probe gnaris facile explicanda, portendi, ut opus non videatur diutius hiſce immorari. Ad ipſas itaque potius vicinorum oſſium excavationes tranſeamus, quæ, teſtantibus celeberrimorum virorum ſcriptis, horrendas ſubinde malorum facies reliquerunt, ita ut, vel totum ferme ſternum, coſtarumque cartilagines, cæterum ipſi nexas omnes, ſi binæ tantum ſuperiores excipiantur, una cum non exigua illarum oſſea parte, defeciſſe in cadavere hominis, ex ruptura Aneuryſmatis interni (quod intra quinque menſes tantam acquiſiverat magnitudinem, ut in dextro latere maxime prominens, & ad claviculam uſque ſeſe extendens, totum occupaverit pectus) mortui, amicum elapſo anno ſecum communicaſſe, ſummo beneficio mihi maxime venerandus Præceptor ED. SANDIFORT retulerit, atque occaſionem partium affectarum ſterni inprimis reliquias, ſollicite conſervatas, accurate examinandi ſuppeditaverit.

Quædam huc ſpectantia ſupra jam (ad §. XIII. n°. 5) monuimus: attigimus tum eam Cl. MORGAGNI circa hoc phœnomenon opinio-

(*a*) l. c. pag. 82.

nem, qua ſtatuitur, vaſcula perioſtii ſacci aneuryſmatici appulſione contuſa rumpi tandem, humoremque contentum effundere, quo, mora acriori facto, os erodi queat (*a*). Quæſtio tamen hìc moveri poſſet, cur duriſſima oſſa ita lædantur, dum partes molles, tumoribus his æque vicinæ, ut plurimum illæſæ maneant. Cl. enim Maloët exemplum habet, in quo Aneuryſma trunco Aſperæ Arteriæ ita adhærebat, ut hujus cartilagines aliquot partem Aneuryſmatis efficerent, eadem tamen vis ſanguinis, quæ cartilagines has deſtruxerat, neque cohæſionem ejus cum Aſpera Arteria, neque tanto molliores, & tenuiores parietes reliquos Aneuryſmatis arroſerat, aut perforaverat (*b*). En, quî idem auctor explicare hujus rei rationem tentet: *nimirum quæ ictibus magis cedunt, minus læduntur; quæ autem valentius reſiſtunt, ea vero detrimentum multo gravius accipiunt* (*c*).

Dubito tamen, an ſic omnis ſcrupulus amoveatur, quum, licet jam conceſſerim (ut ſummo Morgagno concedendum videtur), quod partes duriores primario afficiantur, nulla tamen ſufficiens ratio reſtet, quare, attritis jam vaſculis perioſtii, vel perichondrii, & effuſo humore acri, eroſivo principio imbuto, non tamen ſemper, ſecundario quamvis, parietes ſacci aneuryſmatici, continuo ichore hoc acerrimo irrorati atque eroſi, prius rumpantur, quam duriſſima craſſaque oſſa excaventur. An vero multiplicium lamellarum interiori Aneuryſmatis ſuperficiei appoſitio hujus phœnomeni ratio foret? ſed hæc non ubique vera, & illæſæ ſæpe inveniuntur ipſæ lamellæ. An igitur potius ſtatuendum vaſa N. C. inter reliquas partes ab eroſiva humorum vi (cauſſa licet hujus phœnomeni lateat) omnium poſthuma affici? Vidimus enim ſupra (ad §. IX. n°. 5. in notis) ab Exp. Chir. Puthod crurales arterias & epigaſtricas per longum tempus materia purulenta, ichoroſa, irroratas viſas fuiſſe, quamvis nullum contraxerint vitium. Aliorum tamen & hìc indagemus opiniones: illam Cl. Hunteri (*d*), quam dubitanter propoſuit, *an* ſcilicet *revera ſanguis vim oſſa diſſolvendi habeat?* ſupra ſimiliter (ad §. XIII. n°. 5.) retuli, in quam opinionem incidit, quum ipſe talem vicinorum oſſium

(*a*) l. c. epiſt. XVIII, art. XXVII.
(*b*) Mém. de l'Acad. Royale des Sciences an. 1733.
(*c*) l. c. epiſt. XXI, art. XLVIII.
(*d*) Medical obſerv. and Inquiries, vol. 1, p. 345.

deſtructionem ac conſumptionem viderat, quæ a carie longo diverſa alia quoque explicatione indigebant. Multa tamen & huic opinioni obſtant. Cur non v. g. partes molles, ſi ſanguis revera vi oſſa duriora diſſolvendi gaudeat, ſimili plane modo diſſolvuntur? vel, ſi jam hæc ſanguinis vis conſtaret, ubi tamen manent partes diſſolutæ? Teſte enim Cl. ARNAUD (*a*), nulla unquam materiæ vel ſolidæ aut fluidæ collectio circa Aneuryſmata deprehenditur. Nec præter concretiones polypoſas aliud quid ſeſe in ipſo aneuryſmatico ſacco offert. Præterquam quod intellectu difficillimum ſit, quî ſanguis hanc vim exſerere poſſet, quum hic, tumore aneuryſmatico incluſus, nudum os alluere minime queat, quod tamen requireretur, ſi ſtatuere quis cum Cl. HUNTERO (*b*) vellet, ſanguinem, eodem forte, quo os diſſolvit, tempore abripere ſimul particulas oſſeas diſſolutas. Sed quid opus plura hîc colligere, quum Cl. PRINGELII experimentis, captis cum ſanguine putrido & oſſibus, hæc ſanguinis vis oſſa ut menſtruum diſſolvendi minime confirmetur (*c*). VALCARENGHUS vero coſtæ excavationem, quam ipſe obſervaverat, non niſi ingeminatis validioribus ſanguinis impulſibus attribuendam putavit, quum nulla ſuppuratio, aut ichoroſi cujusvis liquoris extillatio ibidem ſeſe commonſtraverit (*d*).

Quum itaque tot oſſium a vicino Aneuryſmate excavatorum exempla proſtent, nulla quamvis humoris acris, erodentis effluxus, aut veræ cariei ſpecies adfuerit, paucis lubet ſubnectere, quæ circa hujus phœnomeni cauſſam proponi adhucdum poſſe viſa mihi fuerunt, poſtquam in proprio caſu, mox ſuperaddendo, obſervaveram, inſignem in ſterno factam fuiſſe excavationem; per quatuor annos ſupervixiſſe ægrotam noſtram, poſtquam ſternum jam perforaverat tumor aneuryſmaticus; induratos quidem, atque compactos Aneuryſmatis parietes, minime tamen eroſos aliove modo degeneratos fuiſſe; & nullum denique poſt mortem vel fœtorem, aut materiæ ichoroſæ extillationem obſervari potuiſſe. Nonne attritus ſolus, qui os inter & ipſum aneuryſmaticum ſaccum continuo viget, ſufficere poſſet, ut tantæ ſubinde vicinorum oſſium excavationes fiant? Multa

(*a*) Mémoires de Chirurgie, part. I, p. 210 in not.
(*b*) l. c. p. 344.
(*c*) Conf. MONRO Eſſays and obſerv. vol. III, p. 253.
(*d*) l. c. p. 85.

ſane ſunt, quæ pro hac opinione militant: guttam cavare lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo videmus; &, continuo Aneuryſmatis Arteriæ ſubclaviæ appulſu claviculam luxari poſſe, obſervatio docet (*a*). Quidni igitur in oſſe, in quod tumor aneuryſmaticus continuo arietat, hac ſola de cauſſa excavationem derivemus? Hanc præterea arietationem continuam ſi pro vera plerarumque oſſium excavationum cauſſa habere poſſimus, facilius longe explicatur, quî fiat, ut ipſi ut plurimum Aneuryſmatis parietes illæſi maneant; hi quippe quum molliores ſint, preſſioni magis cedunt, oſſa vero, quum magis firma ſint, ſtabilia & cedere ferme neſcia majorem inde noxam patiantur, neceſſe eſt. Accedit, quod, licet jam quodammodo etiam lædantur Aneuryſmatis parietes (ut credibile ſane eſt), conſtet tamen, deperditi reparationem longe promptius, longeque citius in mollioribus quam duris partibus peragi, ut inde ſimul ratio liqueat, cur Aneuryſmata nonnunquam vertebras, illæſis quamvis interjectis ligamentis, mirum in modum excavent, qualia exempla Cl. MORGAGNUS exhibet (*b*).

Hoc ſaltem ex præmiſſis concludere liceat; non ubique eodem modo has oſſium excavationes fieri; dari certe, quæ arietatione continua, juncta acrimoniæ ſingulari, oſſa erodenti, fiunt, ſive hoc contingat, quia attritu os inter & tumorem aneuryſmaticum vaſcula perioſtii, ſeu perichondrii contuſa humorem erodentem effundunt, ſive quia attritu illo impediatur materies oleoſa per os transſudare, quæ igitur, ſtagnatione acerrima facta, duriſſimum os erodit, ac inſignem, ut in omni oſſium carie obſervamus, fœtorem olet, ſive denique, ut RUYSCHIO (*c*) placuit, per parietes Aneuryſmatis tranſpiret humor acris, oſſa vicina erodens, perinde eſt, modo nunc conſtet, non ſemper a ſolo attritu has oſſium excavationes derivari poſſe; dari tandem, in quibus nulla harum cauſſarum accuſari poſſet, ſed noſtra forte, modo propoſita, opinio magnam veriſimilitudinem præ ſe ferre videtur.

Priuſquam vero effectuum claſſem dimittamus, paucis adhuc in oſſearum (ut vocant) lamellarum, in parietibus ſacci aneuryſmatici ali-

(*a*) Journal de Médecine, Chirurgie & Pharmacie, tom. XIV, p. 55.
(*b*) l. c. epiſt. XL, art. XXVI, XXIX.
(*c*) Obſ. Med. Chir. obſ. XXXVII, XXXVIII.

aliquando occurrentium, efformationem inquirere lubet: ne vero diverſiſſimas Auctorum circa hoc phœnomenon opiniones commemorando nimium hîc excurram, breviter tantum harum lamellarum ſubſtantiam indagabo, viſurus dein, quanam de cauſſa earum inprimis origo atque incrementum dependere videantur. Ne tamen quis dubitet, lamellas has in Aneuryſmatum parietibus unquam fuiſſe detectas, inſpiciat tantum, quæ circa has JOAN. BAPTISTA BIANCHI (qui, ut in theatro ſuo Anatomico MANGETUS ſcribit, enorme memorat Aneuryſma in principio arcus Aortæ obvium, ubi erat oſſea, immo ſaxea potius loricatio ad totam illam Aortæ faciem, quæ accubitu polypoſo tenebatur); VERNOJUS (qui in Aortæ Aneuryſmate concretam ſubſtantiam, quaſi oſſeam, invenit) (*a*); VALCARENGHUS (*b*); HALLERUS (*c*); LAFAGE (*d*); SHARP (*e*), aliique obſervarunt.

Bracteas, ſive *ſquamas oſſeas*, ut plurimum vocare ſolent concretiones has, quamvis quorundam Auctorum deſcriptiones teſtentur, ſæpiſſime illas longe diverſam ab oſſea habuiſſe naturam, ita ut ſummus MORGAGNUS fateatur (*f*), concretiones plures, quæ, duritie ſolum ſpectata, a feſtinante aliquo Anatomico poſſent pro oſſibus accipi, & fortaſſe interdum acceptæ ſunt, ab his accurate eſſe diſtinguendas, & lapideas, tophaceas, gypſeas, &, quod ſæpius accidit, calculoſas eſſe appellandas, ut varia ſingularum natura ad lapidis, tophi, gypſi, & calculorum, qui crebrius in renibus, aut urinaria veſica concreſcunt, ſimilitudinem videtur accedere, extra omnem dubitationem poſitum eſt: cujus rei veritatem ut evincat, præter alia ejuſmodi concretionum exempla Cl. CHOMELII obſervationem (*g*) ſuperaddit, qui cum tubercula deſcribit lapidea, ſic interius exteriuſque ſuperficiei affixa arteriæ pulmonaris, ut alicubi externa, internaque communicarent inter ſe, teſtatur, omnia ea ex pluribus lapideis granis fuiſſe compacta. Et quanquam ipſi MORGAGNO nunquam accidiſſe videtur, ut in permultis arteriarum duris bracteis

(*a*) Comment. Imp. Acad. Petropol. tom. VI, Claſſ. Phyſ. art. IV.
(*b*) l. c. pag. 58 & 83.
(*c*) Opuſc. Pathol. obſ. XVIII.
(*d*) Phil. Tranſact. nº. 267.
(*e*) Surgery chap. XXXVI.
(*f*) Libri ſæpius citati epiſt. XXVII, art. XX.
(*g*) Hiſt. de l'Acad. Royale des Sciences an. 1707, Obſ. Anat. III.

& ſquamis unam animadverterit, quæ eſſet friabilis, in arenamque reſolvi poſſet, aut quæ ex lapideis granis compacta eſſe videretur, fatetur tamen, nequaquam ſe dubitare, quod ſibi non accidit, id aliquando, aut, ſi vis, ſæpe aliis accidiſſe. Quicquid ſit, id ſaltem ſtatuendum, non omnes has lamellas eadem gaudere natura, dari certe, quæ ad eam potius lapidis, tophi, gypſi, & calculorum accedunt, dari tamen ſimul, quæ oſſibus potius ſimiles habentur, quippe hæ, in prunas injectæ, ſimilem, qualem urentia oſſa, fœtidum nidorem ſpargunt, nigredinemque monſtrant, flexiles non ſecus atque ungues ſunt, & ad eundem denique modum, eodemque edito in diſruptione ſono, ac reliquæ lamellæ oſſeæ, rumpuntur. Sed undenam hæc diverſitas? An non ea a diverſa humorum cacochymia inprimis repetenda? An hæc igitur ratio foret, cur in ſeniorum corporibus, quorum ſanguis terreis particulis abundat, concretiones oſſeæ toties obviæ ſint? Sed ad ipſam potius harum concretionum originem ac ſedem properemus. Multi fuerunt Auctores, qui eas a membranarum arterioſarum oſſificatione, deletis nimirum per aſſiduam compreſſionem vaſculis, derivandas eſſe voluerunt: hodie vero, eas internam inter & muſcularem arteriæ tunicam ſedem ſuam habere, validiſſimis argumentis evincunt, poſtquam conſiderarunt, priori opinioni illud præprimis obſtare, quod concretiones hæ ſæpiſſime iis in locis, ubi attritus non niſi valde exiguus, nullæque aliæ cauſſæ, quæ fibras indurare poſſent, ſeſe manifeſtant, reperiri ſolent. Augustinus vero Budæus, negavit quidem, molles arteriarum fibras in oſſeas abire, lamellas tamen has ex granis quibuſdam terreis atque gypſeis conflatas eſſe voluit (*a*), dum Erud. Crellius, eas revera non eſſe oſſeas, ſed tophaceas, ex pure concretiones, cujus, tenuiore parte diſſipata, reſtitans craſſior induretur, dicendas eſſe ſtatuit (*b*). Quicquid ſit; hoc ſaltem ex recentiorum, Halleri præcipue (*c*), obſervatis conſtare videtur, materiem hanc, in duriores demum concretiones abituram, muſcularem inter & intimam arteriæ tunicam deponi.

Magis vero diſputatur, quomodo ſuccus hic, qui calloſus primo, deinde oſſeus fit, & in ſquamas duras late per arterias rigentes abit

---

(*a*) Miſcellan. Berolin. cent. IV. §. tom. V. p. 63. ſeqq.
(*b*) Obſ. de arteria cordis coronaria inſtar oſſis indurata §. 2.
(*c*) Opuſc. Pathol. obſ. XLVII.

(*a*), inter has arteriæ tunicas effundatur. Ob exiliorum, quæ intra arteriarum ſubſtantiam perepunt, vaſculorum lentis viſcidisque ſuccis infarctorum obſtructionem, eorum inflammationes in ſuppuratione tendentes fieri, & materiam purulentam, quæ in duriores demum maſſulas concreſcit, deponi, Cl. CRELLII fuit opinio (*b*), cui obſervatio Ill. MORGAGNI (*c*), quæ, ſenioris hominis Aortam, ſquamulis oſſeis præditam, & pro parte exeſam exterius propria vaſcula ſanguifera multum habuiſſe diſtenta, indicium videlicet perſtantis inflammationis, memorat, magnum robur attulit, quamvis MORGAGNUS ipſe cum CRELLIO in eo, quod ſc. concretiones illæ, quæ poſt inflammationem & ſuppurationem ortæ creduntur, tophaceæ ſemper, non oſſeæ ſint, convenire minime videatur, præcipue quum, ſe ipſum, illarum ortum vel ſine prævia inflammatione aut certe ſuppuratione interdum accidere, non dubitare, ſubjungat (*d*): immo potius ſtatuat, frequenter concretas has lamellas inflammationum atque exulcerationum cauſſas conſtituere, cum illæ aſperis ſuis & extantibus plus minus oris aptæ videantur, quæ vellicando ac irritando inflammationes, eroſiones, & exulcerationes producant. Cui cauſſæ accedit, quod arteria contrahere ſe nequeat, quin earum aſperitates & ſpiculæ arteriæ tunicæ continuo atterantur, neque ſanguis a corde per arteriam propulſus transfluere poſſit, quin tunica interna ad ſpiculas illas apprimatur, unde fieri ſæpe ſolet, quod, factis hiſce lamellis, dilacerata intus atque eroſa inveniatur interna arteriæ tunica; quamvis hæc cum Cl. MORGAGNO (*e*) minime ita intellecta velim, tanquam ſi omnes arteriarum ſive leviores ſive graviores eroſiones ab oſſiculorum aſperitate derivandas eſſe ſtatuerem.

Quid igitur de lamellis his, in ſaccis aneuryſmaticis toties obviis, dicendum? Nonne credibile admodum eſt, magnopere diſtenſis arteriæ tunicis, diſrumpi intus earum vaſcula propria, quæ contentum ſuccum nutritium intra membranas has arteriæ effundunt, & ſimul forſan particulas, a natura ad oſſeam ſubſtantiam reparandam deſtinatas, elabi ſinunt, quæ ergo errore materiæ nutritiæ huc delatæ

(*a*) Ill. HALLERUS Elem. Phyſiol. tom. I, lib. II, ſect. I, p. 65.
(*b*) l. c. §. 8 & 9.
(*c*) l. c. epiſt. XXVII, art. XXII; & epiſt. VII, art. IX.
(*d*) Ibid. art. XXIV.
(*e*) Ibid. art. XXV.

(ut in reliquis noſtri corporis partibus probabile eſt) eas iterum attrahat particulas, quæ ſuæ naturæ ſimiles ſunt ?

Multa ſane ſunt, quæ pro hac opinione militant : epidermidem ſæpe ita degenerare, ut in cornu abeat, videmus : immo inter egregias Prælectiones Pathologicas magnum illum noſtrum, & ſumme venerandum Præceptorem Gaubium narrantem ſæpius audivi, vidiſſe ſe epidermidem ad marginem labiorum in tantam increviſſe craſſitiem, ut in cornu abierit, omnemque labiis mobilitatem ac flexilitatem ita ſuſtulerit, ut ejuſdem ſeceſſum ſingulis binis hebdomadibus per aquam tepidam moliri cogeretur æger; qualem incraſſationem, errori materiæ nutritiæ (ut ſummo jure Cl. Præceptori videbatur) adſcribendam, conſpexiſſe ſe in præputio penis tali forma efformatam, ut natum prius punctum, quaſi corneæ duritiei, ſenſim ſenſimque extenderit ſeſe , donec tandem juxta circumferentiam decurrens totum penem ambiret , & erectionem ejus intolerabilem redderet, ſuperaddere Celeberrimus Vir conſuevit. Quidni igitur ſtatuamus, ſimilem hîc errorem materiæ nutritiæ locum habere ? quum Chirurgis interdum accidiſſe legimus, ut enaſcentes e vulneribus pilos, immo vel ſpeciem dentium viderint. Sed, ne nimium hîc a noſtro themate recedamus , in ea potius , quæ de Aneuryſmatibus arteriæ Aortæ dicenda reſtant, inveſtigemus.

§. XXXIII.

Specialiora quædam , quæ ſupra (Sect. v.) exhibuimus, ſigna diagnoſtica ſuperaddere utinam poſſem ! Interna eorum ſedes, cauſſarum prædiſponentium & occaſionalium multitudo , & effectuum, quos cum aliis longe diverſis affectionibus communes habent , inconſtantia, morbum hunc dignoſcere, multoque minus ab aliis diſtinguere ut plurimum vetant.

Si tamen corporis motus , ac niſus vehementiores ; percuſſiones externæ, validæ; reſiſtentiæ quæcunque ſanguini, per vaſa ſua propulſo, poſitæ; corporis agitationes juſto majores, concurrente humorum acrimonia, inprimis venerea ; vel & ſpiritus contentiones nimis diuturnæ , quas omnes ſupra adductis obſervationibus, ut frequentiores Aneuryſmatum Aortæ cauſſas, comprobavimus, præceſſerint; ſi dein, conſtituto in thorace Aortæ Aneuryſmate, reſpirandi diffi-

cultas; clavicularum, vertebrarum dorſi, ſcapularum, aliarumque vicinarum partium dolores; tenſiones; motus convulſivi; artuum torpor, vel & ſtupor; affectiones ſoporoſæ; corporis leucophlegmatia; vel & hydrops, generentur; vel ſi, Aneuryſmate in Aorta, abdomen percurrente, ſito, talia exoriantur ſymptomata, quæ a compreſſione organorum ſe- & excretoriorum; nervorum diſtractionibus & impedita humorum per vaſa ſua trajectione dependent, magna quidem ſuſpicio ſuboritur, minime tamen certo concludere poſſumus, intus Aortæ Aneuryſma ſublitefcere: major vero affundetur lux, ſi Aneuryſma intus obortum, dimotis, quæ ipſi oppoſita erant, repagulis, extus promineat; ſigna, quibus Aneuryſma externum dignoſci ſolet, ſupra (Sect. v.) a nobis inveſtigata, præbeat; & iis exoriatur in locis, quæ, prælucentibus ſupra propoſitis aliorumque obſervatis, Aneuryſmatis egreſſui patent, illudque frequentius tranſmittunt; modo & hæc non quandoque fefelliſſent!

§. XXXIV.

Quam infelix igitur in hoc morbo, per ſigna ſua, modo memorata, quamvis cognito, facienda ſit prognoſis, nemo mirabitur, qui arteriæ Aortæ amplitudinem; decurſum juxta plerasque N. C. partes nobiliſſimas; & juſtæ diametri neceſſitatem, ut reliqua corporis organa ſuam ſanguinis dimenſionem accipiant, attendit. Quis ejus fibras, ſemel nimium diſtractas, & continua ſanguinis perreptatione ulterius diſtrahendas, iterum coadunabit? Quis, appoſitas ſemel lamellas vel & ipſa coagula polypoſa reſolvere iterum novit? Quis denique, evitando, ne vires reliquæ exhauriantur, & mors ipſa promoveatur, rupturam præcavere, ſanguinisque eruptionem lethalem arcere unquam poterit? Periculoſiſſimum itaque ſemper prædicatur quodcunque Aortæ Aneuryſma; nulla enim integræ curationis ſpes, niſi forte mox in initio (quod impoſſibile fere cenſeo) dignoſceretur, ſupereſt.

Nihil tamen licet a cura radicali exſpectandum habeamus, Medicum tamen decet, ut, quantum fieri poſſit, ulteriorem Aneuryſmatis progreſſum impedire tentando, mortem differat, &, ſymptomata concomitantia mitigando, ægrotanti vitam ſuperſtitem longe tolerabiliorem procuret.

Hiſce indicationibus ut ſatisfiat, ea inſtituenda ſunt adminicula; quæ latius jam (in Sect. VII. §. XXV.) expoſui. V. S. nimirum, quantum corporis vires ſinant, inſtituantur, reiterentur; diæta ſervetur tenuis, parca; quæcunque ſanguinis motum intendunt, avertantur; & talia ſimul exhibeantur remedia, quæ ſanguinem, in maſſam polypoſam nondum nimis compactum, attenuare forte adhuc poſſunt, fructus v. g. ſaponacei, ſales medii, gummi ferulacea, aliave, quæ dominanti in corpore acrimoniæ oppoſita ſunt; acrimoniæ v. g. venereæ medicamentis Mercurialibus, ſcorbuticæ Antiſcorbuticis ſimul proſpiciatur, aliave humorum dyſcraſia detecta ſecundum Artis regulas tractetur.

Aortæ vero Aneuryſma ſi extus prominuerit, cutis ruptura præcaveatur; quem in finem ſummus MORGAGNUS quadruplicatum ex veſica bubula, aut ex molli aluta factum, ſplenium laudat (*a*), cujus oræ omnes per medicamentum, quod valentiſſime id poſſet, ad proximam cutim, quæ circum tumorem adhuc integra & firma eſſet, agglutinarentur. Caveatur tamen ſimul, ne tumor contra veſtimenta, aliaque obſtacula externa atteratur, aut, applicatis remediis comprimentibus, & ſanguine verſus interiora retropulſo, continuo moriatur æger, tumorque intus diſrumpatur, qualia LANCISIUS (*b*), atque LE DRAN (*c*) funeſta commemorarunt exempla.

(*a*) l. c. epiſt. XXVI, art. X.
(*b*) l. c. prop. XVIII.
(*c*) Obſerv. de Chirurg. tom. 1, p. 254.

NOTABILIS AORTÆ ANEURYSMATIS OBSERVATIO.

M. . . . . G. . . . . , Uxor S. . . . . H. . . . . , annos 65 nata, pro ætate ſatis agilis, die 16 Auguſti 1772 in Noſocomium Delficum, conſenſu illuſtrium harum ædium Curatorum, admittebatur, tumorem, in ſummo pectore ſeſe erigentem, commonſtrans, qui ab Experientiſſimo atque Artis Medicæ peritiſſimo Medico F. Boogert, ac Vigilantiſſimo Chirurgo D. Scholl, quorum vices tunc temporis erant ægrorum, ibi decumbentium, morbos tractare, pro more ſuo attente examinatus, aneuryſmaticus habebatur: palpitabat enim inſigniter, ita ut etiam e longinquo alternæ ejus contractiones atque dilatationes conſpicuæ eſſent: ad tactum durus erat. Supra ſternum, ad diſtantiam fere unius pollicis a ſummo ejuſdem oſſis margine, aſſurgebat, figura ſua quodammodo conum referens; altitudo enim quinque pollices & dimidium; baſis quatuor, & acumen duos fere poll. & dimidium, diametro ſua adæquabant (*a*): pulſus cum eo, qui in radiali arteria ad carpum a Medicis explorari ſolet, ſatis conſtanter ſynchronus erat, quandoque tamen & intermittens. Præter cutim eo in loco nihil diſtractum, aut e ſede ſua remotum videbatur. Cæterum ægrota tuſſi quandoque ſatis moleſta corripiebatur, quæ tumoris palpitationes maxime intendebat. Interdum eam ſyncope momentanea affligebat, ita ut pro tempore quaſi attonita videretur, mox iterum operibus ſuis peragendis apta; nec raro de doloribus intra ſcapulas, præcipue ad vertebras & anteriorem tumoris partem determinatis, querebatur.

Cauſſam hujus mali indagaturi ſupra laudati viri ſequentia tantum detexerunt: malum jam abhinc quatuor annos perduraſſe: non recordari poſſe ægrotam, cuinam cauſſæ mali hujus origo attribuenda erat, id autem certum eſſe, ad naviculam, cineribus onuſtam, remulco abducendam, coactam ſæpius ſe fuiſſe, & ita niſus quandoque ingentes intendiſſe: tumorem, quum primum apparebat, magnitudine ſua globulum minorem (quo pueri ludunt) adæquaſſe: & denique, ſenſim ſenſimque ita increviſſe, nullo ab ægrotante efflagitato remedio, ut tandem ad notatam ſupra magnitudinem, quatuor elapſis annis, perveniſſet; quæ forma etiam, quamdiu in

(*a*) Vid. Tab. I.

Noſocomio ſupervixit, mutata haud fuit, omniaque ſymptomata ad ultimum vitæ halitum, eodem in ſtatu, quo ea ſupra deſcripſimus, permanſerunt, excepto, quod cutis valde tenſa magis magisque præcipue ad apicem inflammaretur; cui inflammationi ut quodammodo reſiſteret, apta remedia applicabat prudens Chirurgus, dum interim tuſſi reliquisque ſymptomatibus, quantum fieri poſſet, mitigandis optime proſpiceret ſupra laudatus Medicus. Fruſtra autem quibuſcunque tentatis, die 20 Septembris ejuſdem anni inflammatio cutis ad apicem tumoris in gangrænam tendebat, quæ, paulatim ſeſe extendendo, die 26 ejuſdem menſis denarii circumferentiam adæquabat, parte illa ita attenuata, ut quolibet momento ruptura imminere videretur, & revera locus hic, die 27 inſequente, oculi nictu fere citius, ulteriori reſiſtentiæ impar, cum forte aliquid, humi depoſitum, attolleret ægra, ſumma vehementia diſſiliret, ita quidem, ut polypi fruſtum (*a*), quod anteriorem tumoris partem adimpleverat, ad ſatis magnam diſtantiam projectum, ſecum abſtulerit partem cutis anteriorem, jam plane gangrænoſam (*b*), quod mox aliud, at multo minus, fruſtulum cum rivulo ſanguinis inſequebatur (*c*), & tandem ultimum, quod maximum erat (*d*), cum ſanguinis horribili torrente, miſerrimæ ſanguinem cum anima expellente, erupit, tragœdiamque clauſit.

Mox arceſcitus Chirurgus invenit ægrotam ſuam ubivis jam ſanguine perfuſam & morte extinctam; curioſitatis vero gratia ſtilum, in vulnus demiſſum, in pectus altiſſime penetrantem ſentit. Ulteriori autem examine in ſequentem diem 28 dilato, & ad interim ego, de rei novitate certior factus, caſum hunc dignum putabam, qui a me (qui ægrotantem ſæpius viſitaveram atque jam dudum curaveram, ut tumor ad vitam delinearetur) attente obſervatus in ſchedulam conjiceretur, ut, data occaſione, eum in proprios uſus convertere poſſem.

En jam, quæ in ipſo examine occurrerunt: præcipua hæc erant: Polyporum formam ſupra jam deſcripſi, eaque ex adjectis (in Tab. 3.) figuris

(*a*) Tab. III, Fig. 1, 2. *v. Icon 8.*
(*b*) Ibid. Fig. 1.
(*c*) Ibid. Fig. 3.
(*d*) Ibid. Fig. 4.

ſiguris melius intelligetur. Ruptura autem, ſeu vulnus in pectore conſpicuum unico pollice a ſumma ſterni parte diſtabat, perfecte primas inter & ſecundas coſtas obvium & ab omni parte contractum, ita ut fere non niſi margo quidam ſupra reliquam cutim paulo magis aſſurgens atque rotundulus ſupereſſet, in medio relicto foramine circulari, unicum tantum pollicem diametro ſua admittente, & medium oſſis ſterni perforante (*a*). Cruciatim vero pectoris cute inciſa, atque muſculis pro parte ſeparatis, diſtinctius viſui ſeſe in ſterno foramen præmagnum offerebat (*b*), latitudine ſua duos pollices (*c*), longitudine vero duos & dimidium adæquans (*d*); ambitu ſuo ob eminentes undique oſſeas feſtucas acutum (*e*) valde erat, &, intromiſſo tandem per illud digito, ſaccus detegebatur ab omni parte huic foramini firmiter accretus, inæqualis, atque fibroſus. In lateribus itaque a coſtis, parte ſuperiori a claviculis, inferiori vero a diaphragmate ſoluto ſterno, attollendo illud, & ſeparando a pleuris inſignis reſiſtentia diſſecanti ad foramen oſſis ſterni offerebatur, ita ut coactus eſſet parietes arteriæ, ipſi accretos & cartilagineos factos, cultro circa foraminis ambitum reſcindere (*f*), ibi nimirum arteriæ Aortæ truncus, mox ubi ex ſiniſtro cordis ventriculo exortus ſupra pericardium emergit, dilataverat ſe in præmagnum ſaccum aneuryſmaticum (*g*), qui, foramen in ſterno obvium ingreſſus, firmiter accreverat ambitui interno hujus foraminis (*h*), & cujus parietes ita indurati erant, ut jam pro maxima parte in cartilagineam ſubſtantiam abiiſſent (*i*). Quibus omnibus ad circumferentiam prudenter diſſectis, interior oſſis ſterni foraminis facies, quæ dimidiato pollice ſuperabat diametrum ejuſdem foraminis, a parte exteriore dimenſam, in conſpectum veniebat (*k*). Tota ferme ſterni (*l*) pars ſuperior perierat, cujus loco conſpiciebatur foramen magnum, craſſiori, eo-

(*a*) Tab. II, Fig. 1, 2.
(*b*) Tab. IV, Fig. 1.
(*c*) Ibid. inter *m* & *o*.
(*d*) Ibid. inter *n* & *p*.
(*e*) Ibid. Fig. 1. *m*, *n*, *o*, *p*.
(*f*) Ibid. Fig. 1. *h*, *i*, *k*, *l*. Fig. 2. *a*, *b*; *c*, *d*. Tab. V. *h*, *i*, *k*, *l*.
(*g*) Tab. V. *h*, *i*, *k*, *l*, *m*, *n*, *o*, *p*. Tab. VI. *h*, *i*, *k*, *l*.
(*h*) Tab. IV, Fig. 2. *a*, *b*, *c*, *d*.
(*i*) Tab. V. *m*, *n*, *o*.
(*k*) Tab. IV, Fig. 2.
(*l*) Ibid. Fig. 1. *a*.

que inæquali margine cinctum (*a*), infra quod aliud, in ſaccum uſque aneuryſmaticum penetrans, foraminulum occurrebat (*b*), & parva quoque pars cartilaginis, qua coſta prima tum in dextro tum in ſiniſtro latere cum ſterno jungitur, abſumpta ita erat, ut nonniſi muſculis in loco ſuo retineretur coſta hæc utriusque lateris prima (*c*). In Aortæ trunco manifeſtabat ſe apertura ſatis hians, dilacerata pro parte, pro parte etiam ob firmiſſimam, quam cum ſterno habuerat, connexionem diſſecta (*d*). In hoc præterea ſacco animadverſione dignus erat polypus prælongus, durus, ac ſimul friabilis, natura ſua a ſupra deſcriptis, qui ex lamellis fibroſis, ſibi mutuo incumbentibus, conſtabant, in eo tantum diverſus, quod hujus lamellæ digitorum contrectatione longe facilius ſepararentur (*e*): ſitus erat perfecte ſternum inter atque foramen, quod in fundo ſacci manifeſtum, & margine quodam calloſo eminente diſtinctum, directe cum ipſo Aortæ trunco, ſeu potius radice communicabat (*f*): totum fere ſaccum ita adimplebat maſſa hæc polypoſa, ut nullum ferme locum retro advenienti ſanguini relinqui videretur.

Saccus vero ipſe ampliſſimus erat, & non multum ſupra valvulas ſemilunares incipiens non ſolum antrorſum, ubi per ipſum ſternum penetraverat, maxime ſe extendebat, verum etiam retrorſum ſurſumque, ſic ut tantam efficeret capacitatem, ut pugnum minorem facile admitteret (*g*); ipſe Aortæ arcus magis etiam, quam ſecundum naturam eſſe ſolet, dilatatus erat, unde oſtia vaſorum, ex illo provenientium, ſolito more trium, hoc vero in caſu quatuor (*h*), arteriæ nempe innominatæ (*i*), quæ ortum præbet ſubclaviæ (*k*) & carotidi dextris (*l*), carotidis ſiniſtræ (*m*), vertebralis ſiniſtræ (*n*) ac ſubclaviæ ejuſdem lateris (*o*), majora, quam in ſtatu ſano, apparebant.

(*a*) Ibid. *m*, *n*, *o*, *p*.
(*b*) Ibid. *q*. Fig. 2. *e*.
(*c*) Ibid. *c*. *c*.
(*d*) Tab. V. *h*, *i*, *k*, *l*, *m*, *n*, *o*.
(*e*) Tab. III, Fig. 5.
(*f*) Tab. V. *m*, *n*, *o*.
(*g*) Tab. VI. *h*, *i*, *k*, *l*.
(*h*) Tab. V. *r*, *s*, *t*, *v*, *w*. Tab. VI. *m*, *n*, *o*, *p*.
(*i*) Tab. VI. *m*.
(*k*) Tab. V. *r*. Tab. VI. *q*.
(*l*) Tab. V. *s*. Tab. VI. *r*.
(*m*) Tab. V. *t*. Tab. VI. *s*.
(*n*) Tab. V. *v*. Tab. VI. *t*.
(*o*) Tab. V. *w*. Tab. VI. *v*.

In pectoris tandem, & pericardii cavitate colluviei ſeroſæ, inodoræ, minime acris ſatis magna copia continebatur. Cæterum omnia ſana erant; nullum vitium in coſtis, nullumque in vertebris, accurate licet facta fuerit indagatio, reperiri potuerunt.

Ex tradita hactenus hujuſce affectionis hiſtoria rationi conſonum eſt ſtatuere, illud a ſterni inprimis intropreſſione, nata inde pectoris cavi anguſtatione, ac inſtitutis ſimul niſibus juſto majoribus diuque protractis exordium ſuum ſumpſiſſe: quum certum enim ſit, mammas fœminæ præ reliqua corporis ſuperficie longe ſenſiliores eſſe, neque proinde credibile ſit, ab iis (valde licet in ægra noſtra exiguis) remulci appreſſionem tam facile tolerari potuiſſe, veroſimile, inquam, eſt, hunc corpori ita fuiſſe circumdatum, ut is infra mammas, ſive inter eas ſitus, trajecta nimirum ſuper humerum dextrum tali modo ejuſdem anſa, ut binas inter mammas juxta latus ſiniſtrum extremitas ejus altera redeat, altera vero ſupra ſcapulas vel viceverſa continuetur, mobiliorem ſterni partem interiora verſus adegerit (ut ſolito planior oſſis ſterni figura optime comprobavit), atque ſpatium arcum Aortæ inter & ipſum ſternum coarctaverit, quibus ut primaria cauſſa accedit, quod, dum continuo niſus ingentes inſtituere cogeretur ægra, pulmones ob intenſiores aëris inſpirationes, ejusque retentiones nimis diuturnas magnopere expanſi in qualibet exſpiratione diaphragma admodum depulerint, cujus itaque fibræ contractæ multum conſtringere potuerunt, quæ inter capita ejus decurrit, Aortam arteriam, quo demum fieri debuit, ut oppoſita hæc ſanguini retro advenienti reſiſtentia ſuperiorem hujus arteriæ partem ad diſtenſionem magnam coëgerit, & continuo reiterata ſaccum aneuryſmaticum formaverit. Nec difficilius explicatur, quî factum fuerit, ut in principio potius, quam in Aortæ progreſſu Aneuryſma hoc contigerit. Ponamus v. g., ob modo exhibitam rationem, eo, quo Aorta inter capita diaphragmatis decurrit, loco, ſanguini retro appellenti reſiſtentiam naſci, mox ſanguine itaque illo minus facile perennanti Aorta diſtendetur, magis vero ad curvaturam uſque, quam in deſcendente ejus parte, quum cor, continuo reſiſtentiam hanc vincere tentans, magna vi ſanguinem ſuum in Aortam projicit, cujus impetus vigor validiſſimus in Aortæ principio ſuffocabatur fere, quum verſus regurgitantem ſanguinis columnam impetuoſius impelleretur. Facto igitur in Aortæ principio Aneuryſmate,

increſcens ejuſdem ſaccus, verſus anteriora potius, a parte nimirum poſteriore obſtante vertebrarum columna, protuberare, &, imminuto ſpatio Aortam adſcendentem inter & ipſum ſternum, eo citius illud attingere, atterere, & eo, quem ſupra propoſui, modo excavare debuit. Symptomata vero, quæ per totum hujus morbi decurſum ſeſe obtulerunt, paſſim jam (in Sect. IV. §. XIII.), prolixius vero (ad hujus Sect. §. XXXII.) enumeravi, atque explicui, ut utique crambem recoquerem, ſi ea hîc ſingulatim repetere vellem: cuilibet enim perſpicuum puto, a turbato hoc ſanguinis curriculo pleraque ſymptomata facile derivari poſſe. Quis enim ob impeditum ſanguinis per pulmones trajectum liberiorem, tuſſim, &, ob dictam rationem ac prohibitam exinde ſanguinis verſus encephalum appulſionem, ſyncopen momentaneam natas fuiſſe inficias iverit? Neque ab Aortæ cum vertebris connexione, in ſaccum aneuryſmaticum irruente, eumque diſtendente ſanguine, & nervis vicinis in conſenſum abreptis, dolores illos ſcapularum, ac vertebrarum inprimis ad interiorem Aneuryſmatis partem determinatos, repetendos eſſe, facile quis dubitaverit.

T A N T U M.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

ANEURYSMATE VERO PECTORIS EXTERNO *HEMIPLEGIÆ SOBOLE*,

QUAM

PRO GRADU DOCTORIS

BASILEÆ AD DIEM XVIII. AUGUSTI MDCCL.

PUBLICÆ DISCEPTATIONI PROPONIT

JOH. JACOBUS WELTINUS,

Foro - Tiberienſis,

AUCTOR.

HISTORIA MORBI.

Virum ruſticum 45 annorum ætatis, Jaçobum Jæger, Breitenbacenſem, *ex ditione Helveticorum Solodurenſi, alias ſanum, vegetumque, iter forte facientem, inopinato hemiplecticus prehendit inſultus; in quo amiſſis ſenſibus, loquela, nec non motu, & pedis, & manus dextræ, voluntario privatus, oculos tamen apertos, os vero quam vehementiſſime clauſum oſtendit, immo in latere ſiniſtro, aliquales apparuere motus convulſivi, poſtliminio tamen omnium functionum compos redditus, in præſentiarum tam in manu, quam in pede, & ſenſus & motus facultate ſatis pollet. Verumtamen poſt paucos, a paroxyſmo hemiplectico interjectos dies, ſine ulla alia cauſa violenta prægreſſa, enatus eſt tumor jam deſcribendus. Intumeſcentia ſc. admodum notabilis occupat locum, 3 aut 4 digitos tranſverſos infra claviculam ſitum, circa quartam circiter coſtam veram, immediate ſub integumentis, & ſupra muſculum pectoralem majorem ſiniſtri lateris occurrens, tribus quaſi tuberculis conſtans; quorum primum ſtatim a latere ſiniſtro ſterni, parte ejus media, mole nucis juglandis circiter, figura prope globoſa, cuti concolor, & preſſioni cedens adparet, cum pulſu vehementiſſimo, & ad preſſionem digiti graviter invaleſcente, cum arteriæ in carpo aliarumque pulſu, ſynchrono. 2^{dum} magnitudine primum aliquanto ſuperans, figura globum quaſi compreſſum æmulatur, & ſpatio unius prope digiti ab illo remotum, magis verſus exteriora occurrit, cum pulſu æque violento, & cæteris arteriis plane ſynchrono. 3^{tium} dimidio minus præcedentibus, ad coſtam tertiam veram ſedet, paulo ſupra tuberculum primum, ad marginem quoque*

ſiniſtrum ſterni, haud longe ab articulatione claviculæ cum ſterno diſtans, quoad pulſum prioribus haud abſimile. Spatium tribus his tuberculis interjectum paulo eſt depreſſius, digito injecto æque cedens, & fortiſſime pulſans. Si unum, aut plura horum, manu vel digitis adplicatis comprimantur, vir dolorem cum moleſta anxietate, & fortiore accedente preſſione, fere intolerabili, ac imminente lipothymia percipit, præſertim ſi ſupra tumorem, & ex oppoſita dorſi parte, manu injecta, utrinque preſſio adhibeatur. Situm ſupinum non facile tolerat, in latere ſiniſtro, qua parte tumor eſt, non ſine moleſtia, in dextro autem, paulo commodius decumbit. Celeriter motus, aut per loca acclivia adſcendens, cordis palpitationem & dyſpnœam notabilem patitur. Cæterum aliqua capitis vertigine, & linguæ balbutie, inde ab hemiplegiæ inſultu relicta, laborat: ac facie, habituque corporis, cachecticæ labis ſpeciem præ ſe ferre videtur.

ANALYSIS PATHOLOGICA.

§. I.

Ut pleraque morborum nomina a Græcis manarunt, ſic Aneuryſma, Ανεύρυσμα, ejuſdem originis vox, ex ἀνὰ retro, rurſum, & ἐυρύνω, dilato, compoſita, idem ſonare videtur, quod apud Latinos, *arteriæ dilatatio, vel tumor ex arteriæ dilatatione cauſam trahens* (*a*). Minus eorum etymologia ſe probat, qui ἀνεύρυσμα ἀπὼ τȣ̃ νεύρȣ, & a privativo derivantes, per *enervationem* interpretantur: ſiquidem enervatio potius debilitatem circa tendines & nervos, quam vitium arteriæ, deſignare ſolet (*b*).

§. II.

Galeno ἀνεύρυσμα dicitur, arteriæ dilatatio, quæ fit ore in arteria ex vulnere facto, quod nec mature obductum, conglutinatum, aut carne contectum fuit (*c*). Item ἀνευρυσμὸς, dilatatio, quæ reſeratis arteriis fit, cute integra, ac conglutinata (*d*). Eſt & ἀνεύρυσμα, φλεβώδȣς ἀγγείȣ ἀνευρυσμὸς, ἢ πνευματικῆς ὕλης ἀνασπυρὰ ὑπὸ τῆς σαρκὸς κατὰ διαπήδησιν ἀναδιδομένης: hoc eſt, venoſi vaſis dilatatio, aut ſpirituoſæ materiæ per ſubſultum diſtributæ, ſub carnem diſperſio (*e*). Gorræo Aneuryſma definitur, tumor tactu blandus, cedensque digitis, a ſanguine & ſpiritu, ab arteria, aut vena, profuſis, exci-

(*a*) Vid. Gorr. Def. Med.
(*b*) Vid. Steph. Blancardi Lex. Med.
(*c*) Lib. De Tum. p. n. p. 356. 27.
(*d*) Vid. Rob. Steph. Theſ. Ling. latin. ed. Baſ.
(*e*) Auth. Def. Med. p. 400. 43. Æginet. L. VI. 37. Foes. Œcon. Hipp. p. 59.

tatus (*a*). Jonstono, tumor ab arteriæ tunicæ interioris apertione, exterioris dilatatione, exortus (*b*). Barbette, tumor p. n. continuo pulſans, digitis facile cedens, at iterum illico ſe extendens, ab arteriarum interioris tunicæ ruptura, & exterioris dilatatione (*c*). Mihi Aneuryſma dicitur tumor, ex dilatata, vel quocunque modo diſſoluta arteria, ortus, ſanguine turgidus, variæ magnitudinis, diverſique coloris. Pulſum non addo, quia non eſt perpetuum & inſeparabile phœnomenon, quod in omni Aneuryſmate ſemper occurrat: nam in ſpurio vix unquam pulſus deprehenditur, & in vero, ſi ſanguis, ut ſæpe fit, in eo coaguletur, aut hic tumor callum contrahat, tunc nulla amplius percipitur pulſatio; ut obſervationum monumenta ſatis ſuperque teſtantur (*d*).

§. III.

Aneuryſma dividitur in verum, & ſpurium: quorum prius definitur per dilatationem arteriæ naturali majorem, ita ut vi ſuâ elaſticâ ad naturalem ſeſe conſtringere amplitudinem impotens, præter ſolitum extenſa maneat modum, & ſic tumorem mentiatur, plus minusve magnum, plus minusve, aut plane non pro ratione magnitudinis & durationis pulſantem, plerumque ejuſdem cum cute coloris. Hinc videmus, non poſſe accuratam Aneuryſmatis veri molem determinari, ſicut quidam aſſerere voluere, nunquam caſtaneæ magnitudinem excedere (*e*); dum obſervationes plurimæ contrarium teſtantur. Poſterius vero, quod veteribus ἐκχύμωσις dicitur (*f*), tum demum exſurgit, quando ſanguis ex arteria, ſive per anaſtomoſin, ſive diapedeſin, ſive diæreſin, aut quocunque alio modo, in ſua continuitate ſoluta, effuſus in ſpatia cellularia, ſub cute ſtagnat, ibique collectus, tumorem, pro diverſo ſtatu ſanguinis quieſcentis, varie coloratum, vix aut penitus non pulſantem excitat. Ab hac definitione non longe recedit Galeni deſcriptio Aneuryſmatis, ita ſe habens: arteriæ autem apertæ affectus Aneuryſma

(*a*) Def. Med. p. 36.
(*b*) Syntagma Med. p. 548.
(*c*) Chirurg. p. II, L. I, C. 16.
(*d*) Vid. Fr. Ruysch. Obſervat. anat. Chir. XXXIX.
(*e*) Vid. Gouey. Chirurg. p. 231.
(*f*) Galen. Meth. Med. L. IV, cap. I.

vocatur, fit autem, quum illa vulnerata, ad cicatricem quidem circumpoſita pervenit cutis, manet tamen vulnus arteriæ, nec coëuntis, nec cicatrice obductæ, nec carne obturatæ (*a*). Ex quo intelligitur, Aneuryſma verum poſſe haud difficulter in ſpurium abire, quando aut ab impetu ſanguinis, arteria ſenſim ſenſimque ita extenditur, ut partes ejus nimis tandem a ſe invicem remotæ, immediato contactu, & hinc cohæſione deſtituantur, aut ſanguis ſtagnans tantam adquirit acrimoniam, ut vaſis ſubſtantiam arrodens, ſibi ipſi effluxum paret. Inſuper Aneuryſma dividitur in externum, & internum: hoc in vaſis, viſcera, partesque in ventribus deliteſcentes, adeuntibus occurrit (*b*): illud vero in arteriis verſus partes externas, & inprimis ſub cute ſitis, deprehenditur. Plures diſtinctiones hinc inde in autoribus chirurgicis occurrentes, de induſtria omittimus.

§. IV.

Ex his præmiſſis non difficile erit determinare, qualis denominatio tumori in caſu noſtro obvio competat: ſi enim omnes notæ characteriſticæ, in definitione Aneuryſmatis veri recenſitæ, examinentur, omnes tumori noſtro accurate convenire, patebit; immo pulſus cum arteriis cæteris ſynchronus, omnem tollit dubitationem. Etſi enim talis pulſatio non in quolibet deprehendatur, tamen ubi occurrit, manifeſte Aneuryſma verum indicat. In ſpurio enim, quanquam interdum quoque adpareat pulſus, tamen nunquam adeo regularis invenitur: hinc jure intumeſcentiam hanc, Aneuryſma verum vocare licebit. Ideoque diutius huic quæſtioni non immorabor, potius arteriam, ſive locum Aneuryſmatis noſtri, quoad licebit, oſtendere, dein ejus differentiam ab aliis tumoribus, diagnoſin, ætiologiam, ſymptomatologiam, prognoſin, & curationem, expedire conabor.

§. V.

Immediatè ex definitione Aneuryſmatis ſequitur, in nulla corporis parte tale obſervari, niſi in arteria quadam ſanguifera. Idem ergo tumori noſtro erit adplicandum, & cum non minus in prognoſi,

(*a*) De Tum. præter naturam, cap. XI.
(*b*) PARÆUS L. VII, cap. 32. LANCISIUS de Cord. & Aneur.

quam curatione, haud parum interſit, partem affectam noſſe, non inutile fore arbitror, heic, quantum poſſibile, indagare, qualis arteria ſit læſa.

§. VI.

Muſculus primus brachium moventium Vesalii, ſive pectoralis major, qui anteriorem thoracis partem fere totus obtegit, ita ut a clavicula ad primam, interdum ſecundam coſtam ſpuriam, & ab oſſe ſterni ad os humeri uſque extenſus deprehendatur (*a*), varios ex diverſis tunicis accipit ramos arterioſos: primò quidem ex intercoſtali ſuperiori (*b*), qui ramus modo ex aorta deſcendente, modo ex ſubclavia, rarius ex cervicali arteria natus, immo interdum ex arteria bronchiali proveniens, ad duo, tria intervalla coſtarum ſuperiorum diſtribuitur, & ad muſculum pectoralem majorem, minorem, nec non ad involucra medullæ ſpinalis, plures alios ſurculos emittit (*c*). Secundò arteriæ intercoſtales inferiores, quæ ex trunco deſcendente aortæ exeunt, per paria ad angulos pleræque rectos (*d*), ad coſtarum oram inferiorem ingrediuntur, & inter duo ſtrata intercoſtalium muſculorum, ad anteriores uſque cartilagineos coſtarum fines pergunt, ibi cum mammariarum internarum ſurculis conjunctæ obſervantur (*e*): princeps cujusque ramus ex media coſtæ ſede, ad exteriores coſtis incumbentes muſculos penetrat (*f*): cæterum ſemper anaſtomoſes ſubeunt, cum arteriis intercoſtalibus ſuperioribus. Tertiò mammaria interna, ex arteria ſubclavia orta, deſcendit ad latus ſterni, emittens plurimos ramos ad muſculos intercoſtales, pleuram &c. proſpicit quoque muſculo pectorali majori, in cujus media parte variis anaſtomoſibus cum arteria mammaria externa, cæterisque arteriis intercoſtalibus conjungitur (*g*). Tandem mammaria externa, ſeu thoracica ſuperior, arteriæ axillaris ſoboles, verſus inferiora procedens, in varios diſtribuitur muſ-

---

(*a*) Anat. Winslow. p. II, §. 183.
(*b*) Hanc arteriam negat Garengeotius, Splanch. p. 347. ſed abundè confirmant obſervationes Halleri & Winslowi.
(*c*) Anat. Winslowi p. III, §. 107 & ſeq.
(*d*) Vid. Eustach. Tab. XXVI.
(*e*) Ruysch. Epiſt. II, T. II, fig. 3.
(*f*) Eustach. Tab. XXIV.
(*g*) Anatom. Winsl. p. III, §. 90.

culos, inter quos etiam pectoralis major, & minor, referendi. Et hæc ſunt vaſa arterioſa, quæ ad muſculum pectoralem majorem abeunt.

§. VII.

Nunc accurate demonſtrandum eſſet, in quonam horum ramorum Aneuryſma noſtrum ſedem habeat: ſed cum per §. VI plurimæ arteriæ in hoc muſculo ſibi invicem per anaſtomoſes committantur, & in ægro ſuperſtite non liceat ſectionem inſtituere, fere impoſſibile videtur, exacte ramum determinare; probabilitate igitur contenti, exiſtimamus, ramum ex intercoſtalibus inferioribus prodeuntem alere: primò enim phœnomnna in hiſtoria morbi recenſita, anxietas ſc. & animi deliquium, ad preſſionem paulo fortiorem, aut diutius durantem, adparentia, de proxima tumoris, cum viſceribus vitalibus, vaſisque majoribus, communicatione teſtantur. Quia vero arteriæ intercoſtales inferiores ſemper ex aorta proveniunt, hinc iis quoque propior cum viſceribus vitalibus nexus intercedit, quam intercoſtalibus ſuperioribus, quæ plerumque ex arteria ſubclavia, aut mammariis externis, vel internis, quæ ſemper ex arteria ſubclavia & axillari (§. VI) naſcuntur. Secundò decurſus arteriarum harum idem evincere videtur, ſiquidem a poſterioribus ad anteriora decurrentes, (§. VI) emittunt ramos, qui ad angulum rectum, ſive acutum, ex trunco, ſicut plerique in machina noſtra rami, egredientes, a poſterioribus quoque ad anteriora per muſculum diſtribuuntur; Aneuryſma vero in ramo ita decurrente latere, ejus conditio indicat: tuberculum enim ſecundum ad exteriora ſitum, magnitudine ſuperat primum, quod magis verſus interiora, & tertium, quod ad interiora & ſuperiora occurrit; quia vero omnia tubercula in eodem ramo obſervantur, neceſſario maximum ad ejus baſin, cætera minora potius ad apicem ſita erunt. Hinc videmus, ramum in noſtro caſu quoque ab exterioribus ad interiora, ſive a poſterioribus ad anteriora progredi debere; & cum rami ex intercoſtalibus inferioribus nati, talem decurſum teneant, vix dubium eſt, quin talis in Aneuryſma degeneraverit.

§. VIII.

Inquirendum nunc, per quænam ſigna Aneuryſma verum, ab aliis tumoribus diſtinguatur. A varice differt in eo, quod hæc ſit

tumor venæ ſanguiferæ, in quo rariſſime obſervatur pulſus: nec tumor preſſus adeo facile evaneſcit, idemque magis adparet nodoſus & nigricans: quin etiam LOMMIO teſtante, varici magis crura, quam cæteræ partes patent, maximeque in fœminis, quæ utero gerunt, & in his, quibus ſoluta hæmorrhois, aut curata quartana eſt (*a*). Etſi CELSO teſte, & in capite, & in ventre, venulæ poſſint fieri varicoſæ (*b*). Ab œdemate haud difficulter dignoſcitur, dum hic tumor deprehenditur mollis, non renitens, qui preſſus digitorum veſtigia aliquamdiu retinet: cum e contrario Aneuryſma verum, multum reſiſtat, & preſſum cedat quidem, ſed illico iterum reſtituatur. A tumore inflammatorio his notis diſcernitur: 1.° hic tumor preſſioni cum digitis, aut manu factæ, non facile cedit, aut totus evaneſcit, ſed potius valide renititur. 2.° Tumor vehementer compreſſus, vix tolerandum excitat dolorem, dum Aneuryſma verum, a partibus vitalibus remotum, accedente preſſione, parum creat incommodi, & prope ad vitalia ſitum, magis anxietatem, quam ſenſum dolorificum poſt ſe trahit. 3.° Hujusmodi tumor ſemper rubro colore ornatus eſt, dum Aneuryſma plerumque eundem cum cute colorem oſtendit. 4.° Tumor inflammatorius niſi reſolvatur, intra paucos dies in ſuppurationem, gangrænam, aut ſphacelum abit, Aneuryſma vero diu ſatis ſine his accedentibus poteſt tolerari. Quæ ſi quis omnia rite perpendit, facili opera tumorem inflammatorium ab aneuryſmatico dignoſcet; quod eo magis neceſſarium videtur, quia maxima mala, immo mors ipſa conſecuta legitur, ex eo, quod Aneuryſma verum pro tumore inflammatorio habitum, ſiniſtre fuit curatum: quale exemplum recenſet Cl. SCHENCKIUS, ubi Chirurgus haud adeo peritus, Aneuryſmati vero, nucis juglandis magnitudine, ad dearticulationem cum humero ſito, exiſtimans, eſſe tumorem inflammatorium, eſcharoticum adplicuit, quo apertum, tantam ſanguinis copiam fundebat, ut homo cito ſatis animam cum ſanguine redderet (*c*). A tumoribus cyſticis diſtinguitur in eo, quod hi naſcantur ex obſtructionibus, vel in glandulis, vel in pinguedine, tum omni deſtituantur pulſatione, & preſſi pro varietate materiæ contentæ, cedant quidem plus minusve;

(*a*) Vid. JODOCI LOMMII Obſ. Med. L. II, p. 280.
(*b*) De Med. L. VII, cap. XXXI.
(*c*) Obſervat. Lib. V, obſ. 5.

ſed non in totum evaneſcant : in Aneuryſmate autem omnia ſecus ſe habere, ex ſuperioribus abunde liquet. Tandem qualis intercedat differentia inter Aneuryſma verum & ſpurium, ex §. III ſufficienter patet.

§. IX.

Inde diagnoſis Aneuryſmatis veri haud erit difficilis (*a*) : ſi enim in quacunque corporis parte adparet tumor cuti concolor, ad rotundam accedens figuram, qui leni adhibita preſſione cedens, aut evaneſcit, aut plurimum minuitur, mox vero ceſſante preſſione, ad priſtinam redit magnitudinem, arteriarum more pulſans, ut cum cæteris arteriis pulſus ſit ſynchronus, cui cauſæ inferius recenſendæ prægreſſæ fuerint, jure concludere licet, adeſſe Aneuryſma verum, ſed potius recens, quam inveteratum. In adulto enim, ubi latera ſæpe obſervantur calloſa, nullus deprehenditur pulſus, ſiquidem tunicæ arteriarum calloſæ, validiſſime reſiſtentes, nullam admittunt ab impetu ſanguinis expanſionem, qua deficiente, nulla fit contractio, hinc nullus pulſus. Idem quoque contingere debet, ſi in Aneuryſmate adulto, tunica muſculoſa longe ultra tonum eſt expanſa : tunc etſi accedente extenſione, nulla fit ob debilitatas fibras muſculares contractio, inde nullus pulſus. Sæpe etiam inveteratum, non retinet eundem cum cute colorem, utpote qua ſenſim aut eroſa, aut per diſtractionem attenuata, color conſpicitur ruber. Unde patet, partim ſigna ſupra memorata, non in omni deprehendi Aneuryſmate vero, partim tale, cui ſigna hæc non poſſunt adplicari, difficillimum eſſe cognitu; niſi forte cauſis prægreſſis ex ægro intellectis, ſuſpicio de Aneuryſmate naſcatur, aut ſtatus tumoris prægreſſus ab ægroto accurate obſervatus, ac poſtea Medico aut Chirurgo fideliter deſcriptus, præſentis Aneuryſmatis fidem fecerit. Hæc tamen omnia tantummodo de Aneuryſmate externo valent, quomodo enim, & per quænam ſigna internum pateſiat, non eſt hujus loci inquirere.

(*a*) Ex Galeni ſententia dignoſcuntur hujuſmodi affectus, pulſibus, quos edunt arteriæ; ſed & quum comprimuntur, tumor omnis deliteſcit, ſubſtantia, quæ ipſum efficit, in arterias recurrente, quam alibi oſtendimus, tenuem eſſe, & flavum quendam ſanguinem, tenui & copioſo ſpiritui permixtum, hic vero ſanguis longe calidior eſt illo, qui in venis continetur, & vulnerato Aneuryſmate erumpit, ut vix ſiſti poſſit.

§. X.

Cauſa Aneuryſmatis veri proxima conſiſtit in ipſa dilatatione arteriæ naturali majore: hac enim ablata, ipſe morbus ceſſat. Scimus enim, omnem arteriam deprehendi in ſtatu ſano ad ſenſum conoideam: in Aneuryſmate vero autem, ubi ſemper obſervatur tumor, a tali figura recedens, neceſſario dilatationem prægreſſam eſſe oportet. Nos quidem non latet, dari, qui exiſtiment, Aneuryſma tam verum, quam ſpurium, ab arteriæ apertura provenire: differentia in eo poſita, quod in ſpurio major ſit apertura, ut ſanguis in tunicam celluloſam effuſus, ibi ſymptomata Aneuryſmatis excitet ſpurii, dum in vero apertura ſit minima, ut ſanguis nonniſi guttatim effluens, itinere videl. intercluſus, (inprimis in brachio, ubi arteria dura coërcetur aponeuroſi) inſita indole grumum efficiat, qui brevi ſolidus factus, arteriæ adhærens, novo ſanguine ſemper accedente, ſenſim augeatur, hinc Aneuryſma verum producat (*a*). Ad hoc reſpondemus: 1.° ex hiſce ſequi, Aneuryſmata tantum in brachio obvia, ab hac cauſa provenire; dum in nulla alia corporis parte arteria ita munitur, ut hinc guttatim effluens ſanguis itinere intercludatur; nullibi ergo erit ratio ſufficiens, cur non æque, ac in Aneuryſmate ſpurio in celluloſum ſpatium ad inſtar guttarum profluat, quia ſemper gutta præcedens, ab inſequente pellitur. 2.° Exiſtimamus, quod ſi in arteria tanta eſſet apertura, ut ſanguis in forma guttarum penetrare poſſet, cito ſatis ab impetu ſanguinis, arteriam continuo plenam, ſub qualibet cordis ſyſtole diſtendentis, tam magnum oriretur oſtium, ut ſanguis tandem ſine multa reſiſtentia profuſus, brevi ſpatio Aneuryſma produceret ſpurium. Hoc autem non adeo facile evenire, experientia docet. 3.° Ex ſola relaxatione, ſive reſolutione aponeuroſis arteriam inveſtientis, ſine læſione vaſis, Aneuryſmata oriri poſſe vera, autores quidam ſibi rite, & haud ſine ratione perſuadent (*b*). 4.° Contrarium adparet ex eo, quod Cel. Ruysch Aneuryſma verum, ex prægreſſa venæ ſectione, a dilatata arteria ortum, in brachio ipſo obſervaverit. Ita enim ſcribit: ægrotus alias ſatis

(*a*) Vid. Quæſtionem Med. Chirurg. an tutior faciliorque, cognita, detur Aneuryſmatis Chirurgica curatio: propoſita a Francisco Thieri Med. Pontimuſſano, Facult. Med. Pariſienſ. Baccalaur. 1750. Pariſiis.

(*b*) Vid. Zach. Platner. Inſt. Chirurg. §. 425.

ſatis generoſus, inciſionem diſtulit, præferens levem tumoris compreſſionem, donec poſt diem unum atque alterum ſua ſponte erumperet dilatata arteria, utpote nuda, & nulla cute tecta (*a*). Unde videmus, RUYSCHIUM non potuiſſe falli, dum arteria adparente nuda, facile erat diſtinguere, an tantum dilatata, an potius rupta fuerit.

§. XI.

Sententiam ſuam ulterius ſtabilire conatur, argumentis ab arteriæ ſtructura deſumtis, ita ſcribens: Si enim cauſarum efficacia, tunicæ tantum exteriores arteriæ, quæ cellulares ſunt, lædantur, alteram, quæ muſcularis, aut tendinea eſt, omnium robuſtiſſimam, dilatatum iri, credere abſonum eſt: hanc ſi porro etiam lædi ſupponas, tertia intima, quæ debilis eſt, impetui ſanguinis ſuſtinendo ſola multum impar, brevi diſſiliet. Quod ſi vero intimam tantum lædi ſtatuatur, diſtractis alterius tunicæ fibris muſcularibus, veroſimilius liquidum vitale in celluloſum tenue textum, quo illæ inter ſe vinciuntur, ſeſe inſinuans, ad celluloſas exteriores uſque exſudabit. Hîc notandum, autorem ſibi vel quodammodo contradicere, vel tamen aliquid aſſumere, quod ex ſtructura anatomica partis non fluit: in genere enim omnibus tunicis reſiſtentia eſt tribuenda, ideoque unica tantum læſa, decedit aliquid de reſiſtentia totius vaſis, faciliusque hinc dilatationem admittet. Dein autor ſupponit, ſolutis tantum exterioribus tunicis, muſcularem minime dilatari, aut alio modo præternaturaliter adfici, ſed potius ſanguinis impetum facile ſuſtinere, dum contra læſa intima, quæ non majori ac exteriores gaudet reſiſtentia, muſculares fibras ab impetu ſolvi, & aperturam oriri: unde adparet, eum mox tunicæ muſculoſæ renitentiam adſcribere ſufficientem, mox illi talem denegare. Dein tunicam intimam, quam omnes autores tenuem, membranaceam, & ipſe debilem vocat, tanquam ſat reſiſtentem admittit, quia hac violata ſtatuit, fibras muſculares impares eſſe, impetui ſanguinis ferendo. Tunicis vero exterioribus, quæ etſi cellulares, tamen ſunt denſæ, ſolidæ, & villo ſtipato conſtantes (*b*), nullam concedit reſiſtentiam, cum his læſis, tunicam muſcularem haud difficulter impetum, abſque dilatatione aut ruptura

(*a*) Obſervat. anatom. Chir. II, p. 6.
(*b*) HALLERI prim. lin. phyſiolog. §. XXVIII.

aſſerit ſuſtinere. Ex quibus patet, autorem ſibi minus conſtare. Hiſce accedunt obſervationes, quibus evincitur, tunicas tantam admittere extenſionem, abſque inſequente ruptura, ut vix chartæ tenuitatem ſuperent. Sic Cel. VAN SWIETEN a contuſione prægreſſa, Aneuryſma verum, in pectore dextro ſub clavicula ortum, deprehendit, in cadavere enim arteriam ſubclaviam dextram in ſaccum ingentem dilatatam vidit, ita ut Aneuryſmatis hujus membrana ad chartæ tenuitatem accederet, & per illam pellucidam ſanguis contentus conſpici poſſet, qui levi vulnere inflicto, ad ingentem copiam erupit (*a*).

§. XII.

Tandem addit ultimum argumentum: nimirum hac in re fuiſſe errori locum; quippe factitias, vel cellulares quaſcunque membranas, denſas, duras, ſanguine concreto, fluidove diſtentas, pro veris arteriæ tunicis promtum eſſe accipere, cum tamen diligentiori examine, in mediis his celluloſis, arteria ſauciata, non dilatata reperiatur: hæc autem a vero abeſſe, iterum obſervationes probant, nam etſi in ſacco aneuryſmatico membranæ ſæpe craſſiſſimæ deprehendantur, dum ſanguis grumoſus cum tunica ipſius concreſcit, extima tamen tunica non obſervatur ſauciata: Sic RUYSCHIUS deſcribit Aneuryſma, quod ex innumerabilibus craſſis, carnoſis & ſatis tenacibus, ſibi invicem impoſitis tunicis conflatum erat, inter quas ſanguis copioſus & coagulatus deliteſcebat: quas tamen non pro tunicis arteriæ propriis venditat, ſed ſtatim adnectit, harum extimam, quæ proprie arteria aorta erat, ſtraminis habuiſſe latitudinem (*b*). Ex quibus omnibus abunde elucet, argumenta a ſupra citato autore allata, nondum evincere, quod Aneuryſma verum ſæpius a ruptura vaſis naſcatur. Ideoque jure cum plerisque autoribus contendimus, dilatationem arteriæ præternaturalem, pro cauſa Aneuryſmatis veri proxima habendam eſſe.

§. XIII.

Proegumenam Aneuryſmatis veri cauſam, conſtituit minor arteriæ reſiſtentia, quam in ſtatu ſano, ſive a læſione tunicarum, ſive ab aucto ſanguinis impetu, oriunda. Arterias enim reſiſtere, nemo erit,

(*a*) Comment. in Aphoriſ. BOERH. §. 176, p. 288.
(*b*) Obſervat. anat. Chirurg. XXXVIII.

qui dubitat, immo majores arteriæ vix ulla vi aqua injecta poſſunt diſtendi. Hæc vero reſiſtentia dependet a firmitudine tunicarum, ex quibus fabrefactæ ſunt, quas omnes renitentia gaudere vix negari poteſt, pro ratione tamen majoris vel minoris ſoliditatis, hæc enim, tanquam proprietas, unicuique corpori communis, poterit etiam ſingulis arteriarum tunicis tribui. Tunicæ vero ita renitentes, partim impediunt, ne arteria ab injecto vi cordis ſanguine dilatata, nimis expandatur, partim quoque, vi ſua elaſtica ſe conſtringendo, in priſtinum reſtituunt arteriam ſtatum. Hinc ſi ſupponimus, ſanguinem eodem ac in ſtatu ſano impetu, per arterias ferri, reſiſtentiam vero, ſive robur tunicarum, aut per nimiam diſtractionem, aut per ſolutionem unius alteriusve tunicæ, aut alio quocunque modo, eſſe imminutam, tunc in tali caſu neceſſario reſiſtentia tanto minor erit, quanto nunc robur tunicarum cedit firmitudini earum in ſtatu naturali. Quum autem ex ſuperioribus pateat, quod per reſiſtentiam arteriæ nimia ejus dilatatio prohibeatur; ſine dubio heic, multo minori, quam in ſtatu ſano, inſtructa reſiſtentia, præternaturalem quoque admittet dilatationem, & cum imminuto robore tunicarum, elaſticitati aliquid decedat, non ad naturalem, ſicut in ſtatu ſano, contrahitur amplitudinem, hinc extenſa manebit: & quia Aneuryſma verum, conſiſtit in expanſione arteriæ præternaturali, per §. X. ſequitur imminutam arteriæ per læſionem tunicarum reſiſtentiam, tanquam cauſam proegumenam Aneuryſmatis eſſe conſiderandam. Arteriæ reſiſtentia vero, non ſolum minuitur a debilitatis, aut quocunque modo læſis tunicis, ſed & ab aucto multum ſanguinis impetu. Axioma enim eſt, capacitatem vaſis naſci in compoſita ratione, ex facultatibus diſtendentibus directis, & facultatibus contrahentibus inverſis. Quando impetus diſtendens duplo major ſit, & vas duplo magis reſiſtit, diameter non immutabitur: ſi vero impetus augeatur, & reſiſtentia maneat eadem, neceſſario major excitabitur canalis dilatatio: ſi proin talis impetus, aut diutius duret, ita ut arteria ſenſim ultra tonum expanſa, non amplius contrahatur: aut tantus ſit, ut vas ſtatim nimis extenſum, & in tumorem elatum adpareat, exſurget Aneuryſma verum. Unde patet, cur ſæpe ex morbis acutis, augmento velocitatis, & copia humorum in plethoricis, Aneuryſmata obſerventur (*a*).

(*a*) Van Swieten comment. loco ſupra citat. p. 292.

§. XIV.

Explicandum ſequitur, quomodo inſultus hemiplecticus, efficiundo aut nimiam tunicarum debilitationem, aut intendendo impetum ſanguinis, potuerit, tanquam cauſa procatarctica interna, Aneuryſma verum excitare. Nulli enim dubitamus, huic tanquam cauſæ prægreſſæ Aneuryſma, ut effectum adſcribere; ſiquidem æger ante hunc inſultum pancratice vivens, nunquam ne minimum quidem incommodi in hoc loco percepit, & ſtatim poſtea, ſine alia cauſa violenta externa prægreſſa, quantum ex ipſo ægro, ejusque uxore, accurata ſciſcitatione reſcire potui, tumor adparuit, adeo ut nil obſtare videatur, quominus hic tumor, pro effectu & ſobole, hemiplegiæ convulſivæ prægreſſæ, habeatur. Niſi quis forte ſtatuere velit, eodem fere tempore, ex ſuis cauſis, vel iisdem, vel diſtinctis, utramque ægritudinem natam eſſe.

§. XV.

Antequam vero poſſit determinari, qua ratione hemiplegia potuerit producere Aneuryſma, paucis præmittenda hujus morbi hiſtoria, quo dein ex cognita ejus natura, melius hæc geneſis intelligatur. Hemiplegia, vel prægreſſam apoplexiam ſequens, vel ſola accedens, eſt paralyſis unius tantum lateris, ita ut in ſano latere varii interdum motus convulſivi, orisque non raro canina conſpiciatur tortura (*a*). Cauſa proxima hujus ægritudinis, ſecundum pleroſque autores recentiores, conſiſtit in impedito, aut plane abolito influxu liquidi nervei, in latus ægrum, ſive a compreſſione nervorum, ſive eroſione, aut alia quacunque læſione proveniente; dum e contrario ſpiritus animales impetuoſius in ſanum ferantur latus, quod ex motibus convulſivis clare cognoſci poteſt. An vero cauſa in latere affecto, an in oppoſito ſano lateat, nolumus hîc exponere, remittimus potius B. L. ad obſervationes Cl. MORGAGNI (*b*), & ad exprimenta Cl. VALSALVÆ (*c*).

§. XVI.

Cum itaque obſervationes doceant, latus ſanum ſæpe motibus convulſivis vexari, tales etiam in noſtro ægroto adparuerint, nemo

(*a*) FRID. HOFFM. med. ſyſt. rat. p. V. C. I. §. IX.
(*b*) Adverſar. obſ. VI, p. 108 & ſeq.
(*c*) De Aure humana p. 85, cap. V.

facile dubitabit, iis vaſa fuiſſe debilitata, convulſio enim dicitur, violenta, invita, atque alterne repetens muſculi contractio & relaxatio; itaque in muſculo contracto, omnes fibræ liquido nerveo turgent, idque eo magis, quo validior contractio fuerit, fibræ hinc ita turgidæ, majus occupabunt ſpatium, vaſa ſic ſanguiveha comprimentes, cruorem ex illis expellent, quod manifeſtum ex eo, quia muſculus contractus palleſcit, & ſemper eo pallidior fit, quo magis durus & contractus obſervatur. Arteriæ hinc compreſſæ, a ſanguine continua vi cordis pulſo, quam maxime urgentur, ob compreſſionem autem non poſſunt dilatatæ omnem recipere cruorem, moreque ſolito ad venas tranſmittere, dum ultimi arteriarum fines preſſi, ſubtiliori tantum ſanguinis parti tranſitum concedunt, hinc arteriæ ſenſim ſenſimque ab aggregato cruore turgent, immo ſi contractio, præſertim valentior, protrahatur diutius, ad rupturam uſque diſtenduntur. Id quod clare in epilepticis obſervare licet, qui ſæpe ſæpius muſculos a paroxyſmo prægreſſo, nigredine obductos oſtendunt, dum ſc. a læſis vaſis ſanguiferis, liquidum vitale fuit profuſum. In convulſione clonica quidem, muſculi non admodum diu contracti manent, ſed mox iterum relaxantur; hinc etiam ſanguis ante non libere ab arteria compreſſa exceptus, nunc in eam, a compreſſione liberatam, majori copia ac vi irruit, & quam vehementiſſime, cruore ſive craſſiore ſanguinis parte jam repletam, diſtendit, ut tandem a repetitis hujuſmodi extenſionibus multum debilitata, minus reſiſtat. Per extenſionem autem nimiam, & ſæpius repetitam, vaſis debilitationem induci, demonſtratur ex eo, quod debilitas dicatur, adunatio partium minimarum cum niſu in cohæſionem tam parvo, ut vel levi motu ſolvi queat (*a*). Per extenſionem itaque talem; partibus plus juſto a ſe invicem remotis, minuuntur puncta contactus, & hinc cohæſio, quæ ſemper eo major, quo plura contactus puncta; in imminuta autem cohæſione conſiſtit vaſorum debilitas; ergo a nimia expanſione vaſa debilitari neceſſe eſt. q. e. d. Vaſa vero debilitata minus reſiſtunt, & cum minor arteriæ renitentia, ſit cauſa Aneuryſmatis proegumena, per §. XIII ſequitur, inſultum hemiplecticum, efficiundo arteriæ debilitationem, pro cauſa procatarctica interna eſſe agnoſcendum. Nobiſcum conſen-

(*a*) Aphoriſ. BOERH. §. 24.

tiunt quoque obſervationes, quibus probatur : artèrias poſt validos editos nixus, pondera ultra vires ſublata, in aneuryſmaticos degeneraſſe ſaccos (*a*). Tale exemplum exſtat in Hiſtoria Acad. Reg. ſcient. Hominis nempe in venatu ſubitiſſime caput in dextram partem flectentis, quod nonniſi magna cum difficultate potuit reducere, is autem ab illo momento languit ſemper, & reſpiratione & deglutitione multum impeditus, in cadavere ingens Aneuryſma in ſubclavia dextra adparuit (*b*). Si quis autem a me quærat, cur potius in hac arteria, quam in alia, cui eædem cauſæ fuerunt adplicatæ, Aneuryſma noſtrum ſurrexerit ? huic reſpondebo, id quidem non contigiſſe ſine ratione ſufficiente, ſed hanc tamen adhuc in obſcuro eſſe, ut aliæ plures morborum cauſæ, adhuc omnem perſpicaciam hominum fugiunt; ſæpe videmus, inter duos homines ejuſdem temperamenti, iiſdem admiſſis cauſis, unum laborare phrenitide, alterum pleuritide, ubi de cauſa interrogati, hanc, ne nil dixiſſe videamur, tribuimus internæ cuidam prædiſpoſitioni, licet minus apertæ.

§. XVII.

Abſolutâ Aneuryſmatis noſtri aitiologiâ, nunc ad ſymptomatologiam, ſive explicationem phœnomenorum, in ægro noſtro præſentium, progredimur : ubi primò quidem occurrit figura tumoris, ejusque pulſatio : Tumor, ut ex hiſtoria morbi patet, conſtat tribus tuberculis, per ſpatia interpoſita a ſe diſtinctis : ratio videtur conſiſtere, in læſione arteriæ diverſis in locis facta, dum tunicæ, qua parte tumores exiſtunt, debilitatæ, ſive læſæ, extenſionem admiſere præternaturalem, at per reliquum tractum canalis ſatis reſiſtentes, intumeſcere renuunt. Alias nulla eſſet ratio ſufficiens, cur non totum vas per longitudinem ſuam in tumorem elatum eſſet. Omnes autem ad rotundam accedere figuram, mirum non eſt, quia arteria in ſtatu naturali conoidea, nunc nimis expanſa, neceſſario hujuſmodi figuræ intumeſcentias formare debet. Quare autem unum tuberculum ab altero, ratione magnitudinis, atque ſitus differat, ex §. VII. colligi poſſe videtur. Pulſus eodem ac in ſtatu naturali modo, naſcitur, quando enim in arterias ſemper plenas, a vi cordis ſanguis impellitur, dilatatione opus eſt, ut hæc portio in arterias recipi poſſit,

(*a*) Van Swieten comm. p. 288.
(*b*) Acad. Roy. des Sciences, ann. 1700. p. 50.

arteriæ vero tanquam canales elaſtici ſe reſtituentes, ſanguinem acceptum propellunt, qui motus alterni vocantur pulſus, qualis etiam in arteria aneuryſmatica accidere ſolet. Invaleſcit autem pulſus accedente preſſione, quia ſanguis adveniens, non poteſt in canalem compreſſum ſuſcipi, unde naſcitur cordi, tanquam cauſæ efficienti dilatationis arteriarum, major reſiſtentia; cum vero actio ſemper ſit æqualis reactioni, cor inſurgit, & majori vi reſiſtentiam ſuperare conatur; hinc etiam arteriam magis dilatat; & quia eo validior conſtrictio arteriæ, quo major dilatatio, ni ultra tonum fiat, vehementius quoque contrahetur, alterna vero contractio & dilatatio arteriæ, eſt ipſe pulſus: hinc manifeſtum, cur preſſo tumore pulſus graviter invaleſcat. Spatia interjecta tumoribus æque pulſant, quia enim omnia tubercula in eodem ramo occurrunt, quod ex ipſis ſpatiis pulſantibus cognoſcitur, quoque ex eadem ratione ac ipſi tumores, pulſus edent.

§. XVIII.

Ubi vero tumor unus alterve, aut omnes ſimul, fortiori, aut diutius durante preſſione afficiuntur, accedere ſolet dolor, cum anxietate, & imminente lipothymia: nervi enim plurimi, inprimis ramus quinti paris cervicalium, conjunctus cum ramo ſexti paris eorundem, ad muſculi pectoralis ſuperficiem abeuntes (*a*), ad modum omnium fere nervorum in corpore noſtro, decurſum vaſorum ſequentur, hinc ſi tumor aneuryſmaticus prematur, nervi adjacentes quoque compreſſi, rupturam intentabunt; cum vero per diſpoſitionem nervi, quæ diſſolutionem minitatur, fiat doloris idea (*b*), ſequitur a compreſſione tumoris ortum iri dolorem. Quia autem ſimul per compreſſionem, ſanguis in ſacco latens, retropulſus denuo accedenti obſtaculo eſt, non poterit truncus rami, in quo Aneuryſma ſedet, ſe evacuare, non evacuato trunco, qui per §. VII unus ex intercoſtalibus inferioribus eſt, naſcetur reſiſtentia ſanguini, ex aorta in intercoſtalem recipiundo; hinc etiam turbatur & aliquomodo impeditur ſanguinis motus per aortam; turbato motu in aorta, impeditur aliqua ex parte liquidi vitalis e corde egreſſus,

(*a*) WINSLOW. Anatom. p. III, §. 216.
(*b*) Aph. BOERH. §. 220.

unde anxietas (*a*). Quæ ſi diutius adplicata maneant, aucta ſemper reſiſtentia, cor non amplius poterit a ſanguine liberari, hinc minor ejus quantitas in vaſa coronaria veniet, ſive tunc immediate a corde, ſive ab aorta impleantur, inde motus cordis debilitatur, quia dependet a ſufficiente liquidi vitalis, & animalis in fibras cordis influentis copia; inde igitur lipothymia oritur, quæ ſecundum FRID. HOFFM. conſiſtit in debilitato cordis motu (*b*). Hæc eo citius accedunt, ſi ſimul in oppoſita parte dorſi, & ſupra tumores manus injiciatur, quia arteriæ intercoſtales inferiores, ad curvaturam coſtarum ingrediuntur, qui locus circiter tumori eſt oppoſitus, poterunt ibi compreſſionem admittere, quod ſi fiat forte in trunco, in cujus ramo Aneuryſma eſt, eo major naſcetur reſiſtentia, hinc eo gravius incommodum.

§. XIX.

Quando æger ſupinus, aut in latere affecto decumbit, moleſtiæ percipit ſenſum: plurima enim vaſcula cutanea comprimuntur, hinc impeditur ſanguinis tranſitus per illa, augetur vero motus per vaſa adjacentia libera, ſemper enim velocitas ſanguinis increſcit, ſi per vaſa pauciora, eadem quantitas eódem temporis ſpatio trajici debet. Sic etiam per ſaccum aneuryſmaticum velociori feretur motu, hinc magis diſtentus, adficiet aliquomodo nervos adjacentes, & ſenſum moleſtiæ excitabit. Decubitus in latere ſano tolerabilior, quia vaſcula cutanea, etſi compreſſa, non adeo arcta gaudent communicatione cum vaſculis partis adfectæ, unde non tantus contingere poteſt effectus.

§. XX.

Cum vero æger, aut celeriter movetur, aut per acclivia adſcendit, cordis palpitationem & dyſpnoeam patitur; per motum enim corporis ſanguinis circulationem intendi, nemo eſt, qui ignorat, immo quo vehementior ille, eo intenſior hæc; ideoque ſub celeri motu, vel adſcenſu per acclivia idem continget, ſanguiſque ſicut per omnia vaſa, ita etiam per Aneuryſma velocius agetur, tanta vero quantitas, quantam

(*a*) l. cit. §. 631.
(*b*) Med. ſyſt. ration. P. V. cap. IX.

quantam ſaccus capere poteſt, non adeo celeriter per fines arteriæ tranſibit, inde oritur reſiſtentia notabilis, contra quam cor inſurgit, violenterque ſe contrahit, quam ſi ſuperare non poteſt, palpitat: palpitatio enim dicitur, violenta cordis contractio, una cum magna reſiſtentia cruoris a corde pulſi (*a*). Cum vero & per pulmones celerior ſit tranſitus, velocius quoque thoracem dilatabit, non ſine aliqua difficultate, ob tumorem pectori inſidentem, hinc difficultas reſpirationis, quæ dyſpnoea vocatur.

§. XXI.

Capitis vertigo, linguæ balbuties, & habitus corporis cachecticus, non videntur ſymptomata Aneuryſmatis noſtri, ſed potius effectus ab hemiplegia relicti. Obſervationes enim teſtantur, fere ſemper quædam ab inſultu tali prægreſſo remanere incommoda, quæ pro diverſa hujus illiusve nervi læſione, varias turbare ſolent functiones. Cachectica vero diatheſis originem trahere videtur; ab aliquali vaſorum debilitatione, oriunda ex nimia quiete, & alimentis ac potulentis forte minus bonæ notæ. Vir enim ruſticus, antea aſſiduis laboribus deditus, nunc a duobus annis ob incommodum ex labore perceptum, otioſus vixit, hinc magnam ſine dubio corpori induxit debilitatem. Ipſe Medicorum parens HIPP. non ignoravit, quiete nimia corpus debilitari, dicens: otium humectat, & corpus reddit debile, labor ſiccat, & corpus robuſtum efficit (*b*). Idem CELSUS confirmat his verbis: Ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit (*c*). Nimia autem atonia partium vaſculoſarum & fibroſarum, eſt cauſa proxima cachexiæ, unde adparet ratio habitus cachectici in ægroto noſtro præſentis.

§. XXII.

Expoſitis hactenus tumoris noſtri cauſis, & ſymptomatibus, ordo requirit, ut ad prognoſin accedamus. In genere quidem Aneuryſma verum, recens, idoneo loco ſitum, haud multum alit periculi, & hinc TH. BARTHOLINI prognoſis non adeo ſtricte accipienda, apud

(*a*) BOERH. inſtitut. §. 826.
(*b*) De Victus ration. Sanor. L. II, cap. X.
(*c*) De Med. L. I. in præfat.

quem nimirum legitur, paucos lætum atque felicem eventum Aneuryſmatis ſpectaſſe (*a*). At in ægroto noſtro, quia tumor per duos jam annos durat, ipſeque cachexiæ labem præ ſe fert, Aneuryſma periculo vacare minime credimus, metuendum potius exiſtimamus, ne ſanguis jam depravatus & cachecticus, in ſacco tantæ magnitudinis fere quieſcens, aut ſaltem minus velociter motus, majorem contrahat corruptionem, & ita ſenſim tunicas arteriarum erodendo, ſibi effluxum in ſpatia celluloſa paret, ac demum gangrænam & ſphacelum poſt ſe trahat; aut ſimul exedendo cutim, hæmorrhagiam cito & forte inopinato lethalem excitet. Hoc jam alias contigiſſe experientia evincit: ita enim miles quidam, qui per ſex ſeptimanas Aneuryſma in arteria ſubclavia dextra geſſerat, eroſo ſacco, præter exſpectationem, ſanguine fluenti adinſtar per os erumpente, ſpatio unius minuti periit (*b*). Dein ſi non debita adhiberetur medela, metus eſſet, ne tumor paulatim mole auctus, tantam ſanguinis copiam caperet, ut ab adveniente non amplius propulſus, venis minime traderetur, hinc ſanguine tanta in copia ſtagnante, circulatorius ſuffocaretur motus; ſi enim per venas non ſufficiens copia ſanguinis ad cor redit, qua ad contractionem ſtimuletur, motus ejus multum debilitatur, immo tandem cum vita ceſſat; ſicut hoc manifeſte obſervari poteſt in illis, qui per enormes innanitiones plurimum ſanguinis amiſere. Has ob rationes quantocyus debita inſtituenda curatio, & quidem, quia tumoris latera nondum adparent calloſa, quod ex pulſu tam manifeſto clare patet, autumarem, per compreſſionem paulatinam, idoneo inſtrumento ac ligatura hîc factam, poſſe effici, ut ſaccus ab impetu ſanguinis injecti non amplius expanſus, nullum capiat incrementum. Nollem tamen aſſerere, hac ratione iſtud Aneuryſma radicaliter ſanari poſſe. In ſacco enim, qui per tantum temporis ſpatium jam duravit, nullum eſt dubium, quin plurimus ſanguis in grumos concreverit. Videmus ſanguinem noſtrum adeo in concretionem pronum, ſtatim ac quieſcit, in ſolidam coire maſſam, ejusque proin fluiditatem tantum motui perpetuo deberi. In Aneuryſmate igitur noſtro, ubi ſemper portio ſanguinis fere quieſcit, aut tardius tamen movetur, neceſſario quoque ſanguis grumoſus erit redditus. Quippe in Aneuryſmatibus majoribus diſſectis plerumque

(*a*) Epiſt. Med. Cent. III, ep. 53.
(*b*) Acad. Roy. des Sciences, ann. 1733, p. 153.

ſanguis invenitur polypoſus : ſic Cl. LANCISIUS aortæ Aneuryſmate cultro anatomico ſubjecto, deprehendit internam ejus cavitatem, adeo plenam grumoſo ſanguine, ut nil amplius capere poſſe videretur (*a*). Per compreſſionem igitur ulterior tumoris extenſio prohibetur, at grumi ſanguinis non ſolum non ſolvuntur, quin potius compinguntur; unde ſequitur, non facile poſſibilem eſſe curam radicalem ope compreſſionis inſtitutam, ceu quæ in Aneuryſmate tantum recenti, & parvo locum habet. Si itaque ægrotus cupiat, ut in totum reſtituatur, tenendum eſt, hanc curationem nonniſi per adhibitam operationem obtineri poſſe. Hæc autem conſiſtit in exciſione tumoris, quæ in noſtro caſu forte haud adeo periculoſa foret, cum neque majores trunci vaſorum, ut ſupra memoratum eſt, neque etiam integri nervorum faſciculi, muſculum pectoralem majorem adeant, ſed tantum ſurculi ex 3^tio^, 4to, 5to & 6to pari cervicalium, nec non quidam ex dorſalibus (*b*). Itaque non erit magnus metus hæmorrhagiæ gravioris, aut aliorum malorum, hanc operationem alias conſequentium. Tum quia arteriæ plures hoc in loco ſubeunt anaſtomoſes, minus erimus ſolliciti de gangræna, aut morte muſculi, operationem ſecutura, dum ablato trunculo quodam, ſufficiens tamen ad conſervationem muſculi, ſanguinis copia per cæteros ramulos advehetur. Unde crederem, non tantum periculi cum hac operatione conjunctum fore, quantum cum ea, quæ ſæpius in Aneuryſmate brachiali ſuſcipitur. Ubi cum non certi ſimus, utrum arteria brachialis ſupra locum incidendum, in duos jam diviſa fuerit ramos, nec ne, vel an rami ex ſuperiori hujus arteriæ parte emiſſi, toti brachio irrigando ſufficiant, ſemper de morte membri, forte operationem, etſi rite adminiſtratam, ſecutura, ægrum monere oportet; quod hoc in loco non tam facile evenire poſſe videtur: Qua ratione vero, & quibus cum cautelis hæc operatio foret inſtituenda, nunc pro viribus breviter docebo.

§. XXIII.

Curatio dividenda videtur in palliativam & radicalem. Prior ope compreſſionis cum idoneis inſtrumentis faciendæ, inſtituitur, quæ

(*a*) De mortibus ſubitan. obſerv. v, p. 303.
(*b*) WINSL. Anatom. p. III, §. 190 & ſeq.

utique ad prohibendum ulterius incrementum, valet, ſed ad radicalem illius curationem vix ſufficere poteſt, ut ſuperius §. XXII indicatum eſt. Inſtrumenta autem Aneuryſmati comprimendo idonea, varia hinc inde in autoribus chirurgicis deſcripta, exſtant, ſed tantum in brachio adplicari conſueta (*a*). Tale deprædicat BORDELOTIUS Medicus regius, quo ſe intra anni ſpatium Aneuryſma brachiale, quod jam magnitudinem ovi junioris gallinæ attigerat, curaſſe jactat (*b*). Cum vero tantum in brachio adhiberi poſſint, videamus, quale tumori noſtro in pectore ſito, conveniat, nihil curantes, quod quidam compreſſionem aſpernati, exiſtimaverint, motum ſanguinis compreſſo tumore ſuffocari, & latera vaſis concreſcere. Sed non ſimul & ſemel Aneuryſma quam vehementiſſime premendum eſt, potius ita, ut impetus quidem minuatur, ſed non in totum tollatur. Immo etſi tandem liquidi vitalis motus penitus impediatur, quid intereſt; nonne idem contingit operatione adminiſtrata, ubi vaſe deſtructo, ſanguini quoque tranſitus denegatur, æque ac ſi latera concreviſſent, tamen hic fit ſine multo dolore, ibi vero cum maximo interdum incommodo. Sequens autem faſcia non adeo inepta videtur, Aneuryſmati noſtro adplicanda: Lorus ſc. ex corio ovillo, aut caprillo, vel panno xylino, Barchet, aut ex habena linea, Zwirnband, dicta, confectus, ne cuti immediate admotus pruritum excitet, tres circiter pollices latus, & tam longus, ut circumferentiam thoracis æquet, vel ſuperet, parari poteſt, cui inſinuantur duæ laminæ, ejuſdem ac lorus materiæ, ſi ex corio, aut panno xylino confectus fuerit, figurâ diſcum ſive orbem æmulantes, tanti diametri, ut poſſint omnes ſimul tumores comprimere, ſpatium vero duabus laminis interjectum, adimpleatur ſetis equinis admodum firmiter, ut pilam ad comprimendum ſatis valentem referat, aut ſetarum loco lamina quædam plumbea æqualis ambitus, corio vel panno interponatur, ad reſiſtendum tanto valentior. Dein faſcia hæc ita corpori aptetur, ut orbe vel pila comprimente immediate tumoribus impoſitâ, alterum lori extremum, ſub axilla ſiniſtra in dorſum detur, alterum ſuper humerum dextrum ſcandens, priori occurrat, ac debitâ ratione uniatur. Nam ſi ſub utraque tantum procedens axillâ, thoracem ambiret, non poſſet adeo firmari, quin conſtricto thorace

(*a*) HIST. Chir. Tab. XI, fig. 8, 9.
(*b*) BLEGN. Zodiac. med. gall. ann. 1681. M. Mart.

relaxata, paulatim delaberetur. Aut quod mihi antecellere videtur, heic quam commodiſſime in uſum trahi poſſet, Faſcia illa, ab Heistero *mantile* cum *ſcapulari* vocata, ſic adplicanda: complicatum mantile ſub utraque axilla extenſum rite conſtringatur, & ne ad inferiora deſcendat, faſcia ſcapulari retineatur, ita formata, ut in medio foramen caput excipiat, ſupra pectus æque ac per dorſum extenſa, firmiter cum mantili poſſit conjungi, hujusque delapſus prohiberi. Superdata autem prius Aneuryſmati charta bibula maſticata, & ex alcohol vini expreſſa, imponantur panni multiplices ac gradati, interque hos pannos, nummus, vel aliud quid durum, conjiciatur, & tunc mantile ſuperdetur. Quæcunque autem adhibeatur faſcia, tantum erit adſtringenda, quoad ſine majore incommodo æger ferre poſſit: firmiorem enim adſtrictionem prohibet moleſtia fere intolerabilis ſtatim ſuccedens. §. xviii. Faſcia autem adplicata ſemel aut bis de die iterum conſtringenda, & ad plures hebdomadas, vel etiam menſes gerenda eſt, tandem vero effectus, an tumor imminutus fuerit, nec ne, rite perpendendus. Quod ſi contrarium adpareat, eo citius ad curationem radicalem, ſive operationem properandum, de qua nunc dicendum ſupereſt.

§. XXIV.

Aneuryſmatis operatio triplici inſtituitur ratione. Quidam torculari rite adhibito, ſcalpello arteriam ſecundum longitudinem incidentes, materiam omnem ſpongiæ aut ſpecilli ope extergunt, qua expurgata, torcular relaxando, in aperturam arteriæ inquirunt, eique fruſtulum vitrioli viridis goſſypio involutum, aut linamentum liquore ſtyptico Weberi imbutum, immittunt, & ſuperinjectis aliquot ſpleniolis, vulnus percurant. Alii Purmannum ſecuti, operationem inſtituunt hoc modo; injecto ſc. conveniente ratione torculari, mox cutim ſummam ſolam, ſine læſione Aneuryſmatis, diſſecant, dehinc ſupra & infra tumorem poſita arteriæ pars, diligenter ab adjacentibus liberata vaſis, uncinuli aut hamuli ope ita elevatur, ut poſſit filo deligari utrinque arteria, tumoreque medio inter utramque vincturam ſcalpello exſciſo, vulnus ſanatur. Alii, qui Anellii methodo delectantur, iterum aliter ſe gerunt: nimirum torcular primo adplicatur, depreſſoque dein ex tumore omni ſanguine verſus arteriæ finem, cutis ſuprema ſecundum longitudinem, illæſo manente Aneu-

ryſmate, inciditur; tum arteria loco ſupra tumorem proximo, per trajectum filum duplex, ſemel aut bis pro re nata conſtringitur, donec poſt torcular relaxatum, nil in tumorem veniat, quo facto deligari, & debito modó vulnus foveri debet. Diſpiciendum igitur, quænam methodus Aneuryſmati noſtro poſſit adplicari. Prima quidem, etſi in Aneuryſmate brachiali ſummo cum ſucceſſu poſſit adhiberi, ſæpeque haud ſine optato eventu in uſum fuerit vocata, tamen in noſtro tumore non æque valere videtur. Quia enim arteria brachiali, ope faſciæ torcularis rite adplicatæ, compreſſa, prohiberi poteſt, ne ulla ſanguinis gutta in Aneuryſma fluere queat, ſine omni metu tumorem juxta longitudinem incidere licet; id quod in loco, quem tumor noſter occupat, non æque tentare convenit. Nam etſi truncus, ſive ramus aneuryſmaticus, torcularis ope poſſit aliquomodo comprimi, tamen nondum tumorem diſſecare licebit; nam quia arteriæ intercoſtales inferiores, cum ſuperioribus & mammariis inoſculantur, facile ſurculus talis, cum ramo aneuryſmatico conjunctus, & compreſſioni ineptus, ſanguinem continuo plorans, operationem multum turbaret. Inſuper cauteria potentialia, & ſtyptica hac in methodo uſitata, minus arrident, dum per ligaturam arteriæ convenientem, ſemper certior ſpes haurienda non amplius ſecuturæ hæmorrhagiæ, quam ab adplicatis ſtypticis, vel cauteriis. Secunda methodus a Cl. PURMANNO ſæpius adhibita, magis conveniens videtur. Quia enim arteria ab adjacentibus vaſis liberata hamuli beneficio attollitur, ſtatim adparebunt ramuli, qui forte hîc anaſtomoſes ſubeunt, quibus tum aut ligatura, aut alio convenienti modo proſpici poteſt. Etiam experimento autor fidem facit, aſſerens, ſe hoc modo maxima extirpaſſe aneuryſmata, vulnusque intra unicum menſem curaſſe. ANELLII autem methodus hîc minime locum habet, in cujus adminiſtratione requiritur, ut ſanguis ex Aneuryſmate exprimatur, quod in tumore noſtro minime fieri poteſt, dum tanta copia ſanguinis, in grumos jam concreta, non facile poterit exprimi, & verſus arteriæ finem depelli, hinc minime quadrare videtur. Exponendum reſtat, quid igitur ante operationem, quid in operatione, & poſt operationem agendum veniat. Ante eam æger debito præparandus modo; id quod fieri ſolet per conveniens eccoproticum, aliquot ante operationem diebus propinatum, ut, inteſtinis a ſaburra humorum vitioſorum liberatis, non adeo facile operationi ullum

accedat incommodum, & multa avertantur mala. Venæſectionem, alioqui etiam præmittere ſolitam, hîc non ſuaderem, dum, nullis adparentibus plethoræ ſignis, potius cachexia præſto eſt, cui ſanguinis miſſio parum idonea, immo ſumme nociva foret. Potius adhibeat remedia cachexiæ oppoſita, quæ ſanguinem, humoresque corruptos emendare valeant. Simul capiat, inprimis aliquot ante operationem diebus, cibos eupeptos, euchylos, minime acres, aut ſtimulantes, potumque penitus non ſpirituoſum, ſed magis temperantem; ne per cibum aut potum, motu humorum intenſiore reddito, metus ſit, inflammationis, aut febris vehementioris, operationem inſecuturæ. In ipſa operatione ægrotus in ſella quadam inclinata poſitus adverſa luce, a miniſtris ita firmandus eſt, ut neque operatorem turbare, neque ſibi ipſi damnum inferre poſſit. Torcularis adplicatio hîc minus commoda videtur: forte enim ramus ſtatim ac ſuperficiem muſculi attingit, aneuryſmaticus eſt factus, id quod concluditur ex eo, quia ad latus tuberculi 2[di] nulla percipitur pulſatio, & hinc torcular adpoſitum, vix ullum ederet effectum. Cutis igitur juxta longitudinem ſcalpello incidatur, cavendo, ne ſimul Aneuryſmati inferatur læſio; cute aperta, plerique anxie arteriam a nervo forte adjacente, ſeparare ſolent; utraque vero ſine gravioribus ſymptomatibus ligari poſſe, fideles evincunt hiſtoriæ (*a*). Ex tribus nempe varii habitus, ætatisque viris, quibus cum brachii Areuryſma curaretur, nervi ſtrictiſſime abſque ſplenio ullo, cum arteria ligati ſunt, nullus alia ſymptomata paſſus eſt, quam quæ operationi vulgo ſuperveniunt, immo trium uni membrum læſum poſtea robuſtius acceſſit; fatendum tamen, quo tempore nervus conſtringebatur, doloris vim majorem homines perſenſiſſe, motum & ſenſum magis fuiſſe imminutos, at hæc brevi evaneſcebant, & ita ad ſanitatem perducti ſunt, ut neque celerius, neque melius, non ligato nervo, perduci potuiſſe viderentur. Hinc exiſtimarem, ſi ſeparatio nervi ab arteria plurimum faceſſat negotii, utrumque ſine multa hæſitatione ligandum eſſe: arteria itaque a nervo, & vaſis adjacentibus, ſi commode fieri poſſit, ſeparata, hamulo elevetur, tum acus quædam incurva, retuſa, duplici filo cerato inſtructa, ſubter arteriam trajiciatur, qualem Cl. Petitus ex argento conſtructam

(*a*) Bononienſ. Scient. Inſtitut. comm. T. II. p. II, 1746.

delineat, qua ſimul arteria ab adjacentibus vaſis liberari poteſt (*a*). Dein ſupra & infra tumorem, lina trajecta valide conſtringantur, minuto ſemper ſpleniolo, aut linteolo, nodo ſubjecto, ne arteria diſcindatur; ligata utrinque arteria, tumor medius exſcindatur, quo facto, vulnus ſpongia vino aut alcohol madente extergatur, tunc ſpleniola balſamo cuidam vulnerario imbuta, arteriæ ligatæ adponantur; ſuper hæc injiciantur linamenta, & panni multiplices gradati, quæ tandem, ſi lubet, emplaſtro quodam poſſunt contegi, & faſcia mantilis cum ſcapulari vocata, modo ſupra jam deſcripto, adplicari.

Poſt operationem feliciter inſtitutam, æger inſtar vulnerati ſe gerere debet, ſtudere quieti, cibis uti eupeptis, minime fœculentis, ut ſunt juſcula varii generis, olera, ac carnes animalium juniorum domeſticorum: tamen præſente inflammatione ſatius eſt a carnibus abſtinere. Pro potu adhibeat ptiſanam vulgarem, interponendo interdum, hauſtum decocti cujuſdam convenientis vulnerarii. Faſcia, niſi aliud quid requirat, ante diem tertium non eſt reſolvenda, quod ubi fit, linamenta vulneri inhærentia non vi erunt diducenda, niſi ſponte ſequantur, alioquin poſſet, arteria lacerata, hæmorrhagia ſuccedere. Fila nunquam præcidenda, ſed, donec ſponte excidant, relinquenda. Denique convenienti ratione vulnus perſanandum. Inflammatio, febris, aliaque mala forte ſupervenientia, remedia cuique horum aptis, oppugnanda.

T A N T U M.

(*a*) ZACH. PLATNER. Inſtit. Chirurg. Tab. III, fig. XI.

IN

ANEURYSMATA FEMORIS OBSERVATIONES,

QUAS,

VENIA EXPER. FACULT. MEDICÆ,

PRÆSIDE

ADOLPHO MURRAY,

M. D. ANAT. ET CHIR. PROFESS. R. ET O. ACAD. REG. SCIENT. HOLM. SOC. SCIENT. UPSAL. ACAD. BASIL. FLORENT. BOTAN. ET GEORGOPH. UT ET SIENENS. ET BEROL. N. C. MEMBRO,

EXAMINI DEFERT

PETRUS AFZELIUS ARVIDSSON,

STIPENDIARIUS WICTORINIANUS, VESTRO-GOTHUS.

IN AUDIT. GUST. MAJ. D. XXX JUN. ANNI MDCCLXXXI.

AD EXEMPLAR UPSALIÆ IMPRESSUM.

IN

ANEURYSMATA FEMORIS OBSERVATIONES.

PROŒMIUM.

Tumores aneuryſmatici ſuam a ſanguine arterioſo, vel extra vel intra vaſorum parietes collecto, habent originem. Hi vero tam ob ſingulares & variantes, ſub incremento formas, quam ob ſummum, quod adferunt, vitæ periculum, Chirurgos a GALENO *inde, ad diagnoſin eorum curandique methodum accuratius pertractandam, excitarunt. Ut vero recentiori ſeculo, maximi nominis Viri chirurgicam ſcientiam, per corporis humani accuratiorem inveſtigationem, & per obſervationes ad lectum ægrotantium ſollicite collectas atque inter ſe comparatas, ad inopinatum jam faſtigium evexerunt; ſic etiam, iisdem adminiculis adjuti, plurimas, cognitionem medelamque hujus morbi prementes, removerunt difficultates. Quod enim nunc Aneuryſmata ab aliis morbis dignoſcere & criteriis minus fallacibus collectis, ea in certas & naturæ rei convenientes ſpecies diſtinguere, atque imminenti malo reſiſtere, vel oborto repagula ponere efficaciſſima noverimus, horum ſolertiæ & indefeſſæ naturam ſcrutandi ſagacitati eſt tribuendum. De hoc maxime ſtudiorum genere Viri Celebratiſſimi inter Anglos,* MONRO, HUNTER, WARNER *&* BROMFIELD, *apud Gallos,* GARENGEOT, J. L. PETIT *&* FOUBERT, *inter Italos,* MOLINELLI, BERTRANDI, MASOTTI, MATANI *&* GUATTANI, *inter Germanos,* HEISTER, DE HAEN *&* PLENCK *& e noſtratibus, ill.* ACREL, *adeo præclare ſunt promeriti, ut eorum nomina, ſera, ſi qua fuerit, poſteritas ſit concelebratura. His nempe præmuniti ſubſidiis, multos terribili hoc morbo correptos, noſtro tempore medici reſtituerunt ſanitati, quos inſanabiles dixiſſet ſortique infauſtæ commiſiſſet antiquitas.*

Sed hiſtoriæ licet Aneuryſmatum, quas nobis tradiderunt numeroſiſſimas, quamcunque arteriam ad tumores ejusmodi formandos aptam eſſe, & plurima curam

qualemcunque admittere oſtendant, id ſimul tamen oſtendere videntur, Aneuryſmata arteriæ femoralis, tanto ſtipari diſcrimine, quanto unquam Aneuryſmata arteriæ humerariæ, quorum curatio, ſubſidiis inſtituta idoneis, felicem habere ſolet exitum. Hinc mihi obſervationes ejusmodi Aneuryſmatum & præſertim pulcherrimam, quam in Actis Reg. Acad. Scient. ill. ACREL *cum orbe erudito communicavit, attentius perpendenti, ardens obortum eſt deſiderium, inquirendi, utrum vulgaris opinio, quod ea rariſſime curam admittant, ipſa partium nitatur ſtructura, an vero pari ſucceſſu, atque in brachio, truncum læſum filo perſtringere poſſimus.*

Hiſce itaque pagellis, quas exercitii gratia meditationibus circa Aneuryſmata femoris conſecratas volui, deſcriptionem arteriæ integram Tibi L. C. offero, unde nullo patebit negotio ramos femoralis arteriæ frequentiores & majores formare anaſtomoſes, quam arteria brachialis. Præmittam tamen meditamenta quædam de Aneuryſmatum natura in genere, Commilitonibus forte meis majorem materiæ illuſtrationem ſubminiſtratura. Deſcriptione vero poſtea data, adductis in medium obſervationibus, theoriam, ſtructura corporis nixam, confirmare conabor, quæ omnia benigniorem Tuam L. B. cenſuram ſibi expetunt.

SECTIO PRIMA.

DE ANEURYSMATIBUS IN GENERE.

§. I.

Diviſio in vera & ſpuria.

RECEPTUM eſt apud Chirurgos, ut *Aneuryſmata* in *vera* atque *ſpuria* diſtinguant: priora per dilatationem ipſius vaſculi, cætera per ſanguinis extra illud effuſionem formantur. Adeo vero hæ ſpecies inter ſe differunt, ut præter fluidum contentum nihil commune habeant. Sanguis enim arterioſus in vero Aneuryſmate a dilatato quidem vaſe remoram quandam ſentit, communi tamen flumine, quolibet arteriarum ictu in motum ducitur; in ſpurio autem ſanguis in tela cellulari externa effuſus, coagulatus & e communi circulo excluſus exiſtit. Prima porro ſpecies, ab imminuta contra ſanguinis impulſum, qualicunque membranarum totius vaſis, vel cujuſdam præcipue particulæ reſiſtentia nata, leni & lentiori gradu prima ducit ſua ſtamina, paulatim, cutis colore non mutato, augetur, tactui mollitiem prodit, herniæ inſtar, ſi tumor minor eſt, & unum tantum latus vaſculi extendit, a digito reprimitur, ſub quocunque cordis motu viciſſim elevatur, admota aure ſonus a ſanguine irruente percipitur inſignis, & æquali atque circumſcripta gaudet ſuperficie. Altera vero, a mechanica tunicarum diviſione exorta, ambitum

diffuſum, nec tam arctis circumſcriptum limitibus & inæqualem ſuperficiem habet, multo citius incrementa capit, duritiem format, preſſioni externæ plane reſiſtentem, nullum edit ſonum, leviſſimum, quaſi reptabundum, non vero cum arteriis ſynchronum, interdum plane nullum, prodit motum, ſæpe, ut prior ſpecies, dolores excitat, & denique, ſi per cutem, jam obſcure rubro vel plumbeo inquinatam colore prorumpit, terribilibus nonnunquam ſtipatur hæmorrhagiis.

In ejusmodi ſignorum diſcrepantia, quam adeo magnam deprehendimus, ut etiam ſecunda ſpecies aliam, quam quæ Aneuryſmati proprie competit, ſignificationem involvat, unumquemque, etiam tironem, verum de natura morbi facile ferre poſſe judicium putaremus, niſi caſus exiſterent, ubi Aneuryſmata ſpuria adeo ſimilem veris induunt formam, ut exercitatiores etiam in errorem inducere queant.

§. II.

Spuriorum ſpecies, diffuſa ſ. primitiva, & circumſcripta ſ. conſecutiva.

Aneuryſmata ſpuria, ut optime cel. FOUBERT (*a*) & WILH. HUNTER (*b*) docuerunt, in *primitiva* ſ. *diffuſa* & *conſecutiva* ſ. *circumſcripta* dividimus. Horum primum, eccheumati non diſſimile, confeſtim producitur poſt vulnerationem, ſi ex ſecta vel diſrupta arteria ſanguis pleno rivo ſub cute ejicitur, alterum vero poſt aliquod tempus demum formatur. His alia ſpecies, quam *compoſitam* appellare licet, jungenda, quum ex *primitivo* & *conſecutivo* compoſita ſit. Priores propriis gaudent characteribus, & valde diverſa formantur ratione. Ex vulnerata ſcilicet arteria ſanguis magna prorumpit vehementia, obice vero effluxum impediente, externe illi impoſito, is in telam circumjacentem ſub cute effunditur. Adaucta itaque ad ſingulum arteriæ pulſum ſanguinis effuſi copia, tumor non poteſt non rapidiſſima capere incrementa; ſub quo etiam tempore aliquando ad arteriæ quemque ictum elevatur, & coagulum, quod muſculorum fibras, nervos, tunicas vaſorum, ipſaque cutis ſtrata denique penetrat, adeo membrum expandit, ut omnis ejus ſenſatio motusque tollatur, ac tumor, ob tenſionem vehementiſſimam nitens,

---

(*a*) Mémoires de l'Académie de Chirurg. T. 2. p. 535.
(*b*) Medical Obſervat. and Inq. vol. 1, art. 26, p. 337.

marmoream adquirat duritiem. Colorem obſcure rubrum cutis denique induit, ſenſim tamen nigricantem & gangrænoſis maculis interſperſum, quum ſub tanta extenſione gangræna vix evitari poſſit. Sed quando demum coagulum omnes circumjacentium partium cryptas opplevit, id ulteriorem effuſionem impedire videtur. Tunc etiam a calore intrinſeco & membri quiete lympha coagulabilis a cruore ſeparatur, quo fit, ut tumor certum extenſionis gradum nactus, non ſolum non amplius extendatur, verum etiam paullulum iterum decreſcat & mollitiem, veluti pus intus foret collectum, in nonnullis locis prodat. Aperto tunc tumore in concremento ſanguineo lymphæ coagulatæ concrementa immixta obſervamus.

Sed *conſecutivum Aneuryſma*, alia ratione exordiens, aliis etiam criteriis dignoſcitur. Nam a faſciis ad ſiſtendam hæmorrhagiam, quam compuncta arteria evomit, qualicunque modo applicatis, effluxus ſæpe quidem ſanguinis impeditur, ſi vero hæ, antequam ipſæ vaſculi membranæ coaluerunt, remittunt, vel æger nimis cito articulum movere incipit, guttulæ ſanguinis paullatim per aperturam minorem vaſis elabuntur. Hæ tamen in celluloſa tela collectæ, & preſſione atque caloris ope lympham ſuam demittentes, tumorem formant circumſcriptum, quem propriæ membranæ extra obveſtiunt. *Sacco* ſcilicet, quem dicunt *aneuryſmaticum*, ſanguis effuſus obducitur, qui tamen organicum non prodit textum & nullatenus a dilatata, ut communiter credunt, arteria ipſa originem ſuam trahit; eam enim in quocunque Aneuryſmate ſpurio naturalem ſuum retinere diametrum & vulnuſculum ipſum ſub tumoris formatione eandem, quam ſub primo inflictu acceperat, ſervare extenſionem, tam aliorum, inter quos cel. TEICHMEYER (*a*), ALEXAND. & DON. MONRO (*b*), FOUBERT (*c*), DE HAEN (*d*), ACREL (*e*) & RICHTER nominaſſe ſufficiat, quam mea ipſa, in vivis operationi ſubjectis, atque etiam alio poſt operationem extincto, experientia edocuit. Eſt vero tantum a lympha coagulabili atque tela cellulari, polypi inſtar conflatus, & plura ſtrata ſibi invicem adpoſita habet, quæ concretum ſanguinem continent & recentiora additamenta recipiunt.

(*a*) HALLER Diſſ. Chir. Tom. 5, p. 202, n. k.
(*b*) Medical Eſſays and Obſ. Edinburg Tom. 2. 4. Eſſays and Obſervations Tom. 3.
(*c*) l. c.
(*d*) Rat. Med. Pars 4, cap. 2.
(*e*) Chirurgiska Hændelſer p. 457.

Hoc ut demonſtremus, vaſorum abſciſſorum coalitionis rationem, quam Galenus jam expoſuit & cel. Petit (*a*) atque Pouteau (*b*) pulcherrime dilucidarunt, perpendere fas eſt. Occluditur ſcilicet lumen arteriæ, ſanguinem ſenſim, ob propriam ſuam contractionem minori copia fundentis, thrombo cylindrico & a concreſcibili ſanguinis parte formato, hicque, cum ipſis vaſculi parietibus firmiter ad ſex uſque lineas cohærens, poſt aliquod tempus cum illis concreſcit, tumque invincibile irruenti ſanguini præbet obſtaculum. Similiter etiam, ſi quædam arteriæ tantum ſuperficies aperitur, & ſanguinis effluxus apta deligatione cohibetur, coagulo, membranam inorganicam mentiente, vulnuſculum occluditur, & ſanguini nihilo-ſecius liber curſus per reliquum vas conceditur. Quum vero membrana hæc ſenſim exſiccetur, ut cicatricis demum duritiem induat, mirum non eſt, quod, ſi cum adjacente celluloſa & cum ipſa apertura, quæ alioquin non conſolidatur, concrevit, tranquillitate & per plures menſes continuata compreſſione, ejuſmodi arteriarum vulnera optime conſolidentur. Nonnunquam vero iſtud coagulum in ipſa arteriæ apertura non hæret, ſed extra illam, quando major ſanguinis copia effuſa eſt, in celluloſitate, vas revinciente, congeritur, tumque operculum illud inorganicum latius extenſum, firmius licet a circumjacentibus partibus & tela cellulari immixta fulcimentum accipiat, minus flumini reſiſtere poteſt. A rivo ſcilicet extrorſum protrudente in membrana adſititia laxiore, quum ipſius vaſis parietes minorem jam perſentiant preſſionem, cavum quoddam quaſi exſculpitur, a coagulato nigro ſanguine in dies amplificandum. Sed ſi urgenti flumini minus cedit tumor, rumpitur pſeudomembrana, & ſanguinis exuberans quantitas, quæ inprimis ſaccum diſtenderat, extra ſaccum effunditur; quo, fluidiore pedetentim cruore abſorpto, novum ſtratum ſacco additur, priori ſimillimum, licet mollius, craſſius & quandoque ſanguine florido disjunctum. Sic rupturis repetitis ſaccus ſemper augetur & a multis laminarum ſtratis componitur.

Aliter autem res ſe habet, ſi per morbos ante Aneuryſmatis ſpurii ortum, vaſa adeo fuerint corrupta, ut preſſionem ferre non poſſint; tum enim in antiquiore malo, iteratas effuſiones efficiente, arteria

(*a*) Hiſtoire de l'Acad. Royale des Sciences, 1735.
(*b*) Mêlanges de Chirurgie, p. 299.

ipſa prope locum affectum in cylindrum, non vero in ſaccum extendi videtur. Illuſtr. Acrel id in praxi ſua obſervaſſe, litteræ ad Dom. Præſidem humaniſſime ſcriptæ & obſervatio ejus infra enarranda teſtantur. Sic etiam celeb. Morand (*a*) ſemel arteriam prope læſionem ad duplum expanſam vidit.

Conſecutiva mentiuntur vera.

Aneuryſmata hæc conſecutiva ſigna ſæpe efferunt, iis quæ vera comitantur adeo ſimilia, ut peritiſſimi in arte viri (*b*), plura pro veris prædicarint, quæ reapſe tamen ſpuria fuerunt. Quæ poſt incaute vel imperite in brachii arteriam defixum phlebotomum oboriuntur, præcipue huic errori obnoxia ſunt. Plerumque enim fortiore deligatione externum vulnuſculum, cuti & aponeuroſi illatum, iterum coaleſcit. A minimo vero brachii motu, aliove in curandi methodo commiſſo errore, nova ſanguini urgenti aperitur delabendi via, quæ tamen jam, ob primum coagulum aponeuroſi ſtrictiſſime cinctum, adeo arctis circumſcribitur cancellis, ut tumor exoriens lentiſſimos faciat progreſſus & ambitum adquirat circumſcriptum. Præterea cavum in coagulo hoc, quod tam a faſciarum, quam prementis fluminis vi in dies tenacius redditur, & cum aponeuroſi, ex qua tela cellularis effloreſcit, eſt concretum, ſpiſſum non continet cruorem, ſed ſanguinem fluidum recipit remittitque. Tumor ergo cæteris mollior eſt, prementi digito magis cedit & motum efficit cum cordis contractionibus ſynchronum. Pedetentim tamen, ſi volumine ſenſim aucto, repetitis vicibus hæmorrhagiæ oboriuntur, Aneuryſmatis ſaccus valde craſſeſcit, omneſque iterum genuini characteres perdit, atque denique per cutem, ad chartæ tenuitatem uſque extenſam, prorumpens, ſanguinis periculoſas edit effuſiones. Sæpe etiam, cum cito quævis Aneuryſmata oſſibus vicinis adcreſcant, a ſola compreſſione, vel quibuſdam prægreſſis ſuffuſionibus oſſa ſubjacentia denudantur & carie corripiuntur. Sic etiam ſuppurationes in vicinia tumoris & inter laminas ſacci formatas detegimus frequenter.

Conſecutiva mutantur in primitiva.

Ipſa itaque Aneuryſmata ſpuria conſecutiva, quæ diu characteres ſuos eſſentiales retinuerunt, ex improviſo, ſi ſaccus caſu ea ratione rumpitur, ut ſanguis late in telam cellularem diffundatur, in primitiva commutantur, ita ut, inciſa cute, primum in magnam ſanguinis

(*a*) Mém. de l'Acad. de Chir. Tom. 2. 224.
(*b*) Hujus indolis plurimæ cel. Plenckii ſunt obſervationes.

guinis coagulati copiam, & tum demum in ſaccum aneuryſmaticum cum arteria cohærentem, ſed ab uno latere diſruptum offendamus.

Sed Aneuryſma primitivum etiam cum conſecutivo alia ratione copulatur. Si enim poſt abundantiorem effuſionem, fluxus quidem uberior cohibetur, is tamen lente & guttatim prorumpere pergit, ſimili modo ſaccus membranaceus, in cujus fundo arteria non dilatata hiat, prope locum affectum formari incipit. In ſene, Aneuryſmate primitivo a venæ ſectione inepte inſtituta exorto, ejuſmodi ſpecierum complicationem obſervare mihi contigit. Effuſio primo jam die ad axillas & paulo infra cubiti flexionem ſeſe extenderat, ſed, quum, tribus ſeptimanis præterlapſis, cel. Præſes, demum accerſitus operationem tentaret, præter ingentem ſanguinis coagulati copiam, in vicinia arteriæ ſaccum polypoſæ texturæ, & a multis membranis compoſitum, ſanguinem tamen fluidiorem in medio continentem, reperit. Aneuryſmatis *compoſiti* nomen hæcce complicatio prorſus meretur. *Aneuryſma compoſitum.*

Novam & ſingularem Aneuryſmatis ſpurii ſpeciem (*a*), quam ill. WILH. HUNTER detexit, prioribus, etſi ad noſtram materiem minus pertinet, adjungere liceat. Accidit nempe, ut vena & arteria lanceolæ ictu ſimul pertundantur, hæque inter ſe invicem poſtea coaleſcant, quo arterioſo ſanguini nova comparatur via, per quam tanto impetu ducitur, ut vena jam, cute conſolidata, tumens, cum arteriis ſynchronice elevetur. Bis Aneuryſma hoc ſpurium, per anaſtomoſin ſingularem formatum, obſervavit Auctor, viditque arteriam ſupra novam vaſorum conjunctionem dilatatam, infra illam autem contractam. *Aneuryſma varicoſum.*

§. III.

Ad generalem *Aneuryſmatum verorum* contemplationem, quæ vaſorum ſtructuræ, hic præcipue commutationem ſubeuntis, cognitionem requirit, adcuratiorem nos jam accingamus. Sunt vero ratione formæ vel *univerſalia*, ſi totus vaſis diameter cum omnibus ſuis membranis undique æqualiter intumuit; vel *partialia*, quando in alterutra vaſis tantum ſuperficie tumor elevari incipit. *Univerſalia* *Aneuryſma verum.*

(*a*) Medical Obſerv. and Inquir. vol. I p. 340. Vol. II p. 390. Vol. III p. 110. Vol. IV p. 382. ARNAUD Mém. de Chir. T. I p. 181.

quidem, ſi majora ſunt, in latere minus reſiſtente magis dilatantur, quando vero de *partialibus* ſermo eſt, tumorem intelligimus ex una tantum arteriæ parte effloreſcentem. Cauſſa proxima (*a*) in ambabus hiſce ſpeciebus a debilitato ſingularem in modum contra ſanguinem impellentem nixu membranarum eſt derivanda, hujusque phœnomeni ratio jam facillime detegitur, jam autem incognita manet. In variis, & præcipue in locis ramos dimittentibus, ſæpius ab exuberante tantum humorum copia eorumve aucto curſu, a lapſu, percuſſione, valida membrorum diſtenſione, a nixu fortiore, qualem ſub partu, exoneratione alvi, vel ponderum graviorum elevatione edere homines ſolent, vel etiam a compreſſione & obſtructione arteriæ cujuſdam, quo major ſanguinis moles ad adjacentes ruit arterias, ex improviſo tumores formantur aneuryſmatici. Mirum non eſt igitur, quod in tali ſtatu circa cor, ubi vehementiſſime a contractione ejuſdem concutiuntur vaſa, & in extremitatibus inferioribus, quæ præ aliis cito ſuum perdunt tonum, plurimi obſerventur. Sed in nonnullis ſingularis & incognita ad dilatationem ſubeundam diſpoſitio vaſis inhæret, ita ut univerſali quadam diatheſi aneuryſmatica ea corripi cum ill. De Haen (*b*) ſtatuere poſſimus; & tum quæcunque, etſi levis corporis percuſſio inopinatum exercebit effectum, id quod etiam obſervatio celebris Stoller (*c*) in puellam ab amica ſua ſub luſu in dorſum dejectam, eoque Aneuryſmate arteriæ pharyngeæ correptam, inſtituta, in aprico ponere videtur.

Sed quandoque ſpecialis humorum & præcipue venerea labes, ut & mercurius, ad hunc debellandum morbum adhibitus (*d*) ſolidorum corporis & inprimis vaſorum renitentiam infringit, quod cel. Guattani (*e*) exemplis memorabilibus demonſtravit. Contextus vero ipſe membranarum in hac, ſicuti in ſcorbutica, cancroſa, arthritica & eryſipelacea fluidorum ſolidorumque depravatione, mirum in modum commutatur, ita ut totius corporis vaſa arterioſa, jam

(*a*) Lege illuſtr. Van Swieten Comment. Tom. I, p. 287 ſeq. Matani de aneuryſmaticis præcordiorum morbis. Liburni 1771. & Jac. Verbrugge Diſſ. de Aneuryſmate. L. B. 1773, p. 17 (nobis p. 377), ubi cauſſæ hujus morbi optime explicantur.

(*b*) Rat. Med. pars IV, p. 41, leg. etiam Mém. de Chirurg. Arnaud l. c. & Don. Monro Eſſays and Obſerv. vol. 3.

(*c*) Beobachtungen und Erfahrungen. Gotha 1777, p. 103.

(*d*) Schacht Inſtitut. Med. pract. p. 150. Matani l. c. p. 101. ſeq. (nobis p. 322 ſeq.)

(*e*) p. 156 ſeq. Lancisi p. 48 ſeq. (nobis).

vieta tantum atque fragilia, jam vero ſimul cartilagineis & oſſeis ſquamis interſperſa (*a*), ne quidem levi tractioni reſiſtant. Ab evoluta tamen nova & excreſcente celluloſa velamenta Aneuryſmatis communiter ſimul valde craſſeſcunt & turgida evadunt. Oſſeas & cartilagineas latas laminas inter illa ſimul generari, plures obſervationes teſtantur (*b*).

Partialium Aneuryſmatum verorum formationi, quamquam ſæpe ſine ulla læſione ab infracta quacunque vi membranarum & præcipue ſtrati muſcularis vaſorum, ſuam derivet originem, communiter læſio quædam membranarum præcedit, quæ vel cauſſæ prædiſponenti favet, vel etiam ipſa diſtenſionem vaſculi promovet. Fieri nempe nonnunquam docet experientia, ut vulnere inflicto, ſuppuratione, corroſione quacunque, vel etiam fortiore motu, celluloſa externa & fibræ muſculares, vel interiores vaſorum membranæ, exterioribus intactis, lædantur, quo premens & in eum locum irruens flumen pedetentim tenuiores vaſis parietes expandit, & vaſculi quaſi herniam format. Facile vero intelligitur, hæcce Aneuryſmata & præcipue ea, quæ ab intima tantum tunica obducuntur, cito in ſpuria commutari; ea vero etiam, ſi mature apta adhibetur medela, facilius curam admittere. Intima membrana rupta, ſanguis cito contextum totius vaſis ſolvit & Aneuryſma primitivum generat. Aneuryſmata hæc vera, quæ a tunicarum quadam dilatatione, juncta cum quarundum dilaceratione dependent, quidam artis periti (*c*) *mixta* appellant: ſed plurimi eo Aneuryſma verum diſruptum & ſanguinem in circumjacente celluloſa effundens intelligunt. Si nempe vis extendens reſiſtentiam membranarum ſuperat, vera in ſpuria, & plurimum primitivorum indolem recipientia, commutantur. Quandoque tamen, ſi tumor minus dehiſcit, polypoſæ laminæ hiatui, ſanguinem collectum ejicienti, adcreſcunt, & tumor generatur, cujus ſaccus partim ab arteria dilatata, partim ab adſititio concremento eſt conflatus.

Sed tam univerſales, quam partiales arteriarum ſacci antiquiores, ſi majores ſunt, eoque partim omne contractionis robur amiſerunt, partim per diuturniorem in hoc diverticulo ſanguinis moram, concretionibus polypoſis intus ſunt obducti, vim omnem motricem per-

(*a*) Haller Opuſc. path. obſ. 18. De Haen l. c. Tom. 4, cap. 2. p. 15 &c.
(*b*) Pringle. Eſſays and Obſerv. T. 3. Ibid. Caſus 9, 10.
(*c*) Hunter Med. Obſ. and Inq. L. 1, p. 338.

dunt, & pulſum amplius non produnt, ſed plurima ſpuriorum conſecutivorum ſigna mutuantur. Credit tamen cel. D. MONRO rupturam quandam membranarum, antequam pulſus perfecte ſupprimitur, tumorem pati.

Tantam etiam Aneuryſmata abſceſſuum ſimilitudinem, diſſoluto ſenſim coagulato ſanguine, nonnunquam induunt, ut teſtimonio cel. PLATNER (*a*), DE HAEN (*b*), MASOTTI (*c*), BENEVOLI (*d*) & STOLLER (*e*), exercitatiſſimus Chirurgus ad tumorem aperiendum facile ſeduci poſſit. In ejuſmodi errorem tum præcipue incurrit, ſi vera inflammatio in vicinia Aneuryſmatis exorta eſt, eaque in ſuppurationem abiit, ſique prægreſſa omnem ſuppurationis occultæ ſuſpicionem movent, indicia vero Aneuryſmatis a prioribus obnubilantur; cujus exemplum cel. WARNER (*f*) dedit in Aneuryſmate femoris per lapſum inducto.

Quantum demum varices majores & profundiores, ſi prope arteriæ quendam truncum formatæ exiſtunt, hujusque contractiones adeo in illas agunt, ut viciſſim eleventur, diagnoſin morbi perturbare poſſint, caſus a cl. MICHAELIS (*g*) deſcriptus affatim demonſtrat.

In magna hac nunc deſcripta ſpecierum & ſignorum complicatione, qua fieri poteſt, ut non ſolum in dignoſcenda Aneuryſmatis ſpecie, ſed etiam in natura mali dijudicanda, vehementer peritiſſimus obſervator decipiatur, difficillime ex labyrintho evolvimur, niſi cauſſam, locum, incrementum omnesque tumoris viciſſitudines, quæ ſæpe cito citius variant, exacte perpendamus, & phœnomenorum ſeriem a prima læſione ſubque remediorum uſu obortorum rite ponderemus. His tantum adminiculis adjuti, juſtum demum de morbo ferre judicium diſcimus.

§. IV.

Prognoſis. Aneuryſmata omnia, quibus ne ulla quidem arteria eſt exemta, inſigni omnino non carent periculo. Inter hæc vero idipſum, cujus

(*a*) Inſtitutiones Chir. §. 451.
(*b*) Rat. Med. P. v, cap. 6, p. 187.
(*c*) Sull' aneuryſma del poplite. Firenze 1772, p. 16. 21.
(*d*) Obſervat. Med. n.° 11.
(*e*) l. c. p. 105.
(*f*) Philoſophical Tranſactions vol. 50, P. 1, p. 44.
(*g*) RICHTERS chirurgiſche Bibliothek, B. 5, p. 124.

prima origo ab ipſa vaſorum humorumve depravata indole dependet, vel quod, a multo licet benigniore cauſſa exortum, interne nidulans, nec non truncum quendam inter maximos corripiens, efficaciorem medelam reſpuit, omni fere ſpe perfectæ curationis deſtituitur. Humorum enim labe, ſi naturam ejus etiam noveris, correcta, vix tamen ſolidis & in ſpecie vaſorum membranis, deperditam tam cito eaque efficacia injungere valemus firmitatem, quin tumor citius increſcat & expanſæ tunicæ pertinacius retractioni reſiſtant. Coagula etiam hîc congeſta, quæ ad curam perficiendam reſolvi debent, potius in dies indureſcere, quam reſolutionem admittere ſolent. Præterea, ut in genere ſine naturæ adjumento, vix quidquam ars noſtra præſtabit, ita etiam eam membri affecti conditionem poſtulat, ut, ſi levioribus tumor non cedit remediis, ipſa arteria ſine membri detrimento deſtrui poſſit, adeoque alii rami profundiores, jam quantum ſufficit dilatati, vices trunci ligati ſuppleant; quod tamen, ſi axillaris & femoralis arteria prope earum primum exitum morbo ſint correptæ, vix ac ne vix quidem eſt exſpectandum. Si denique humorum optima conditio coalitioni non ſuccurrit, ſed a pure abſorpto, vel ignoto quodam latice, craſis humorum eſt correpta, omnia noſtra conamina, immo amputatio ipſa, quæ adeo ſæpe in hoc morbo exitialis fuit, ad accelerandum tantum ægri interitum conferunt.

§. V.

Curam igitur hujus morbi ancipitis meditantes, quanam methodo, an leviori, quæ compreſſione totius membri perficitur, vel efficaciori, operatione ſcilicet, illam inchoare debeamus, ex loco affecto & ipſa mali natura eluceſcit. Compreſſione Aneuryſmatis continua multum præſtari, totamque curationem, tam in ſpuriis, quam veris partialibus, ejus protractiore uſu nonnunquam abſolvi novimus. Inprimis vero ſpuria conſecutiva, licet jam inſignia fuerint, perfecte & ſine ulla recrudeſcentis mali comminatione fuiſſe diſpulſa, experientia docuit. Incredibili ſane & plane inopinato ſucceſſu, ut alia exempla taceam, cel. GUATTANI, ſummam in hac ponens fiduciam, in Aneuryſmata (ſpuria puto), quæ ob magnitudinem & vetuſtatem ligatura perſtringere, vel amputatione membri tollere non audebat, compreſſionem adhibuit. Sed ſi tantam etiam efficaciam rarius exſereret, eam tamen illi abrogare non poſſumus, quod, quum impulſum

Curatio.

1) *Compreſſio.*

ſanguinis vehementiorem infringat & vaſis robur inſigne ſuppeditet, celeritatem, qua alias tumor increſceret, retardet, & rupturam ſacci adeo pernicioſam aliquantum impedire valeat. Eo etiam hæcce methodus ſeſe commendare videtur, quod, cum, occluſo vulnuſculo, curſum torrentis per vas læſum aliquantum detineat, is ad minora vaſa ſuperius prodeuntia & magis dilatanda derivetur, atque adeo membrum ad perfectiorem curam recipiendam quaſi præparet.

Cautelæ circa compreſſionem. Cave vero credas, in omni caſu compreſſionem his dictis præditam eſſe emolumentis, & ſine ulla noxæ formidine adhiberi poſſe. Ut enim taceam, eam in majoribus veris vix curam perficere, vel adhiberi debere, ſi corruptela quædam generalis vaſorum contextum alteravit; tumore in anguſtias reducto, in alium locum appulſa unda, ſimiles jam pluresque formabit tumores. Si vero ſpuriorum indolem jam induit tumor, nunc citius diſrumpendus, vi externa inſuper addita, multo celerius diſſiliet, ſanguinemque late diffundet. Præterea, cum conſtrictio iſta ab una tantum parte incrementum cohibeat, nec impediat, quominus intumeſcentia ad latera & ſurſum atque deorſum augeatur, certo plures arteriæ ſurculi ſupra vel infra tumorem prius exeuntes, deſtruuntur, quo omnis ſpes operationis inſtituendæ cunctatione noſtra ſufflaminatur. Neque in ſpurio majore & vetuſtiore laudata medicatio tentari debet, nam cutis inde citius exulceratur, ſuppurationes clandeſtinæ ſæpe circumcirca formantur, ſaccus inorganicus atque vas ſubjacenti oſſi adcreſcunt, & valde eſt metuendum, ne os ipſum eo ſenſim corrodatur. Obſervavit præterea ill. Acrel ſanguinem effuſum brevi putredinem contrahere, unde vaſa ita macerantur, ut poſtmodum ligaturam non ferant. Ultra menſem hac ex ratione, ſi vires, ætas & habitus corporis ægri ſanior conceſſerint, hicce Operator conſummatiſſimus operationem Aneuryſmatis ſpurii non differendam dictitat.

Compreſſionis ſpecies. 1) faſciæ. 2) membrum comprimentes. Duplici ratione ſolent hanc Chirurgi inſtituere compreſſionem. Vel enim totum membrum faſciis conſtringunt, vel machinamentis ſingularibus, in tumorem ipſum agentibus, eum reprimere tentant. Si faſciis utendum, ſplenia, (quorum exteriora majora eſſe debent, intimum autem minimum, &, ſi ipſa arteria vulnerata eſt, corpore quodam duro, ut moneta, inſtructum), tumori ipſi impoſita, faſcia circulari ita ſunt retinenda, ut locus affectus ſimul ſufficientem ſuſti-

neat preſſionem. Cel. GUATTANI (*a*) vero deligationem ſequenti ratione ordinandam proponit. Aneuryſmate ſpleniis quibuſdam craſſioribus primum obtecto, duo longiora in formam crucis, cujus extrema ad oppoſitum latus vergunt, prioribus imponi, hisque alium craſſiorem & longum pulvillum ad ductum ipſius arteriæ ſuperne adaptari jubet. Faſcia autem, qua membrum a loco affecto ad alterum ſuperius extremum crebris circumvolutionibus obvolvitur, ita adſtringi cupit, ut in Aneuryſma quidem maximam, in totam tamen arteriam ſuam vim etiam exerceat. In poplitis e. gr. Aneuryſmate ad inguen uſque faſcia adſcendere oportet. Totum apparatum, ægro tranquille in lecto ſemper cubante, aceto (cujus loco alii acetum ſaturninum, vel alia decocta, ad reſolvendum, ſi fieri poteſt, coagulum coacervatum proficua, commendant,) humectat & poſt 18 vel 20 dies illum novo, fortius applicando, commutat: ſi vero pars inferior non deligata tumere incipit, venæ ſectionibus repetitis uti ſuadet. Et ſic trium menſium, immo 50 dierum ſpatio, graviora Aneuryſmata ſanata fuiſſe perhibet laudatus Auctor. Similem ampliorem & protractam compreſſionem BERNHARDUS GENGA (*b*) commendavit: ſi vero, ſuaſu hujus & cel. THEDEN (*c*) totum membrum, ab inferiore extremo incipiendo, conſtringimus, tumefactionem œdematoſam, de qua GUATTANI loquitur, evitari poſſe perſuadeor. b) *Involventes membrum*.

Inſtrumenta plurima ad tumorem apte comprimendum inventa, illud præcipue ſibi vindicant, quod in locum affectum præſertim agentia, totum artum non torqueant, nec ſanguinis per minores ramos curſui, ut faſciæ, obſtent. Inter hæc ea, quæ clariſſimi Viri, HEISTER (*d*), SENF (*e*), BOURDELOT (*f*), ARNAUD (*g*), FOUBERT (*h*), RAVATON (*i*), & LEBER (*k*) invenerunt, laudes practicorum ſunt adſecuta. Vereor tamen, ne, cum quædam in 2) *Inſtrumenta*.

(*a*) De externis Aneuryſmatibus, Romæ 1772. p. 129. (nobis).
(*b*) Anatomia Chirurgica lib. 2, p. 213. Bologna 1739.
(*c*) Neue Bemerkungen und Erfahr. p. 1 & ſeq.
(*d*) Inſtit. Chir. Tab. V fig. 6. Tab. XI fig. 8 & 9.
(*e*) PLATNERI Inſtit. Tab. II fig. 10.
(*f*) DIONIS cours de Chir. p. 697.
(*g*) Mémoires de Chir. Tom. I, Tab. IV, V.
(*h*) l. c.
(*i*) Pratique moderne T. 3, Pl. 18.
(*k*) PLENCK Sammlungen Tab. I, fig. 1.

nimis circumſcriptum agant locum eorumque vis comprimens minus limitari poſſit, in graviore caſu ea ad eruptiones citatiores tumorem diſponant, vel etiam, ob eorum majorem efficaciam, (quod tamen ſi rami collaterales quantum ſatis ſunt dilatati, non nocebit,) ipſa trunci latera adeo comprimant, ut ipſum ejus cavum demum coaleſcat. Si vero torculari ill. ACREL, tam ob ſimplicem ſuam ſtructuram, quam mitiorem actionem maxime commendabili, una cum faſciis minus adſtrictis utimur, ſpes affulget, fore, ut tam membri totius noxia preſſura, quam arteriæ coalitus & Aneuryſmatis ruptura optime avertatur. Inter remedia externa, ſcopo reſolvendi ſimul uſurpanda, fruſtula glaciei & aqua glacialis, cujus repetita applicatione Aneuryſmata minora ſpuria perfecte curata fuiſſe cel. TH. BARTHOLINUS (*a*) & DON. MONRO perhibent, principatum tenent. Ea tamen in genere erit obſervanda regula, quod, cum omnis ſalus a continua tantum & æquali compreſſione ſit exſpectanda, rariſſime apparatum ſolvamus, omnesque inutiles tumoris palpationes ſtudio fugiamus. Damna, quæ inde excitari poſſunt, paſſim apud Auctores enumerantur. Repetitis quoque venæ ſectionibus atque quiete, ſanguinis ebullitiones & impetuoſiores in locum affectum inſultus impedire oportet, quum tota hac methodo id agamus, ut, quod ratione ſolidorum deficiebat, nunc fluidorum reſpectu aliquantiſper compenſetur, &, vulnuſculo, ſi quoddam adeſt, conſolidato, membranæ vaſorum contrahantur, demumque contractæ, priſtinam recuperent firmitatem.

2) *Operatio chirurgica.* Sed ſi ad ipſam operationem confugiendum, cardo rei in eo vertitur, quod cute inciſa & omni coagulo, in vicinia tumoris inveniendo, ablato, arteria prope læſionis locum, ſecundum artis *Arteria vel ligatur* præſcripta ſupra & infra locum affectum, ita ligatura conſtringatur, ut ſanguini appellenti & per concurrentia vaſa refluenti obex ponatur. Eam vero in truncis inſtituendam conſtrictionem, quamquam nullum communiter minetur damnum, nonnulli recentiorum valde metuerunt. Nam, ſi rami ſupra locum affectum emiſſi, tantam cum inferioribus non ſervant communicationem, ut ſufficiens per eas quantitas ſanguinis ad inferiora non delabatur, inevitabili gangrænæ peri-

(*a*) Med. obſ. de nivis uſu, cap. 27, pag. 154. Hafniæ 1661. MATANI l. c. pag. 174. nobis pag. 356.

periculo ſubjicitur membrum. Hoc ut impediatur, utque omnia alia incommoda, ligaturam concomitantia evitentur, arteriæ ipſi denudatæ & a ſacco ſuo præternaturali liberatæ compreſſionem, (cum cauſticorum uſus expertiſſimorum chirurgorum conſilio ſit rejectus,) applicandam curarunt; firmiter ſibi perſuadentes, apta ejuſmodi & moderata compreſſione vulnuſculum ipſum arteriæ claudi poſſe, ſimulque lumen ipſius pervium conſervari. Id ut impetrent, ſtipticum quoddam, chartam maſticatam vel agaricum vulnuſculo imponunt, & porro cavum ipſum ſpleniis graduatis vel lineamentis carptis ita replent, ut, conum inverſum referens, ſuperficiem ad duos digitos ſuperet; tumque demum faſciam applicant. Summam vero curam in eo ponere ſuadet cl. PLENCK, ut torcular, quo ſanguinis fluxus ab initio operationis cohibetur, jam non illico perfecte, ſed ſenſim relaxetur, uſque dum pulſus infra affectum locum ſentiri incipiat; quo hac moderata compreſſione libera quidem ſanguini per vas pateat via, ſed per vulnuſculum effluxus ejus ſimul cohibeatur. Hac encheireſi caute adhibita, 8 vel 4 ſeptimanarum ſpatio totum vulnus, ſuperſtite pervia arteria, conſolidatum fuiſſe cl. PLENCK, MORAND, alii narrant (*a*). *vel nuda comprimitur*

Proſperum quidem hujus methodi ſucceſſum in dubium vocare non audeo, an vero ea unquam lumen arteriæ apertum conſervari poſſit, adcuratiorem eo magis diſquiſitionem poſtulare credo, cum ſine hac prærogativa, illa in communi caſu ligaturæ præferri non mereatur. Levi digitorum preſſuræ magnarum etiam arteriarum parietes facillime cedere, eaque effluxum ſanguinis ſtatim intercipi obſervamus; quo phœnomeno in eam ducor ſententiam, ut cum ill. RICHTER (*b*) exiſtimem, compreſſione, quam raro ad votum limitare poſſumus, quæque tamen ſemper fortior erit illa, quam digitis noſtris caute applicamus, vas ipſum perfecte claudi & eadem ratione ac in ligatura adhibita hæmorrhagiam ſupprimi; leviſſimam autem & ſanguinis curſum non impedientem conſtrictionem ejus impetuoſo impulſui neutiquam reſiſtere. Huic quidem opinioni quiſpiam id objicere poteſt, quod pulſus infra locum morbo cor-

(*a*) Mém. de Chir. Tom. 2, Com. litt. Norimb. 1732, p. 107. Acta Phyſico-Med. Acad. Cæſar. vol. VIII, obſervat. 126. Vol. X in appendice p. 354.

(*b*) Legantur animadverſiones ejus pulcherrimæ de hac materia in Tom. 2 & 4 Bibliothecæ Chirurgicæ paſſim admixtæ.

reptum cito perceptus clare demonſtrare videatur, ipſum truncum pervium eſſe, & ſanguinem ad inferiora propellere. Cum vero ſæpiſſime ramos ſic dictos collaterales in ſtatu ſano ſolito majores anaſtomoſes formare obſervemus, hique inſuper ſub curriculo morbi, ante ſuſceptam operationem ſenſim dilatentur, atque etiam nonnunquam, poſt aliquot horas, dum ligatura truncus præcluditur, pulſus in imo cubito ſentiatur, neſcio ſane, quid impediat, quominus eandem hic etiam explicationem admittere debeamus. Conceptu præterea difficillimum eſt, quomodo in caſibus a cl. Plenck allatis, arteriæ vulnus tam cito atque firmiter conſolidari potuerit, cum alias a nimis cita relaxatione in omni læſione horum vaſorum Aneuryſmata generentur. Fruſtra itaque, ſi firmam compreſſionem inſtituimus, conſervationem arteriæ exſpectamus, in leviore autem, qualis ad ſcopum obtinendum requiritur, hæmorrhagiæ repetitæ, quæ chirurgi animum quam maxime ſollicitant, atque etiam ægrum ad ultimam ſæpe metam detrudunt, vix evitari poſſunt. Leviore, ſub ſomno, motu brachii, quo compreſſio aliquantum fuit perturbata, binos ægros Montiſpeſſulani, vigeſimo poſt operationem die, hæmorrhagia exitiali correptos fuiſſe mihimet narravit cel. Præſes. Præterea, in Aneuryſmate vero genuino & mixto ſpecialis hæcce in arteriam compreſſio vix adhiberi poteſt. Meo igitur judicio, ne vitam ludibrio exponere videamur, eo in caſu tantum hæcce methodus adhibenda, quando, ut ill. Acrel & cel. Guattani experti ſunt, arteriæ velamenta adeo macerata ſunt, ut filorum contractionem ferre nequeant, vel arteria adeo profunde jacet, ut difficulter acus circumduci poſſit. Sed ea ratione tum ſimul eſt dirigenda, ut vaſis parietes arcte compreſſi quantocyus concreſcant.

Hîc in deſcriptione operationis, ne nimis a propoſito noſtro abducamur, ſubſiſtendum (*a*). Id tantum monere oportet, quod in quocunque individuo de exitu conaminum noſtrorum felici nec nimis cito nobis gratulari, nec etiam, præconceptis opinionibus nimis ſæpe indulgentes, in vaſorum primæ magnitudinis, ut carotidis & femoralis arteriæ, læſionibus, animum ſtatim abjicere debeamus. Experientia quidem & contemplatione corporis humani adcuratiore didicimus, brachialem, radialem, cubitalem; porro, popliteam, tibiales,

(*a*) Cel. Viri Dionis, Platner, Heister, Maggill, Alex. Monro, Bertrandi &c. optime eam deſcripſerunt.

peroneas, manus atque pedis arterias magnas per ſuas propagines communiter inire anaſtomoſes : eas tamen quandoque ad omnem, quo membrum opus habet, devehendum ſanguinem non ſuffeciſſe, gangræna in frigidis extremis oboriens, totumque demum membrum depaſcens, triſti non minus quam luculento indicavit teſtimonio. Ita etiam, licet vulnerationes arteriæ femoralis, ob profundiorem ejus ſitum, magnitudinem & parum adhuc deſcriptas inter ejus propagines communicationes, inter funeſtiores, immo funeſtiſſimas collocari ſoleant, eas tamen abſolute lethales vocare, illaque præſidia, quæ in Aneuryſmatibus curandis commendavimus, non tentare, tanto magis vituperio dignum eſſe reor, cum probatiſſimæ fidei Auctores, feliciſſimo cum eventu ejuſdem conſtrictionis exempla in faſtis ſuis adnotarint.

Ne igitur naſutuli, dente famam aliorum malevolo ſæpe rodentes, fidem obſervationibus his ex inconſulto derogare in poſterum audeant, propius jam ad inſtitutum accedens, per ipſam anatomen demonſtrare conabor, in femore tantam ramorum communicationem obſervari, ut tuto truncus variis in locis deligari poſſit.

SECTIO SECUNDA.

PARTICULA PRIMA.

DESCRIPTIO ARTERIARUM FEMORIS.

Quum in adcuratiore arteriarum Femoris deſcriptione exhibenda noſtras jam periclitari vires debeamus, delineationem ſtatim ſitus ejuſdem atque curſus, licet notiſſimam, præmittere cogimur, quo loca exitus atque ortus ſingulorum ramorum liquide indicari poſſint. Inter ligamentum ſcilicet Fallopianum ad os ileum & pubis expanſum & pſoam tranſeuntem atque iliacum internum, cavum quoddam invenitur, nervis cruralibus, vaſorum lymphaticorum faſciculis, venæ femorali atque arteriæ, ex abdomine elabenti, viam aperiens liberam, ſed glandulis inguinalibus & tela cellulari, adipe abunde immixta, perfecte demum oppletum. Muſculi vero, inter ſe prius arcte concreti & introrſum ad trochanterem femoris minorem procedentes, infimum & extimum cavi locum occupant, hiſque, vel præcipue

carni tendinoſæ, quæ pſoæ debetur, arteria, vena atque nervi, eo ordine imponuntur, ut nervus cruralis extimum locum, arteria medium, vena vero, quæ arteriam aliquantum obtegit, quam vero poſtea ſupergreditur, intimum occupet. Tranſgreſſo jam pelvis margine anteriore, arteria, faſcia lata & tenaciore celluloſitate tantum tecta, ampullam Albinianam, inſignem inter prædictos muſculos atque pectineum foveam implentem, offendit, eamque oblique retrorſum & extrorſum, receptam a primo ortu directionem ſemper ſervatura, tranſcendit. Hîc vero arteria, quam *Femoralem communem* appellare mos eſt, longitudinem duorum circiter pollicum emenſa, in medio iliaco retrorſum bipartitur. *Poſterior* ejus productio ex averſo trunci latere emittitur, & mox retrorſum & paulo extrorſum ita pellitur, ut in declivitate inter muſculorum hîc ſitorum fines, femurque ipſum occultetur, atque ad poſteriora femoris excurrere cogatur. Altera vero, *ſuperficiei* multo vicinior, tranſgrediente tantum ſartorio in medio femore obtecta, ad internum vaſtum inclinat, inter eum & inferius adductoris longi atque magni extremum, duas tertias femoris percurrit tumque demum communem horum muſculorum tendinem pertundit & ad poplitem oblique extrorſum defertur. Primam arteriam ſub *Femoralis profundæ* nomine novimus, alteram *ſuperficialem* appellare ſolemus.

Ante hanc ſubeundam diviſionem *Femoralis communis* multos, etſi minores & vario modo ludentes, largitur ſurculos (*a*). Horum *nonnulli* cuti abdominis ſuper ſpinam, inguiniſque adipi & glandulis inguinalibus frequenter immerguntur; *alii*, ligamentum Fallopianum paſſim tranſcendentes, in cute abdominis & inter muſculos ejuſdem oberrant; *alius*, ſæpe duplex, tranſverſim ad ſartorii originem, criſtam ilei, iliacum internum & gluteum medium tendit; *alii* demum, in iliaco interno, pſoa, pectineo atque tricipite ſeſe perdunt. Hi omnes jam communes, ſed pauciores formant trunculos, jam vero ſinguli ſeorſim exoriri ſolent.

Sed his, tam loco exitus, quam diſtributionis ratione, valde variantibus, multo memorabiliores ſunt arteriæ, quas proprie *Pudendas externas* nominare ſolemus. Numero ſæpe tres ſunt, omneſque tranſverſim ſupra pectineum atque adductores excurrunt. *Superior*

(*a*) *Epigaſtricam* & *Abdominalem*, ex *Iliaca* ortas, femorali adſcribere non lubet.

earum ſuper montem veneris genitalia attingit, & in abdominis vicini adipe circumludit, altera *inferior* major, in penis cute ad præputium uſque deſcendit, inque ſcroti celluloſitate, vel in muliebrium labiis & clitoridis præputio ſurculis deſcendentibus finitur. *Tertiam pudendam* quandoque etiam obſervamus, priori ſimilem, ſed inferiorem, ut etiam infra diviſionem primariam demum propullulet. Hæc adductores tranſcendens, cutim adit, ad ſcrotum profundius adrepit, cumque *ramis obturatoriis, circumflexa, pudenda ſuperficiali hypogaſtricæ* & priori arteria communicationes plures inire ſolet.

Sed ad Femoralium (*a*), & primum Profundæ ſpecialiorem nos jam accingamus deſcriptionem. Hæc in cavo ſupra dicto ante & ſupra trochanterem minorem exorta, & adipe atque abundanti tela cellulari undique obvelata, mox ſupra iliacum internum ex tranſverſo ad cruralem muſculum adque vaſti interni ſuperiorem ſedem dirigitur; tum vero inter adductoris brevis & longi extrema inferiora atque os femoris deorſum flectitur, demumque in binas tresve magnas arterias, muſculos perforantes, citius tardiusve fiſſa, inter muſculos poſteriores femoris longe lateque diſpergitur. Si vero, ut ſæpe fit, truncus communis altius prope ligamenti oram ipſam diviſionem ſubit, obliquo ductu, nec tranſverſo, profunda arteria reclinatur, tumque ramorum nonnulli, huic alias adſcribendi, a femorali ſuperficiali ortum trahere ſolent, ſicuti etiam illa, nonnullos ex ſupra deſcriptis, a trunco communi, vel ſuperficiali alias oriundos, ex ſinu ſuo emittit. Non procul ab origine, ramis, ſed minoribus, ad iliacum, vaſtum externum, cutem & adductores ejectis, & varia ratione circumrepentibus, atque etiam cum circumflexis coëuntibus, *Circumflexas*, *externam* & *internam* plerumque eodem loco ablegat; quarum *externa* extrorſum tranſverſim & poſtea retrorſum ducitur, *altera* vero profunde introrſum atque pone femur extrorſum flectitur.

Circumflexa ſcilicet *externa*, ſi vel ab arteria *profunda* vel *ſuperficiali* oriatur, ſupra iliacum internum osque ipſum tranſverſim, ſub recto anteriore, ſartorio, tenſore faſciæ latæ atque glutei medii ora anteriore, ad vaſtum externum propellitur, tumque ſub ejus tendinea origine, paulo infra trochanteris majoris radicem, ad exteriora circumducitur. Ea vero in plures ſtatim quaſi radiatim excurrentes,

(*a*) Qui ſynonima arteriarum ab Auctoribus uſitata ſcire amant, ditiſſimum Illuſtr. Halleri penum, in Iconibus ejus coacervatum, adeant.

adeoque adſcendentes, tranſverſos & deſcendentes dividitur ſurculos, quos eo ordine, quo excurrere ſolent, a ſuperioribus incipiendo, enumerare convenit. Adcuratius re examinata, trunculus ipſe, minutis ſurculis ſartorio, vaſto externo & recto datis, in duos diſpeſcitur ramos, quorum ſuperior *tranſverſus* eſt & interdum a profunda ſeorſim provenit, inferior *deſcendit.* Ille vero vix exortus, valde dividitur & exhibet; 1) *Surculum* ſub iliaco muſculo ad internum femoris latus projectum & ad trochanteris minoris ſedem ramulum *circumflexæ internæ* recipientem. A profunda ſeorſim etiam oriri eum obſervavimus. 2) Tum *alium* iliaco præbet interno, in hujus muſculi carne pelvis oram tranſcendentem. 3) Porro *alium* profundum, quem *trochantericam anteriorem* appello, ſuper iliacum internum tranſverſim, & porro, inter rectum vaſtique externi anteriorem oram, recta in trochanteris majoris anteriore facie ad ejus ſupremum faſtigium tendentem, gignit. Hic iliaco, vaſto externo, adipi, oſſi, capſulæ & gluteo minori, illum ſuperius obtegenti, arterias exhibuit, & cum *trochanterica poſteriore* in foſſa ejuſdem nominis anaſtomoſin iniit. 4) Jam iterum inter iliacum externum & gluteum minimum *ramum* proſerpentem, & demum in externa pelvis facie oberrantem vidimus, egregia anaſtomoſi cum ramo *profundiſſimo iliacæ poſticæ* junctum. 5) Nunc *alii* plures tenſiorem faſciæ latæ, gluteum medium & nonnunquam glutei maximi anteriorem portionem cutemque adeuntes, oculis ſe offerunt. Solent vero hi omnes ex prioris communi trunco quandoque pronaſci, jamque numeroſiores, jam pauciores ſubire diviſiones. 6) *Duo* vel *tres* rami demum inter os & vaſtum externum, circa radicem trochanteris, tranſverſim ad poſteriora flectuntur, & cum *perforante prima* atque *trochantericæ poſterioris* ramo deſcendente communicant. Hi quoque vaſto externo & crurali ſurculis proſpiciunt, & nutritias minutas femori mittunt plures.

Alter ramus, *deſcendentis majoris* nomine inſignitus, inter muſculum cruralem & rectum ad oram vaſti interiorem projectus, inter hoſce binos muſculos longe deſcendit, tum vero a vaſto ipſo obvelatur cumque illo ad patellam uſque defertur. Eſt certe ob anaſtomoſes ſuas notatu digniſſimus ramus. Quam primum enim inter rectum & cruralem ſeſe contulit, vel paulo ſerius, 1) *ramum* edit magnum, mox multifidum, recti anterioris averſæ ſuperficiei im-

merſum. Hic in muſculo iterum varie diviſus, ſurculo quodam ſat inſigni & longe deſcendente in interno femoris latere cum *ramo anaſtomotico magno femoralis ſuperficialis*, per vaſtum internum huc ejecto & recti inferiorem finem adeunte, communicat. Sed hicce ramus a *ſuperficiali* ipſa ſæpe naſcitur, & interdum duplex eſt. 2) Porro edit *ramos tranſverſos* incerto numero, 3 ad 6, in ipſa carne vaſti externi ſub deſcenſu trunci paſſim oborientes, ſed tendineo tantum muſculi ſtrato tectos. Hi ipſi, in muſculo occultati, ad poſteriora conflectuntur eorumque ſuperiores ſurculi cum *ramis tranſverſis externis perforantis primæ*, inferiores autem cum *ramo exteriore perforantis ſecundæ* ſurculis tranſverſis communicant. Sed vaſtus externus ab hiſce ramis multas accipit arterias.

Verum ipſe truncus *deſcendens major*, qui circa femoris inferius extremum dimidiæ vel tertiæ partis lineæ diametrum communiter vix ſuperat, quandoque tamen pennam columbinam craſſitie æquat, memoratu digniſſimis circa genu irretitur arteriis. *Nutritia* ſcilicet major retrograda, ſupra *articulares* a *ſuperficialis perforante inferiore* nata, & perforato bicipite brevi, in vaſti externi carne tranſverſim reflexa, prima eſt arteriarum communicantium. Ea vero adeo interdum magna eſt, ut in ipſo nexu trunculorum diametrum lineam æquaſſe obſervaverim. Cum *articulari ſuperiore externa* quoque in vaſti externi carne, porro eodem loco, cum *articularis mediæ* (ſi adeſt,) ramo exteriore, tumque ad limen exterius tendinis recti anterioris prope patellam cum *reti vaſculoſo* circa patellam circumfuſo jam paucioribus, jam vero pluribus & inſignioribus nectitur ſurculis. Denique *ramulus* quidam hujus arteriæ, inter cruralem & recti tendinem ad vaſtum internum delapſus, cum *articularis internæ ſuperioris* propaginibus alioque, ſæpe inſigni, a *ramo anaſtomotico* magno nato, inoſculatur.

Sed aliam arteriam prope priorem, quam *deſcendentem minorem* nominare placet, a *circumflexa* ſub recto ad vaſtum internum ſæpe ejectam fuiſſe vidi, quæ ſartorium & vaſtum internum pluribus adiit ramis & in hujus carne *nutritiam* edidit, in interno oſſis latere circumrepentem. Hæc ſub tricipitis tendine in poplite cum *perforante inferiore arteriæ femoralis ſuperficialis* coiit. Trunci vero ipſius ultimos ramulos, plures inter ſe habentes conjunctiones, in carne vaſti ſubſtitiſſe obſervavi. Sed deſcendens hæc altera non ſemper

eundem tenet curſum. Alias enim cruralem muſculum penetrat, & per vaſtum externum ad poſteriora flexa, a *perforantis ſecundæ ramis exterioribus tranſverſis*, *art. profundæ*, recipitur; alias communem cum ramo ad rectum trunculum conficit. Ill. Haller in Faſc. v, pag. 14, nota 5, ad verba, — *alium grandem ramum vaſto interno & crurali dat*, — diverſam de eadem exhibet deſcriptionem, quod nempe, tam ad internum, quam externum femoris latus excurrat, & ab una parte cum *articularibus* coëat, ab altero vero cum *femorali ſuperficiali*. Sed eandem etiam a femorali ſuperficiali proveniſſe, & inter vaſtum internum atque cruralem longe deſcendiſſe, quo cum ramo quodam a poplitea reflexo, coiret, obſervare mihi contigit. Hic ſub ſuo decurſu ramos tranſverſales exhibuit, per cruralem ad vaſtum externum penetrantes, veluti in carne hujus cum *perforantis primæ & ſecundæ* ramis tranſverſalibus & *popliteæ externis* ſurculis conjunctionem inire voluiſſent.

Circumflexa interna altera eſt arteria a Profunda nata, cujus vero curſus eo difficilius indagatur, cum ipſa profunde inter muſculos circumgyret, nec minus ſurculi ejus inter muſculorum adjacentium latebras conflectantur. A latere interno & poſteriore trunci prope priorem exiens, (niſi ſit ſuperficialis, ut interdum, ſoboles,) confeſtim ex tranſverſo, ſupra trochanterem minorem, ad mediam pectinei oram, ſpatium quod tendinem pſoæ & hunc muſculum intercedit penetrat, atque adeo inter collum femoris, prædictos muſculos, obturatorem externum atque acetabulum ad poſteriora prope oſſis iſchii tuber flectitur. Huc demum delata, dum ultimam ſuam ſubit diviſionem, ex interſtitio quadrati femoris & adductoris magni elabitur; & ſub flexorum tendinibus atque quadrato femoris ſuas ejicit propagines. Sequentes vero hoc ſub arteriæ decurſu gignit arteriolas. Antequam a pectineo tegitur, *rami* quidam ad iliacum internum, pectineum atque capſulam tendunt: tum *alii* ad adductorem brevem, longum, gracilem pectineumque, in hujus ſuperficie paſſim cum arteriola *ſuperficialis* coëuntes. *Pudendæ inferioris* emiſſaria quendam horum ſurculum etiam edidiſſe vidimus, qui ad perioſteum pubis ſcrotumque venit & cum ramo adſcendente *obturatoriæ* anaſtomoſin habuit. Pectineus porro, paulo profundius, atque triceps novas recipiunt arterias, ut & capſula articulatoria alias, retrorſum exeuntes, ex quibus una prope trochanterem cum *profunda* conjungitur. Dum

vero

vero truncus in valle inter caput femoris & trochanterem minorem occultatur, primariam ea ratione ſubit diviſionem, ut *ſuperiorem* eumque *anteriorem* ramum tranſverſim ableget, inter tricipitem brevem & magnum ad ſynchondroſin uſque pubis adſcendentem, aliumque *inferiorem* atque *poſteriorem*, qui truncus eſt reliquus circumflexæ circum femoris collum flexus. *Prior* ramum oram acetabuli interruptam intrantem, & ad Haverſii glandulas, cartilagines & ligamentum teres diſperſum edit; tum ramum multifidum ad obturatorem externum; ramos item ad capſulam tricipitemque brevem, & magnum late ſparſos. Inoſculatur etiam aliis ſuis ramis cum ramo exteriore & interiore arteriæ obturatoriæ, demumque in gracili cuteque ultimus arteriæ finis evaneſcit. *Poſterior* cavo articuli, obturatori externo, tricipiti magno ſurculos præbet, & eo momento, quo ſuper trochanterem minorem nexum inter tricipitis magni oram ſuperiorem & quadrati inferiorem ſejungere debet, in duos iterum abit ſurculos. Horum *ſuperior & exterior*, *Trochantericæ poſterioris* nomine inſigniendus, obturatori externo incumbens, oblique extrorſum ad poſteriora oſſis ſub quadrato muſculo circumflectitur, demumque, ad foſſam trochanteri majori interius atque poſterius inſculptam elevatur. Hac via exhibet ramos ad tricipitem magnum, alios ad obturatorem externum, *ramo exteriori arteriæ obturatoriæ* inoſculatos, alios ad quadratum, capſulam articulationis atque os, ut & ramum ſupra altiſſimam tricipitis portionem ad radicem trochanteris poſterius deſcendentem & cum *perforante prima* coëuntem. Variis etiam locis cum adjacentibus aliis arteriis nexus alit notabiles. *Pudendæ* ſcilicet *communis* quoſdam ad muſculos geminos & in tubere iſchiatico deſcendentes recipit ſurculos, alios *iſchiaticæ*, ſub tendinibus flexorum cruris & ad nervum iſchiaticum prolabentes, alios ex ramo *profundiſſimo iliacæ*, in foſſa trochanterica propullulantes. Sed cum ramis denique in eadem foſſa a *trochanterica circumflexæ externæ* natis & cum *tranſverſis* ejuſdem ſurculis ad radicem trochanteris majoris editis, conjungitur.

Inferior & *interior* hujus arteriæ poſterioris ramus in copioſo adipe, flexores cruris a femore quodammodo ſeparante, prope tuber iſchii ad eoſdem adſcendit, & multifidis ſuis ramis tranſverſim ad tricipitem magnum, muſculos flexores omnes & tuber ipſum excurrit, quo loco cum *iſchiatica* & *pudenda* ramis minutis coit.

Sic editis *arteriis circumflexis*, truncus profundæ ad locum ſupra indicatum declinat & communi fini muſc. pectinei, adductoris brevis atque vaſti interni quaſi adglutinatus, ad adductoris longi oram ſuperiorem vel pauliſper ſupra illam excurrere ſolet. Retrorſum vero ex ſinu ſuo emittit arterias, quæ per muſculos ſigillatim evectæ, in poſteriore femore diſperguntur, truncusque ipſe demum reliquus ſimili ratione ad poſteriora defertur. Arteriæ, quas dicunt *perforantes*, & in *primam*, *ſecundam*, *tertiam* & *quartam* diſtinguunt, ex his eæ ſunt, quæ tricipitem magnum poſterius vere perforant. Cæteræ minores, ſi quæ adſunt, his intercedentes, adductorum carne penetrata, in muſculis femori adglutinatis effluunt. Sed communiter binas tantum perforantes obſervamus, ex quibus infima continuatio eſt trunci & vel indiviſa muſculum permeat, vel etiam in duos tresve majores ramos, ſeparatim muſculum pertuſuros, ſejuncta exiſtit.

Perforans prima ſpatium inter pectineum & adductorem brevem, vel ipſum muſculum prope vaſtum internum pervadit tumque inter os femoris adductoremque magnum, quem poſterius offendit, paulo infra trochanterem minorem oblique extrorſum circumducitur & ad pollicis a trochantere majore circiter diſtantiam, hunc quoque muſculum trajicit, ſub gluteo maximo ultimas ſuas propagines emiſſura. Vaſto interno, tricipiti brevi magnoque, quadrato & trochanteri ſub primo ſuo decurſu ſurculos porrigit. Poſtea dimittit *ramum tranſverſum* inter os & tricipitem magnum adrepentem &, tendine glutei maximi trajecto, in vaſti externi carne, novis ſub diviſionibus, cum *circumflexæ externæ* ramis tranſverſis coaleſcentem. Idem vero ramus ab interna parte glutei quoſdam adſcendentes, ad hunc muſculum & nervum iſchiaticum diſtribuendos, & arteriæ *iſchiaticæ arteriis deſcendentibus* occurrentes, edit ſurculos. Porro arteriam *nutritiam* quandam gignit, quæ deſcendit & in ſuperficie oſſis cum *perforante ſecunda* copulatur. Alia, vel ex trunco, vel ex hocce ramo nata, muſculi tricipitis fibras tranſgrediens, cum arteria *trochanterica poſteriore* coadunatur. Dum in vaſtum externum delabitur arteria, perforantes emittit ad faſciam latam cutemque.

Tum *ramum deſcendentem*, peculiari loco, interiore quam truncus, adductorem magnum perforantem progignit, qui ad flexorum occultatam ſuperficiem decurrit. Hic ex unico, ſed mox multifido trunco cuique flexorum & tricipiti magno plures largitur ramos, & ſæpe

adeo longe excurrit, ut demum in ſuperficie horum & in profunditate carnis paſſim cum recurrentibus ramis *perforantis ſecundæ* &, deficientibus his, cum *perforante ſuperiore arteriæ femoralis*, huc quoque delata, anaſtomoſes ineat. Sic *perforans prima*, quando craſſior, ramis ſuis deſcendentibus officia *perforantis ſecundæ* implet & anaſtomoſes cum *perforante* ſuperficialis trunci format notatu digniſſimas. Plerumque tamen *perforantis primæ* rami non ultra primam tertiam partem flexorum excurrunt & in ea regione cum *ſecundæ* reflexis arteriis unice copulantur. A circumflexæ internæ ramo inferiore pronatos fuiſſe vidimus, jamque in ſolum tricipitem excurriſſe, jam vero in ſemimembranoſum, bicipitem, nervum atque etiam glutei maximi inferiorem carnem. Quandoque etiam nonnulli rami, tam ex *perforante prima*, quam *ſecunda*, in tricipitis magni nervique ſuperficie obambulant, & varias pulcherrimas formant cum *inferioribus* huc reflexis arteriis anaſtomoſes.

Perforans ſecunda ſpatium perforat adductoris longi & brevis, vel etiam adductorem longum, tum vero inter femur & adductorem magnum extrorſum & deorſum oblique contorquetur, atque demum ex eo muſculo prope lineam aſperam in medio femore oblique exſurgit. Sed, ſicuti ſupra notavimus, contingit nonnunquam, ut arteria ſub hoc ſuo inter muſculum vel demum bicipitem brevem atque femur reptatu, binis vel tribus aliis locis, ſed interius quam truncus, notabilibus ramis tricipitem pertundat, *perforantium* nomine etiam inſigniendis.

In deſcribendis ab hac perforante ſubortis ſurculis, de iis primum agamus, qui, antequam trunculus extra tricipitem emittitur, propullulant. Et hi ſunt, 1) *rami* ad vaſtum internum & adductorem longum; 2) *ramus* alius ad vaſtum internum tendens & *duas nutritias*, adſcendentes & deſcendentes, cumque *nutritia magna* coëuntes, gignens; 3) *rami* in adductore magno pluribus locis rareſcentes; 4) *ramus* ad trochanterem adſcendens cumque *perforante prima* & *trochanterica* communicans; 5) *ramus exterior ſuperior tranſverſus*, paulo infra glutei magni tendinem ad vaſtum externum circumflexus; in quo muſculo, datis prius vaſto externo & cuti arteriolis, cum *ramis* tranſverſis arteriæ deſcendentis majoris *circumflexæ externæ* variis locis coit: 6) *ramus exterior inferior*, duobus digitis infra trochanterem natus. Hic, ob *nutritiam magnam* femoris ſuperiorem, quam gignit, memoratu digniſſimus, oblique ad bicipitis brevis ori-

ginem circum os excurrit, eoque trajecto, a vaſto externo conditur, quo in ejus carne arteriæ *deſcendentis majoris inferiores* tranſverſales ſurculos, ad patellam uſque ſæpe delabentes recipiat. Ipſa etiam non raro ad patellam excurrit & cum articularibus anaſtomoſes varias init. Sed ramus, quem proprie *nutritiam* appellamus, in duas iterum abit arterias, quarum *exterior* in ipſo oſſe ſeſe abdit, altera *interna* in linea aſpera longe deſcendit, quo cum *nutritia inferiore*, a *perforante inferiore* femoralis ſuperficialis nata, prius conjungatur. Obſervare vero hîc convenit, ramum *exteriorem inferiorem* ipſamque *nutritiam* nonnunquam ex arteria *profunda*, propriis trunculis, adductorem brevem perforantibus, ſcaturire, tumque prædictum curſum ſeorſim expedire. 7) *Rami* exeunt, partim in capite brevi bicipitis conſumti, partim vero, perforato hoc muſculo, in vaſto externo cum *ramo* majuſculo *arteriæ femoralis* coëuntes.

Reliquum truncum jam extra tricipitem magnum ſub flexoribus conſpicimus, ubi mox bipartitur, quo tam flexoribus externis, quam internis propagines ſuas porrigere queat. Adit ſcilicet ſemimembranoſum, ſemitendinoſum atque bicipitem longum brevemque. Quisque ramus, carnem attingens, plus minusve multifidus fit, & nonnullis reflexis ramis cum *perforantis primæ deſcendentibus* coit, aliis vero cum ramo *perforante ſuperiore ſuperficialis* copulatur. Plures in nervo iſchiatico adjacente excurrunt.

Si plures adſunt *Perforantes*, qua demum cunque ratione exoriantur, hæ priori ſimilem pone flexores ſubeunt diviſionem inque illis ſurſum & deorſum inter ſe communicant.

Femoralis superficialis, quæ detracta cute a faſcia lata tantum obtegitur, & inter vaſtum atque tricipitem ad poplitem vergit, ante ejus per tendinem communem, in quo obliquus quaſi canalis pro arteria recipienda exſculptus eſt, immerſionem, ramos numeroſos minutos incerta ratione ad glandulas inguinales, ſartorium perque hunc ad cutem, ad vaſtum internum, adductorem longum & brevem atque gracilem anteriorem dimittit. Sartorius ſigillatim & gracilis 4 vel 6 novos accipiunt ſurculos. Sed omnium maximi ſunt ii, quos rectum anteriorem & cruralem adire ſupra diximus, qui vero, crebro a *profunda* enati, hîc ſæpiſſime deſiderantur.

Jam vero arteria, indicato loco ſeſe abditura, vel ad ipſum poplitem delapſa, notabiliores, conſtantiores & magnos edit ramos,

quos ſequenti ordine frequenter ſuum abſolvere curriculum obſervare contigit.

1.^mus *Ramus anaſtomoticus magnus* eſt, qui, ex interna trunci facie, ſub tricipitis tendine communi oboriens, iterum ad hunc tendinem ſurſum reflectitur, & eo pertuſo, in interno femoris latere ſub vaſto interno ſerpentinis flexionibus & multiplicatis ramis oberrat. Exhibet ſcilicet, ante immerſionem, *arteriam*, quæ ſartorii carnem adit cutemque, atque *aliam*, quæ ſartorii tendinis lateri exteriori adpoſita, commiſſuram genu tranſcendit, in crure ſæpe longe deſcendit, vel, ad anteriora reflexa, in cute & faſcia lata, crus circumcingente, partim evaneſcit, partim etiam cum *articularibus inferioribus* atque *recurrente tibialis anterioris* inoſculatur. Ad tricipitem & flexores cruris ramos emiſiſſe illuſt. Haller narrat. Sæpe etiam ramus, qui ſartorium comitatur, ſeorſim a poplitea oritur. Sed trunculi a vaſto interno recepti propago, *arteriam* edit, muſculum prope rectum iterum penetrantem, quo arteriæ a *circumflexa externa* natæ, & e recto prolabenti occurrat. Hanc ſæpe duplicem & ad patellam uſque in ſuperficie muſculorum deſcendentem vidi, fuitque valde arteriis *articularibus internis* irretita. *Multi* porro *rami* in vaſto interno conſumuntur. *Alius* demum infimus hujus trunculi ramus in comitatu tendinis tricipitis, quo tamen obtegitur, ad genu tendit, & ſub curſu ſuo arteriam gignit, quæ ſub ligamento laterali in perioſteo condyli ad extenſorum tendinem communem, & ſuperato illo, ad condylum externum properat. Sic totum femoris extremum tranſgreditur, &, cum *articulari externa ſuperiore* atque *inferiore* conjuncta, arcum format pulcherrimum, numeroſas arterias cavitati articulationis largiens.

2) *Ramus perforans ſuperior femoralis ſuperficialis* e latere exteriore trunci, jam a tendine tricipitis occultati, exit. Hocce nomen eam ob cauſſam arteriæ injunxi, quum, ad poplitem deflexa, ſæpiſſime tricipitem ſeorſim perforet & retrorſum ad flexores femoris feratur. Simili porro ratione ibi in ramos internos & externos multifidos dividitur, quorum ii, qui in carne vel ſuperficie flexorum adſcendunt, *perforantis ſecundæ profundæ* ramos deſcendentes; qui vero deſcendunt, ſurculos *perforantis inferioris femoralis* reflexos recipiunt. Qui bicipitem longum comitabatur, maximus fuit, & præcipue *perforanti profundæ* injunctus.

3) *Ramus perforans inferior* priori proximus eſt & inſignis ramus, ex trunco, aliquantiſper magis ad poſteriora declinato, oriens. Hic, ab adductoris magni inferiore carne tectus, tranſverſim, paulo ſupra trunci capitalis in poplite delapſum, in ſuperficie poſteriore femoris ad bicipitem brevem fertur; tum vero, perforato illo muſculo, vaſtum externum eo loco, quo conjunctim cum bicipite brevi adfigitur femori, ingreditur. Sic demum ramos plures, licet minutos, *arteriæ deſcendentis majoris circumflexæ* & *articularis popliteæ* excipit, cum quibus varias init communicationes. Nonnunquam etiam alius, ex eodem trunculo inferius propullulans, & primum deſcendens, ad vaſtum ex tranſverſo flectitur, demumque muſculum cruralem attingit, cum *deſcendente altera* coiturus. Sed, dum cavum poplitis hicce *perforans* tranſgreditur, ramum ad muſculum ſemimembranoſum emittere ſolet, qui in ſuperficie carnis cum priore *perforante*, demumque cum *articularis ſuperioris* quodam ſurculo, huc emiſſo, inoſculatur. Sique prior deſideratur ramus, in ipſa femoris ſuperficie ſurculus deſcendit, cum articulari coiturus. *Nutritiam magnam inferiorem* etiam gignit eo loco, quo trunculus a bicipite brevi, varios hîc accipiente ſurculos, occultatur. Hæc alte in ſuperficie oſſis adſcendit &, in plures partita ramos, cum *nutritia altera interna perforantis ſecundæ* irretitur.

Arteriam hanc alteram perforantem duplicem invenire ſemel mihi contigit. Ex trunco paulo inferius propullulabat, & vix emiſſa, nutritiam quandam offerebat, ſub vaſto interno in interiore oſſis facie adſcendentem & cum *deſcendente minore circumflexæ*, *articulari ſuperiore interna* & *ramo anaſtomotico magno* cohærentem. Cæterum nullos ad flexores porrigebat ramos.

Confiteri tamen oportet, binos ultimos ramos in diſtribuendis ſuis ſurculis infinite ludere, ita ut deſcriptione ad quodcunque cadaver adaptata vix, ac ne vix quidem comprehendi poſſint. Ex repetitis tamen meis diſſectionibus id pro certo habeo, duos vel tres, quos *perforantes* appellare vellem, exoriri, hos trunculis ſuis ad externum latus præcipue conflecti cumque rete vaſculoſo genu jungi, nutritiam inferiorem ex iiſdem gigni, & ramos inſuper, nunc pauciores, nunc numeroſiores, communicantes ad flexores cum profunda elevari.

Truncus femoralis prædicto modo ad cavum poplitis per tricipitis tendinem delatus, oblique extrorſum deſcendit, demumque inter condylos femoris, commiſſura genu tranſgreſſa, inter bina gaſtrocnemei capita decurrit, quo poſtmodum ſub ſolei extremo ſuperiore in *Tibialem poſticam* & *anticam* dividatur. Et uſque ad hunc diviſionis locum arteriam Popliteam appellamus. Provida vero natura hoc ſub curſu arteriæ, ad præcavendas, quantum fieri poteſt, injurias externas, non ſolum eam tendinibus flexorum exſtantibus obvallavit, ſed etiam undique copioſo adipe atque demum fortiore aponeuroſi, totum articulum circumvelante, obduxit. Ipſa itaque arteria in cavo poplitis tam profunde latet, ut pulſum ibi tangere non valeamus.

Singularem Poplitea in emittendis plerisque ramis ſuis obſervat rationem. Quinque ſcilicet producens, quas ſupra frequenter citavimus *articulares*, has non ſolum tranſverſim a poſteriore femoris latere ad anterius propellit, verum etiam in earum diſpoſitione eum ordinem obſervat, ut tres ſupra commiſſuram articuli, duas vero infra eandem ſoleat producere. Excurrentium harum vero arteriarum directio, perfecte tranſverſa non eſt, ſed obliqua, & in multis ita diſpoſita, ut *exteriores* verſus truncum ſub angulo acuto reflexæ adſcendant, *interiores* autem deſcendendo poplitem tranſgrediantur. *Articulares* itaque *externo* genu lateri, vel *interno* addictas, in *ſuperiores* & *inferiores* diſtinguunt: quintam, quæ unica eſt, *azygam* ſ. *mediam* appellare mos eſt.

Articularis ſuperior externa, ab externo latere trunci ſupra condylum enata, in perioſteo femoris verſus bicipitis brevis originem adſcendit, qua ſub via minores ſurſum & deorſum perioſteo, capſulæ, bicipiti, immo non raro gaſtrocnemeis porrigit ſurculos. Tum vero ſub bicipitis tendine communi ſe condit & vaſtum externum penetrat inque limite hujus poſteriore ea ratione dividitur, ut unus ramus muſculo profunde immergatur, alter, qui ſæpe duplex eſt & ſuperficiei vicinior, penetrato muſculo, ſubcutaneus in patellæ ſuperficie obambulet. *Profundus* vero, penetrato demum vaſto, cui plures, ut & condylis atque ligamento laterali mittit ramos, in perioſteo condyli externi multifidus circumludit, ibique cum *articulari externa inferiore* & *perforantibus femoralis ſuperficialis* variis locis communicat; tum vero ad condylum internum tranſverſim tendit, quo

articularibus internis occurrat. Alter *ſuperficialis* ramus, dum vaſti externi oram anteriorem penetrat, in ſuperficie tendinis extenſorum communis *deſcendentem majorem circumflexæ* recipit & nonnunquam ſurculum *rami anaſtomotici magni*, ad hunc locum per muſculum cruralem tranſverſim projectum. Sed poſtea circa tendinem extenſorum communem in ſuperiore patellæ ora, valde licet minutus, circumvagatur & *reti vaſculoſo* ſe immiſcet. Atque ſic, eum non ſolum ad femoris internum latus propulſum, ſed & in capſam atque articulationis cavum glandulasque minutis ramis demerſum conſpicimus.

Articularis ſuperior interna tranſverſo, vel paulum declinato ductu ſupra condylum internum ad vaſtum ejuſdem lateris incedit, atque demum, muſculo obtecta, ad patellam circumflectitur, Dum vero per poplitem ducitur, perioſteum, capſam, condylum, tendines flexorum vicinos, adipemque parvulis ſurculis adit. Perforato jam tricipitis tendine, *ramum ſuperficialem*, quem etiam ex ramo anaſtomotico magno proveniſſe obſervavimus, inter eum & vaſtum internum demittit, qui cum ramo adſcendente *articularis internæ inferioris* prope ligamentum laterale mox coit tumque deſcendendo ad patellam properat. In vicinia vero hujus & ſuprà condylum, ut reti formando ſuam addat ſymbolam, multas iteratasque ſubit diviſiones, eoque circa patellam & præcipue infra illam late diſpergitur. In ligamento capſulari multi rami, ſtrata ligamenti lateralis oblique trajicientes, evaneſcunt. Sed truncus ipſe profundius tranſverſim in perioſteo ſerpit &, a vaſto interno tectus, non ſolum intra capſam, ſub quadricipitis tendine, ingreditur, verum etiam ſuis ſurculis reflexis in muſculo cum *ramo anaſtomotico magno*, cum *perforante inferiore ſuperficialis* & *deſcendentibus circumflexæ* coit. Ad tendines flexores ramos magnos longeque deſcendentes dediſſe vidi. Duplicem hanc articularem dum obſervavi, binis arteriis pollicis diſtantia interceſſit, priorque *profundi* ductum ſecuta eſt, altera vero rami *ſuperficialis*. Nonnunquam etiam *tertia ſuperior* adeſt, quæ vero minor ad capſulam, cartilaginem ſemilunarem internam & ligamentum cruciatum tantum tendit.

Articularis media ſ. *azyga*, qua originem ſuam, ut ill. HALLER optime obſervavit, multas exhibet varietates; modo enim ſolitaria paulo infra priorem ex poſteriore externa facie trunci ſeſe elevat, modo

modo ex *interna*, vel *externa ſuperiore* prorepit, modo communi cum ſuperioribus articularibus trunco ex poplitea provenit. Perpetua tamen eſt arteria, quæ in poſterioribus genu ligamentis deſinit. Vix vero exorta, ramulis ad perioſteum femoris & condylos emiſſis, ad ipſum capſulæ medium inflectitur, ibique in ramum *externum* & *internum* bipartitur. *Prior* horum inter condylos poſterius in capſula late pulcherrimis ramis oberrat, tumque ligamentum cruciatum & cartilagines ſemilunares adit, atque communicationes cum omnibus huc demerſis profundis ramis inire ſolet. *Alter* interior adipi poplitis, oſſi, ligamento cruciato & capſulæ, ſed in interno femoris latere, ſuas porrigit propagines. Nonnunquam etiam in capſæ cava ſuperficie ad priora ſeſe contulit.

Articularis inferior externa, cujus ortus infra commiſſuram genu ab impoſito plantari & gaſtrocnemeo muſculo tegitur, pedetentim adſcendit. Quando autem ſummum fibulæ faſtigium attigit, a ligamento laterali externo & aponeuroſi genu abſconſa, inter femur & fibulæ caput ad anteriora tranſverſim in ſulco cartilagini ſemilunari internæ inſculpto ad patellam prorepit. Sub ejus per poplitem inceſſu popliteo, ſoleo, gaſtrocnemeis, cuti, capſulæ, perioſteo adipique arteriolas exhibet, atque cum *recurrente ramo* arteriæ *tibialis anticæ*, ante ejus emerſionem natæ, conjungitur. Attingens autem cartilaginem ſupra dictam, ramum *ſuperficialem* emittit, in cute, aponeuroſi tibiæ & ſuperficie patellæ evaneſcentem, ſimulque multis arteriolis *reti vaſculoſo* & præcipue *articulari internæ ſuperiori* atque *tibialis anterioris* ramis reflexis immerſum. *Aliis* minoribus arteriis cartilaginem ſemilunarem, capſulam & perioſteum tibiæ adit. Prope patellam vero trunculus ipſe, a tenaci tela celluloſa obvelatus, profundius articulationis caveam ſubit, ibique ad patellam & capſulam diſtribuitur, atque etiam alias propagines ad quadricipitis tendinem mittit. Communicat in hoc cavo pluribus locis cum *articularibus externis* & *interna ſuperiore* atque *azyga*.

Articularis inferior interna magis quam priores primo ſuo ſub curſu ſeſe abdit. Inter gaſtrocnemeum enim & muſc. popliteum ad condyli tibiæ oram internam deſcendendo excurrit, tum a flexorum internorum tendinibus tegitur, demumque, ſub ligamento genu laterali interno condita, ad patellæ inferiorem oram reflectitur. Prioribus numeroſiores edit ſurculos. *Alii* ſcilicet poſterius in popliteo,

ligamento cruciato poſteriore, capſula & tendinibus flexorum conſumuntur, *alii* in condylo tibiæ circumludunt, *alii*, in aponeuroſi exſpatiantes, cum *tibiali antica* anaſtomoſes ineunt, *alii* prope patellæ ligamentum ſurſum flexi, *articularibus*, *ſuperiori* & *inferiori* variis locis inoſculantur, *alii* tendini communi extenſorum immerguntur, *alii* demum, in patellæ ora obambulantes, in cute ipſa extabeſcunt. Horum plurimi itaque ſuperficiem genu occupant. *Profundior* autem ramus, quem veluti continuationem trunci conſideramus, cartilaginem ſemilunarem ſequitur, & in commiſſuræ cavo ſub patella cum *externa inferiore* tranſverſo ramo unitur, ſimulque innumeras arteriolas ad ligamenta alaria mucoſa, capſulam atque glandulas diſpeſcit.

Ex hac *Articularium* data deſcriptione facile colligitur, quibusnam arteriis formatio *retis vaſculoſi*, genu obducentis, debeatur; omnibus ſcilicet *articularibus*, junctim cum *recurrente tibiali antica*, *circumflexa externa*, *perforantibus* atque *ramo anaſtomotico magno*. Priores enim repetitis diviſionibus circa genu tam ſuperius, quam inferius & anterius frequenti anaſtomoſi ita inter ſe irretiuntur, ut vaſculoſo plexu totum artum obducant.

Sed præter *articulares* Poplitea alias quoque arterias dimittit, quas, quo ſermo noſter totum truncum ad ejus uſque novam diviſionem abſolvat, enumerare lubet. *Duas* ſcilicet ex anteriore facie trunci magnas arterias gaſtrocnemeis porrigit, mox multifidas, inter bina capita deſcendentes. Ex his quædam ad Achillis tendinem uſque per ſuperficiem muſculi diſcurrere ſolet: *aliæ* ſoleum muſculum adeunt; *aliæ* iterum carnem plantaris longi. Harum nonnullæ etiam in capſula, perioſteo atque adipe ſeſe perdunt. Nec raro flexores cruris & præcipue ſemimembranoſus, ſemitendinoſus, biceps atque nervus novas accipiunt arterias, quas, ſi perforantium ſuperficiales rami, ad flexores delabentes, deficiunt, earum vices ſupplere & ſurſum flecti obſervavimus. Verum has omnes arteriæ popliteæ propagines, tam qua locum, quo gignuntur, quam decurſum & magnitudinem, minus conſtanti ſubmitti legi quisque cadavera perluſtraturus inveniet.

HÆC qualiscunque arteriæ delineatio, quam figuræ, quibus opellam exornare placuit, illuſtrant, propagines ejus plurimas inter ſe inire anaſtomoſes oſtendit. Ex multitudine autem magna nonnullas

ſummatim recitare lubet, quo ſciamus, quantum præſidii in curando Aneuryſmate ab iis exſpectare liceat.— Communicant ſcilicet

Circumflexæ externæ rami tranſverſi ad minorem & majorem trochanterem cum *circumflexa interna*, prope criſtam ilei cum *ramo profundiſſimo iliacæ poſterioris*, ſub vaſto ext. cum *perforante prima*, atque ſub tricipite cum *ramo deſcendente trochantericæ poſterioris*. Ejuſdem *ramus deſcendens major* in recto muſculo coit cum *ramo anaſtomotico magno ſuperficialis*, in vaſto externo cum *perforante prima & ſecunda*, cumque *nutritia perforantis inferioris ſuperficialis*, prope externum patellæ marginem cum *articulari ſuperiore externa* & toto *reti vaſculoſo* patellæ, & ad internum ejuſdem cum *articulari ſuperiore interna* atque *ramo anaſtomotico magno*. *Deſcendens ramus minor* in interno femore cum *perforante inferiore ſuperficialis* & in externo cum *articularibus* irretitur.

Circumflexa interna præter priores, etiam cum *trunco ſuperficiali* in pectinei ſuperficie, ſub eodem muſculo cum *obturatoria*, pone & ſupra trochanterem cum *iſchiatica* & *perforante prima*, ſupra tuber iſchii cum *pudenda communi* & *iſchiatica*, ſubque flexoribus cum *perforantium binarum ramis* alit conjunctiones.

Perforans prima, exhibitis ſupra enumeratis & cum *circumflexis* conjungendis arteriis, ſub tricipite in nudo oſſe cum *perforante ſecunda* & cum pluribus aliis *perforantium* ſurculis ad flexores projectis nectitur.

Perforans ſecunda, quæ cum *circumflexa interna* tam ad magni adductoris ſupremum finem, quam etiam retro flexores & cum *circumflexæ externæ deſcendente ramo* atque *perforante prima* coaluit, magnas in flexorum ſuperficie & carne cum *perforante tertia & quarta*, vel ſi deſunt, cum *perforante ſuperiore ſuperficialis*, vel hac etiam aberrante, cum ultimis reflexis ramis *arteriæ popliteæ* habet anaſtomoſes. *Nutritia* ejus *magna* proprias ſuppeditat connexiones: alias nempe cum *deſcendente majore*, alias in linea aſpera cum *nutritia inferiore*, alias prope patellam cum *articularibus* atque denique alias in bicipite minore cum prioribus & *popliteæ* quodam ramo.

Ramus anaſtomoticus magnus ſuperficialis, recepto in muſculo recto & ſub extenſorum tendine a *circumflexa externa* ramo, cum *articularibus ſuperioribus* & per ramum tendinem ſartorii concomitantem, cum *articulari inferiore* & *recurrente tibiali* adunatur.

Perforans ſuperior ſuperficialis ſurſum pluribus in locis reflexis ſurculis *perforanti ſecundæ* & aliis deſcendentibus *perforanti inferiori* innectitur.

Perforans inferior ſuperficialis , ramis in vaſto interno cum *circumflexæ externæ* ramo *deſcendente minore* & in linea aſpera cum *nutritia ſuperiore* communicantibus, emiſſis, anaſtomoticos ramos ſurſum ad *perforantem ſuperiorem* & deorſum ad *articularem ſup. internam* aliosque ad ramos *popliteæ* vagos ejicit. Meminiſſe etiam juvat, in vaſtum externum reflexos ſurculos *deſcendenti* & *articulari ſuperiori* irretiri.

Quod ad *Articulares* demum attinet, id tenendum, *inferiores* cum *recurrentibus tibialis anticæ* & *poſticæ* arteriæ , & *ſuperiores* cum *perforante inferiore ſuperficialis* , cum *circumflexa externa* & *ramo anaſtomotico* multis locis concurrere.

SECTIO SECUNDA.

PARTICULA SECUNDA.

ANIMADVERSIONES IN ANEURYSMATA FEMORIS.

§. I.

Arteriarum femoris una ſupplet alteram.

Ex dictis conſtare arbitror, Arteriæ Femoralis ſurculos frequentiores habere inoſculationes & eas ubique diſperſas, ſingularem vaſorum complicationem producere. Inficias quidem ire non poſſumus, quum in diſpoſitione ramorum majorum in artubus inferioribus magnæ ſæpe occurrant aberrationes, nonnullas harum conjunctionum etiam ſæpe deſiderari : diſſectionibus vero diligentioribus obſervavi, quod, ſi arteriæ quædam deficiant, vel ſolito ſint ſubtiliores, aliæ tum aliis locis multiplicentur & reliquæ tum multo majora & exſtantiora ineant connubia. Femur, quod inter præparata Academica conſervatur, vidi, ubi anaſtomoſes inter circumflexam externam & articularem atque inter nutritiam & perforantem ſuperficialis, adeo magnæ apparent, ut pennam columbinam, & quod ſuperat, craſſitie æquent. Negari igitur non poteſt, hos omnes ramos non ſolum ſuppetias ſibi invicem ferre poſſe, ſed trunci etiam læſi eosdem facili negotio provinciam ſuſtinere. Phœnomenon , quod bis in

cadavere deprehendi, veritatem hujus ſententiæ ſtabilire videtur. Quum enim, injectionibus imi ventris ſubtilioribus occupatus, arteriam femoralem, ne longiorem percurrendo viam refrigeſceret cera, filo perſtringere meditarer, & fortuito, trunco, altiore loco, quam moris eſt, diviſo, arteriam ſuperficialem tantum ligatura vincirem, feliciſſime peracto labore, non tantum profundæ arterias omnes, ſed etiam totam ſuperficialem, veluti nullam paſſa eſſet preſſionem, eodem liquore diſtentam inveni. Quo manifeſto patet, conjunctionem has inter arterias adeo validam eſſe, ut in vivo atque vegeto corpore ſanguis libere ex uno in alterum truncum transferri poſſit. Femora hæc poſtea diſſecta nullam præternaturalem vaſorum diſpoſitionem, quæ aliam phœnomeni explicationem admitteret, obtulerunt. Nec unquam mihi arteriam femoralem ſuperficialem duplicem videre licuit, qualem celeb. Gooch (*a*) ſe ter obſervaſſe contendit, & quod ſæpius exiſtere illi eo magis probabile videtur, cum ſine ejusmodi ſingulari arteriarum ſtructura fieri non poſſe credat, ut, hac lino conſtricta, rami profundæ ſuperſtites ad vitalem laticem omnem circumvehendum ſufficiant. Hujus celeberrimi Viri obſervationibus fidem detrahere ego quidem non auſim; ſi vero perpendo, eum (dum poſt reſectum femur in carne vivi hominis varietatem hanc detexerit,) tranſciſſum tantum arteriarum extremum examinare potuiſſe; juſta mihi oboritur ſuſpicio, ſi amputatio ſupra femoralis arteriæ in adductorem immerſionem fuerit inſtituta, arteriam perforantem ſecundam, aliquando ſolito longius decurrentem & præ more craſſiorem, pro altera ſuperficiali habitam fuiſſe.

Sed experimenta cel. Georg. Martin (*b*), Gooch (*c*) & Revans in cane inſtituta, cujus arteriam in medio femore una cum vena & nervo nodo præcluſerunt, qui tamen intra duodecim dies, ne minimo quidem membri remanente detrimento, perfecte fuit ſanatus, ſuaviſſimam hanc mihi confirmat opinionem, Sapientiſſimi Numinis admiranda bonitate & ſapientia ita per totam animalium œconomiam ſtatutum eſſe, ut, ſi arteriarum trunci, ob ſitum eorum ſuperficiei proximum, ictibus externis ſunt expoſiti, hi ab aliis profundius reptantibus, & cum prioribus connexis, vicariam quaſi ope-

(*a*) Philoſoph. Tranſact. T. 65. p. 37.
(*b*) Commentaria in Euſtachii Tabulas, p. 233.
(*c*) l. c.

ram ſentiant. Crebra experimenta in extremitatibus ſuperioribus atque cruribus petita, huic ſententiæ ſuffragantur. Cur igitur femori eandem perfectionem, qua præ cæteris certe ob craſſitiem ſuam eget, adſcribere piaculum foret ? Sed ſi etiam communicationes inter femoris binos truncos adeo ſubtiles ſtatueremus, ut in ſtatu ſano liberum ſanguinis commeatum admittere non poſſent, eam tamen in arteriæ profundæ diſpoſitione conditionem obſervamus, ut facillime ejus propagines diſtendi & ad majorem ſanguinis copiam recipiendam aptiores reddi queant. Cum enim arteria profunda, quæ ſæpe magnitudine ſuperficialem ſuperat, in multos & magnos ſtatim dividatur ramos, hique, poſt breviorem inceſſum, iterum valde multifidi evadant, omnium certe horum luminum diametra trunco multo majora eſſe, atque adeo, ſingulos ſurculos ab hujus impulſione minorem pati expanſionem & ad multo fortiorem, ſine noxa, vim ſuſtinendam aptiſſimos eſſe, adparet. Si vero porro conſideramus, eos fere omnes undique molliori & facile cedente tela cellulari obduci, vero ſimillimum videtur, ad duplum auctam fluidi molem non tantum inter tot arterias facile diſpeſci, ſed etiam has, ſi opus eſt, tam cito atque leniter diduci poſſe, ut ſine ulla fere mora per novas ejusmodi vias, ad ipſum truncum, infra ejus ligaturam, ſanguis revehatur.

Ex his omnibus argumentis conficitur, nullum plane eſſe dubium, quin, ſi vel truncus in ſuperiore tertia parte femoris, vel etiam paulo infra, prope ejus per adductorem introitum, ubi cuti viciniſſimus eſt, ſed jam prius multos emiſit ſurculos, vel etiam in poplite quo demum cunque modo lædatur, illum, vel filo, vel compreſſione tuto obſerare, ejusque coalitum promovere poſſimus. Quod ad priora attinet loca, plures quidem hujus operationis poſſibilitatem vel prorſus negant, vel etiam adeo dubiam credunt, ut reſectionem membri, ne labes corpori ſincero inuratur, præferant; ſed cel. GUENAULT, HEISTER (*a*), MASOTTI & SUE (*b*) paucique alii, qui pulchram ſatis, ſed minus adcuratam de harum arteriarum communicationibus habuerunt notionem, ſatis tamen validis rationibus oſtendere conati ſunt, incolumitatem vitæ & membri tentamine mitioris medelæ non ſtatim periclitari. De poplitis arteria autem ſummus rerum medica-

(*a*) HALLERI Diſp. Chir. T. V, p. 133 & 155.
(*b*) Journal de Médecine Tom. 46. RAVATON pratique moderne, Tom. 3, p. 536.

rum Arbiter, ill. ab Haller, perluſtratione vaſorum articularium commotus, ſententiam ſuam ita exprimit; « quare — — apparet, utique arteriam popliteam fere eadem cum ſpe inter duos condylos ligari poſſe, aut exſcindi, ſi Aneurýſma id requiſiverit, & æque bonam ſpem poſt eam reſectionem de tibia pedeque ſupereſſe ». Vix vero ſperare licet, hypogaſtricæ arterias, nempe obturatoriam, iſchiaticam, iliacam poſteriorem & pudendam, quas omnes etiam cum profunda coire ſcimus, tantam dilatationem ſubire poſſe, ut, ſi femoralis arteria ſupra primam diviſionem ligetur, ad nutriendum membrum ſufficiant. Licet enim ex cel. Guattani (*a*) experimentis conſtet, aquam colore flavo tinctam & calefactam, ſi arte in arteriam iliacam internam pellitur, arterias femoris larga copia penetrare, hisque abſciſſis, ex minoribus ejus ſurculis abunde depluere; vereor tamen, ne liquor craſſior, qualis ſanguis eſt, multo difficilius easdem pervadat vias, vel laticis hujus vitalis portio, ægrius tranſmiſſa, inſufficiens præbeat membro nutrimen. *Hypogaſtrica ægre ſupplere femoralem poteſt.*

§. II.

Quod theoretica partium conſideratio adeo probabile fecit; ut de exitu operationis felici, æque ac in brachio, vix dubitari poſſit, illud experientia quoque ipſa comprobat. Exempla, quæ coalitionem ſine ulla membri jactura promotam fuiſſe aperte demonſtrant, breviter adferam. Et recentiſſimum multisque nominibus memorabilem primo adducam caſum, quem ill. Acrel (*b*) protulit, unde etiam intrepidæ Ejus & prudentiſſimæ ſagacitatis videmus indicium. Scorbuto atque febre tertiana protracta quam maxime debilitato militi cuidam permoleſte accidit, ut cultro incaute, ſeptem pollicum a ligamento Fallopiano diſtantia, vulnus femori ſuo interno infligens, arteriam ipſam ſimul aperiret, quo ſpumeus torrens initio tam vehementer proſiluit, ut animo fere linqueretur læſus: proprio vero marte demum hac vice ſubſtitit. Caute tamen Medicus vocatus, ad præcludendum ſanguinis erumpentis exitum, ſpleniolis & faſciis membrum conſtrinxit, eoque ad duodecimum uſque diem novos *Aneuryſmata femoris operatione ſanata.*

(*a*) Epicriſis ad Caſum 16, l. c.

(*b*) Kongl. Vetenskaps Acad. Handl. a. 1777, p. 83.

hæmorrhagiæ inſultus impedire potuit. Cum vero jam tertio aut quinto quoque die vulnuſculum iterum ſanguinem funderet, & vigeſimo die tumor aneuryſmaticus cum pulſu diſtinctiſſimo exſurgeret, isque, octo præterlapſis diebus, rupturam minaretur, operationi æger ſeſe ſubjecit, quam ill. Acrel ob magnitudinem & ſuffuſionem, non compreſſione, ſed ligatura perfecit. Repurgato nempe, poſt inciſionem primam, vulnere a concreto jamque valde fœtente ſanguine, & denudata, donec injiciendæ ligaturæ locus in conſpectum veniret, arteria, quam farciminis inſtar ad 8 linearum diametrum & manus tranſverſæ longitudinem dilatatam invenit, primam ſuperiorem ligaturam applicavit. Cum vero inferiorem contraheret, ex inopinato arteria ſupra ſuperiorem ligaturam diſrupit, unde tanta vehementia vitalis latex prorupit, ut intra minuti ſpatium quatuor ad minimum libræ effluxerint. His in horrendis anguſtiis, cum nec nova ligatura, nec torcularis contractione hæmorrhagia ſiſti poſſet, in trunco ipſo, dum ex inguine prolabitur, pollicibus firmiter admotis, compreſſionem inſtituere placuit, quo effluxus ſubſtitit. Atque tum, ſpongiæ fruſtulis ad arteriam diſruptam directis, compreſſionem tentare coactus fuit. Eorumque effectus, toto cavo his ipſis repleto, jam exoptatiſſimus fuit. Sed vim comprimentem adaugere meditans, laminam ferream, formæ femoris adaptatam & globo in concavam faciem ferruminato inſtructam, femori ita applicavit, ut globus in arteriam diſruptam vim ſuam exerceret. Atque ſic, nec nova hæmorrhagia, nec ullum aliud incommodum, a ligata & compreſſa arteria metuendum, ſub reliqua cura ſpem perfectæ curationis conceptam ſufflaminavit. Nam ultimo ſpongiæ fruſtulo ex vulnere, optime ſuppurante, decimo octavo die exemto, ad perfectam conſolidationem vulnus adeo feſtinavit, ut, ſeptem præterlapſis ſeptimanis, firma obductum fuerit cicatrice. Terrorem quidem ſub ipſa cura dolor quidam pedis & inprimis halucis vehementiſſimus, & viginti dies durans, excitavit; præcipue cum poſt inflammationem, podagricæ ſimilem, hic ipſe gangræna & carie corriperetur. Cum vero totum membrum naturalem retineret calorem &, exſtirpatis phalangibus binis, malum non altius proſerperet, veritati conſentaneum videtur, nutrimenti quendam defectum, hancce corruptelam nullo modo excitaſſe, ſed potius læſionem vehementiorem, in eodem digito ante plures annos ſecuri factam, qua organica hujus

ſtructura

ſtructura non parum fuit perturbata, hujus phœnomeni cauſſam fuiſſe. Poſt duos menſes ſanus atque vegetus Noſocomium reliquit.

Alium caſum, huic ſimilem, cel. LESLIE (*a*) in commentariis Edinburgicis nobis reliquit. Juvenis quidam ſcalpellum femori infligens, acumine arteriam eo loco, quo adductores penetrat, vulneraverat. Cum vero ſanguis ſimul ſub cute diffunderetur, hæmorrhagia mox remittere viſa eſt. Operationem igitur, cum Aneuryſma, uſque eo contemtum, terribili vehementia per cutem ſanguinem diffunderet, quantocyus ligatura, truncum obſerando, ſuſcepit. Poſt dimidium vero horæ nova hæmorrhagia a ruptura arteriæ ſupra nodum exorta eſt, quæ tamen, diſſectione altius inſtituta & novo filo applicato, conquievit. Coiit demum vulnus & æger fractas cito omnino recuperavit vires.

In commentatione a Chirurgo Mancunienſi, cl. BURCHALL (*b*) Societati Medicæ Londinenſi exhibita, exſtat exemplum Aneuryſmatis ligati & ſine ullo in crure relicto incommodo ſanati, quod breviter enarrare liceat. Apice forcipis intra crura compreſſi, vir quidam fortis & robuſtus arteriam ipſam ſauciaverat, quo, hæmorrhagia cohibita, & vulnere cutaneo coalito, tumor aneuryſmaticus ſpurius enatus eſt. Hunc poſtea incidit, &, ſanguine grumoſo ſeparato, ſupra ac infra vulnus detectum truncum filo ligavit: unde poſtmodum coalitio vulneris tam proſpere ſucceſſit, ut æger ſine ullo incommodo officiis ſuis vacare potuerit.

Quam cel. Viri DE HAEN & PLENCK (*c*) exhibuerunt hiſtoriam Aneuryſmatis ſpurii, a cl. LEBER ligaturæ ope ſanati, carptim tantum, quum ratione formationis cum prioribus conveniat, proferam. Vigeſimo ſeptimo vulneris inflicti die ad Noſocomium transferebatur æger genis collapſis pallidus, viribus fere exhauſtus & febre cum pulſu debili, tuſſi frequenti atque anxietate jam correptus. Vulnus ipſum externum ſponte quidem conſolidatum, ſed totum membrum ad pedem uſque œdematoſum & frigidum invenerunt. Inciſione peracta & ſacco aneuryſmatico, qui ad quinque libras cruore circumcinctus erat, abſterſo, ligaturam in ſuperiore arteriæ extremo applicavit operator, ſed poſt aliquot horas, hæmorrhagia

(*a*) Medical Commentaries of the Edinb. Soc. verſio Germ. T. 2, P. 2, p. 181.
(*b*) Medic. obſerv. and Inquir. vol. III, p. 106.
(*c*) Rat. Med. T. VII, p. 1. PLENCKS Sammlungen und Beob. Tom. II, p. 37.

vehementi iterum oborta, in altero ſpongiæ adminiculo vinculum arteriæ impoſuit, quum ex illo maximo niſu ſanguinem effluere obſervaret. Sic ad octavum diem omnia in meliorem ſtatum vergebant; ſed, a ſanguine tamen, inter muſculos effuſo jamque putreſcente, humores adeo erant contaminati, atque ipſa adjacentium partium ſtructura adeo corrupta, ut indicato die totum vulnus repente gangræna correptum conſpiceretur. Ad novum hunc debellandum terribilem morbum, præſtantiſſima remedia, & inter alia enormem & plane inauditam quantitatem pulveris peruviani, tam externe, quam interne, per plures menſes adhibuerunt; quibus omnibus gangræna, quæ jam ſopita apparuit, jam vero iterum ad graviores ſtrages excitandas revertere viſa eſt, tam feliciter diſcuſſa demum fuit, ut latiſſimum ulcus pedetentim contractum perfectam acciperet coalitionem, & æger ſanitati reſtitutus ſuis, ut antea, pedibus uti poſſet. Nemini certe in mentem venire poteſt, quod gangræna hæc a defectu nutrimenti ſuam ſumſerit originem. Nam hæmorrhagia altera, a neglecta inferiore ligatura oborta, & calor membri, jam ſecundo die reſtitutus, manifeſtum præbuerunt ſignum, circulationem per vaſa lateralia expeditam fuiſſe atque liberrimam.

Deſcriptio caſus JOHANNIS TRULLI, Chirurgi atque Lithotomi ſui temporis celebris, a MARCO AURELIO SEVERINO (*a*) nobis exhibita, per inſtrumentum ignivomum in arteriam eandem productæ dilacerationis, ſed ligaturæ ope tam proſpere ſanatæ, ut nil, niſi moleſtiarum toleratarum vivida recordatio remanſerit, optime quoque demonſtrat, quid in hoc duplici ex cauſſa graviſſimo malo a benigna exſpectandum ſit natura. Glans enim plumbea femur perfodiens, duas tertias arteriæ deſtruxerat, & ingens effuſi ſanguinis copia, ſex libras pondere ſuperans, Aneuryſma formatum a circumjacentibus partibus undique ſeparaverat, ut in medio coagulo quaſi nataret. Sed filo ſupra atque infra tumorem adducto, nec ipſa læſio, nec vaſtiſſimæ, per ſanguinem ad quadrageſimum diem hic ſtagnantem, aſt putredinis contractæ nulla indicia prodentem, diſſolutiones ulla produxerunt coalitionis impedimenta.

Ob ſua in artem Chirurgicam merita famoſiſſimus GUATTANI adeo exiguam generatim, ſi de cura arteriæ femoralis & popliteæ agitur,

(*a*) De Medicina efficaci. Francofurti 1646, lib. 1, P. 2, p. 51.

ligaturæ, quæ ejus ſpem defraudaverat, habet fidem, ut operationem Aneuryſmatis a cl. SAVIARD felici omine ſuſceptam, in ramum quendam, nec in truncum ipſum femoralem inſtitutam fuiſſe adſerat. Validis etiam oſtendit argumentis Aneuryſmata in inguinis regione hujus uſum non admittere. Cum enim ad detegendum truncum, adeo profunde hîc poſitum, tam ampla infligenda foret plaga, ut cavum abdominis quoque aperiri deberet, &, nec ad cohibendum ſanguinem ullus torculam applicandi inveniatur locus, nec a ſuperioribus minutis vaſis communicantibus quidquam ſit exſpectandum, conſultius eſſe credit in tam ancipiti caſu ad compreſſionem confugere.

Ex decima quarta apud hunc Auctorem morbi hiſtoria etiam eluceſcit, illum non fruſtra hanc fovere opinionem. Agaſoni nempe, ſolitis ex militia veneris ſæpiſſime reportatis vulneribus, in inguine prope ligamentum Fallopii Aneuryſma verum pomi magnitudine excrevit, cujus ortum nixui fortiori adſcripſit. Quum vero efficaciorem medelam in hoc periculoſiſſimo loco adhibere temerarium crederet, faſciarum uſum continuum & quietem commendavit. Hoc conſilio, licet regulis præſcriptis non exacte vitam adtemperaret, ad tam parvam poſt tres annos tumor fuit redactus molem, ut ſpes perfectæ curationis ſubnaſceretur. Sed jam methodi hujus lenioris pertæſus æger, rhedarii munus iterum in ſe ſuſcepit, unde paucis ſeptimanis tumor ad eum gradum increvit, ut, febre ſimul exorta, lectum occupare cogeretur. Chirurgus vero accerſitus, operatione intrepide inſtituta, lino cruorem inhibere conatus eſt; verum tertio die miſer gangræna correptus ſuccubuit.

Sed memorabilis ſequens ejus obſervatio contra priorem vehementer dimicare videtur. Tumor, in plica inguinis, præeuntibus pertinaciſſimis doloribus, obortus, mollis erat & indolens, pulſum nullum edebat, ſed fluctuationem ſubcutaneam ſat exquiſitam prodebat, quibus ſignis, abſceſſum mentientibus, commotus, eum cultro aperiendum curavit. Sed a torrente, magna vi proſiliente, error commiſſus mox adparuit, quem, collectione ſanguinis, totum ſpatium inter pubem atque ilia replente, emiſſa, fortiſſima in arteriam compreſſione, quantum potuit, corrigere ſtuduit. Hæc illum quoque effectum præſtitit, ut die decima tertia, apparatu ablato, nullum amplius ſanguinem funderet vulnus, ſed optimam admitteret

conſolidationem. Vero ſimile videtur, arteriam femoralem ſupra inguen jam diviſam fuiſſe; nam alioquin, toto trunco compreſſo, vix auſa tam fortunate ceſſiſſent.

§. III.

Vulnera arteriæ femoralis ſanata.

Supra allatis obſervationibus coalitionem arteriæ femoralis Aneuryſmate obſeſſæ, vel ligatura, vel compreſſione fortiore promovere didicimus. Sed neque deſunt exempla vulnerum arteriæ ejuſdem recentium & nullo Aneuryſmate conjunctorum, ſola compreſſione & apta cæterum deligatione conſolidatorum. Bina eorum tantum illuſtrationis cauſſa adferam.

Primum a cel. HEISTER (*a*) ſumam. Sutor quidam Helmſtadienſis cultrum, per infortunium, ad ſex circiter digitos tranſverſos ſupra genu inflixerat, ut ex vulnere arteriæ mox vehementiſſime proſiliret ſanguis. Variis ad profluvium cohibendum adminiculis in caſſum adhibitis, machina tortili primum ejus impetum cel. HEISTER ſuſpendit, tum lineamentis carptis, alcohole imbutis, vulnus replevit, his lycoperdon ſuperimpoſuit, ſuper hoc ſplenia craſſa gradatim majora vulneri, atque alium longiorem tractui femoralis arteriæ impoſuit, demumque faſcia firmiter femur a vulnere ad plicam inguinis uſque circumduxit. In quinta vero deligatione, quo vulnuſculum tanto melius comprimeretur & Aneuryſma conſecutivum averti poſſet, primo ſplenio, vulneri proximo, laminam ovatam metallicam immittendam curavit, eaque ad perfectam conglutinationem uſque, duorum menſium tempore feliciter ſuccedentem, uſus eſt. Torculare etiam, (quod adeo adſtringi in ſimilibus caſibus curat, ut non quidem vehementem in loco dolorem, ſed conſtrictionem & dolorificam ſenſationem modicam æger percipiat,) primis quatuor ſeptimanis femur compreſſit, &, abſoluta demum cura, lorium coriaceum lamina ferrea corio obducta eo loco, ubi vulnus fuit, inſtructum, & ope fibularum cingendum atque conſtringendum, diu poſtea femori firmiter applicavit. Hac inſtituta methodo, niſi omnia me fallunt, tota arteria coaluit.

Alterum ex Diario Medico, gallice ſcripto (*b*), depromtum cl. JUSSY communicat. Arteria cultello etiam ſauciata magno impetu

(*a*) HALLER Diſſert. Chir. Tom. V, p. 131.
(*b*) Journal de Médecine, Tom. XLII.

ſanguinem ejecerat, ſed binis pollicibus primum, atque dein torcula effluvio ſuſpenſo, ſpleniis craſſis, ad latera vulnuſculi applicatis, & faſcia arteriam tam firmiter compreſſit, ut quatuor ſeptimanarum curſu totum malum coaluerit. Sub cura autem, torcula Petitiana uſus, ſanguinis per arteriam curſum non quidem ſupprimere ſed moderare tentavit. An in hoc caſu arteria lumen ſuum apertum conſervaverit, non dicam.

§. IV.

Poplitis ſanata Aneuryſmata.

Jam etiam quædam documenta arteriæ popliteæ feliciter alligatæ, vel alio modo deſtructæ, ex optimis ſcriptoribus Guattani & Masotti adferam. Rariſſime Aneuryſmata ſpuria in poplitis cavitate obſervantur; vera autem atque mixta communiter, eaque ſæpe ad ingentem protuberant molem. Celeb. Matani Aneuryſma poplitis deſcribit, cujus cavum ſedecim libras ſanguinis congrumati continebat.

Librum cel. Guattani pervolventes, ditiſſimum obſervationum, Aneuryſmatum horum naturam explicantium, penu deprehendimus, & ſumma adficimur voluptate, quod mitiſſima ejus methodus, quinque morborum hiſtoriis comprobata, quæ cultri uſum non expoſcit, ſed tantum loci affecti circumvolutione & æquali, ut ſupra diximus, coarctatione peragitur, tam proſpero gaviſa fuerit ſucceſſu. Chirurgo autem hoc dexterrimo dignum fuit, ut ipſe experiretur, annon etiam altera via ſperatam liceret attingere metam. In Aneuryſma igitur, quod ſpurii ſigna plura monſtrabat, & ovi anſerini erat magnitudine, præmiſſa faſciarum ope, æquali compreſſione, venæſectione repetita & diæta tenui, quibus omnibus tumor jam imminui viſus eſt, operationem cruentam inſtituit & ligatura arteriam perſtrinxit. Et licet inciſionem ad 10 pollices extendere cogeretur, quo ſuppuratio vehemens non potuit evitari, reliqua tamen cura cito atque jucunde fuit abſoluta.

De Chirurgo (*a*) etiam narrat, qui Aneuryſma poplitis, pro abſceſſu habitum, cultro incaute incidit, errore vero vix perſpecto, confeſtim ipſam arteriam compreſſione valida obſeravit, & poſtea aptam curæ perficiendæ deligationem in uſum adhibuit. Sorte autem exoptata accidit, ut hujus viri, poſt quindecim annos febre quadam

(*a*) Similem caſum legimus in *Journal de Médecine* Tom. XLIX a cl. Nolleson.

extincti, cadaver examinare licuerit, quo jucundo ſpectaculo ipſam arteriam in poplitis regione perfecte clauſam & ligamento ſimilem, ſupra vero & infra cylindrico ſuo lumine adhuc præditam obſervavit.

Masotti (*a*) utramque quidem methodum ſuas mereri laudes adſerit, ſed tamen, cum œdema, quod communiſſimum eſt hujus morbi ſymptoma, compreſſione Guattaniana cito ſuppurationes gignat fatales, ligaturam præferre videtur. Quo igitur dolores ſæviſſimos, quibus hoc morbo laborantes excruciari ſolent, imminueret, & tumoris cum ſubjacente oſſe ac vena adunationem, atque ejuſdem dilatationem ulteriorem, qua plures rami anaſtomotici deſtrui poſſunt, præcaveret, vaſculi alligationem in caſibus obviis exercuit. Spe vero defraudatum non fuiſſe, inter alias, obſervatio p. 531 exhibita, demonſtrat; quæ vero hîc alii rariſſimæ, opinioni circa vaſculorum communicationes quam maxime faventi, locum cedet. Ruſticus (*b*) quidam, dum impiger laboribus ſuis vacaret, ſe dolore repentino in poplite ſiniſtro corripi ſenſit, quem tumor inſecutus eſt aneuryſmaticus. Medelam vero adverſus hoc malum in dies ingraveſcens exoptanti, reſectionem membri commendabant Chirurgi; ſed cum illam vehementer averſaretur, & forti potius ſe committere vellet, pedetentim inflammatione prægreſſa, in vicinia Aneuryſmatis pus ea abundantia colligebatur, ut per cutem exeſam erumperet. Erat autem pus ſanguinolentum & adeo acre, ut, protractiore ejus excretione, omnis non ſolum, quæ poplitem implet, celluloſitas ſolveretur, ſed tota arteria, ſine ulla oborta hæmorrhagia, & nervus quoque demum deſtrueretur. Sed imminuta poſtea ſenſim ſuppuratione, ulcus conſolidationem, conſervato crure, licet paralytico, admiſit. Mirum ſane, quod totus ſaccus ſine hæmorrhagiæ inſultibus & ſine ullis ad avertendos illos ſubſidiis a pure fuerit reſolutus. Certe coagulatus ſanguis adeo prius compreſſerat arteriam, ut hac perfecte concreta, ſanguis per vaſa collateralia ad inferiora propelleretur.

§. V.

Ergo non temere reſecandum membrum.

Et ſic vivis, ut dici ſolet, exemplis, quorum numerum alii, uberiorem auctorum ſcripta pervolvendi occaſionem nacti, pluribus

---

(*a*) Masotti ſull' aneuryſma del poplite. Firenze 1772. Cavalini Iſtorica collezione di Caſi Chirurgici Tom. 2, p. 120.

(*b*) Ibid. p. 24.

adaugeant, demonſtrare conatus ſum, morbos hujus arteriæ non, ut multi perhibent, ſemper fatali periculo ſtipari. Imperitioris Chirurgiæ viam multi ſedulo calcantes, reſecandum eſſe femur, ſi arteria læſa fuerit, ne ſucco alibili pars defraudata pereat, anxie clamitant. Sed peritiorum magiſtra, experientia didicimus adeo crudelis operis apparatum rejici, vel tarde adhiberi debere, atque etiam ipſam operationem, quo vaſculorum dilatatio adjuvetur, non diu eſſe ſuſpendendam, ſed tuto ſtatim inſtitui poſſe.

Qua utendum operationis methodo.

Quum vero ea, quæ in ſectione prima protuli, normam curæ inſtituendæ ſuppeditent generalem, & deſcripti caſus rem adhuc plenius dilucident, perfunctorie tantum quæſtionem, quo in caſu circumvolutio membri, ad methodum cel. Guattani, ligaturæ præferri debeat, reſolvam. Illi, qui a tergo vaſa a premente ſanguine ampliari debere credunt, tutius agi ſibi perſuadent, ſi per aptam membri totius compreſſionem cura incipiatur, & tum demum, ſi malum id exigerit, vel ligatura, vel compreſſione arteriam ipſam obſerandam ſuadent. Sed ſi attentius rem conſideramus, facile patebit, in nonnullis caſibus, etſi in morbis arteriam femoralem adgredientibus conſtrictio tuto ſtatim ſuſcipi poſſit, ligaturam preſſioni, in aliis preſſionem ligaturæ anteponendam, atque demum in aliis utramque methodum eſſe rejiciendam. Sic etiam, jam preſſio totius membri æqualis & lenior, jam vero fortior & in aneuryſmaticum tumorem præcipue directa magis conducit. In recentiſſima arteriæ vulneratione, nullo adhuc formato Aneuryſmate, deligatio apta ab initio eo lubentius tentanda, cum millena teſtentur exempla, arterias lanceola apertas hoc modo facillime fuiſſe conſolidatas. Inſtrumenta tamen, quæ ad ligandam arteriam neceſſaria ſunt, parata ſervare convenit, quo in caſu neceſſitatis ſine ambagibus adhiberi queant. Nec minus, feliciſſima experientia adnuente, in Aneuryſmate partiali vero, & præcipue ſpurio, quam diu proprietates veri non perdidit, conſtrictione faſciarum fortiore & aptis machinamentis repulſio tumoris tentari poterit. Moderatiorem vero & ſenſim tantum auctam totius membri deligationem Aneuryſmata femoris & poplitis vera univerſalia, atque ſpuria majora jubent. Cum enim communiter hoc in loco, ut ſupra oſtendimus, a cauſſa interna, in ipſa vaſorum textura latitante, exoriantur, & non raro ſubjacentia oſſa valde ſint eroſa atque ichore corrupta, ſæpe ne minimam compreſſionem ferre poſſunt, quin dolor ſimul increſcat,

tumor volumine augeatur, diſſiliat, vel etiam, dum ab una ſede depellitur, in aliam exſurgat. Sed tum etiam omnis cruenta operatio præcipitem mortis adventum maturabit. Rarius in Aneuryſmate vero art. femoralis, ſine ulla illata vi oborto, coalitionem promovere conati ſunt. In poplitis Aneuryſmate promiſcue pari cum ſucceſſu utraque methodus uſurpata fuit, &, ſi quandoque male ſucceſſit, vitium humorum, morbo protractiore & carie oſſa depaſcente effectum, vel antiquius malum in venis circumrepens, acerbo huic fato originem præbuit. Cel. POTT (*a*) truncum tantum inſigni a tumore diſtantia vietum atque naturali ſua cohæſione deſtitutum obſervavit, unde opem a ligatura non petendam credit. Sed omnibus collectis argumentis, ſi comparationem inter has methodos inſtituo, plus ſane in quacunque Aneuryſmatis ſpecie ligaturæ, quam compreſſioni tribuam. Facile enim hoc in loco denudatur arteria, rarius in recentiore malo corrupta; cui, quum in ſpecie ſpuria ſimul non ſit dilatata, ligaturam, preſſione poſtea juvandam, prope læſionem injicere poſſumus; quo omnia, vel plurima vaſa communicantia probe conſervantur, minima tantum pars arteriæ hujus deſtruitur, eaque citius atque firmius coaleſcit. Sub compreſſione autem membri, cujus principalis finis is forte erit, ut lumen trunci apertum ſervetur, non ſolum accidere poteſt, ſi totus ſaccus, totusve poples, concremento ſanguineo ſit refertus, ut, etſi moderate applicetur, cavum coaleſcat; ſed etiam, ut vaſa collateralia ad nutriendum membrum adeo neceſſaria, eandem patiantur ſortem, adeoque omnis ſalutis ſpes profligetur. Sed ſi Aneuryſma verum, in quo cel. RICHTER (*b*) compreſſionem membri improbat, eam molem adquiſivit, ut maxime probabile ſit, vaſa articularia tumore eſſe comprehenſa, ſi etiam indiciis non æquivocis ſuppurationis & cariei præſentia proditur, ligaturam adhibere temerarium foret. In omni autem Aneuryſmate ſua origine ſpurio & recenti, arteriam ipſam ſine ulla ſuperflua cunctatione, cute prius inciſa, adgredi debemus, ita tamen, ut, ubi putredinis adeſt metus, compreſſionem fortiorem, ſin minus, filis binis ſupra & infra tumorem applicandis, arteriæ clauſuram promoveamus.

§.

(*a*) RICHTER l. c. Tom. V. p. 125.
(*b*) l. c. Tom. IV, p. 208.

§. VI.

Amputationis indicatio.

Etſi omnium operationum nulla prudentiori indigeat cunctatione, quam quæ membri alicujus reſectionem molitur; caſus tamen exiſtunt, ubi hæc non omitti debet (*a*). Nam, vaſis collateralibus deſtructis, inflammatione, ſuppuratione &, quod pejus, carie excitata, tota membri mole vaſtiſſimis effuſionibus ſanguineis imbuta, & dolorifico ſenſu, ne minimum quidem ferente attactum, oborto, unica tantum ſpes in reſectione membri eſt quærenda. Sic etiam, ſi poſt ligaturam, vel a nutrimenti defectu, vel ab irritatione, tolli neſcia, vel inde orto œdemate gangræna incurrit, amputatio inſtitui debet. Sed, quod rarius ſcopum hac operatione obtineamus propoſitum, id, ut alias rationes taceam, notandum eſt, quod tum demum æger membrorum mutilationem concedat, quando humorum craſis perfecte jam corrupta & vitiata exiſtit; unde fit, ut ſecundum exempla a cel. Guattani & Bromfield (*b*) monſtrata, vel lethalis per totam plagæ ſuperficiem exſtillans hæmorrhagia, vel gangræna, vel etiam ſpaſmi totum corpus concutientes, miſerum poſtea necent.

Naturæ in medendo Aneuryſmate vires.

Quare etiam, cum timida præſcientia futurorum & incerti eventus obſcuritas multos a recta ſalubrique curandi curatione ſæpe abſterreat, quidam in graviſſimis his caſibus nullum adhibere remedium, ſed naturæ ſolum rerum exitum committere conſultiſſimum cenſuerunt. Benigniſſimam naturam id quandoque præſtitiſſe obſervamus, quod nunquam ab arte fuiſſet exſpectandum; quemadmodum etiam pulcherrimæ obſervationes cel. Rommelii, Guattani, Masotti & Deslandes (*c*) commonſtrant. Oſtendunt enim nonnullos, qui nec amputationi, nec operationi ſeſe ſubjicere voluerunt, vel etiam, quibus ob mali vehementiam Chirurgi auxilium denegaverunt, diæta tenui, venæ ſectionibus repetitis & quiete ſola poſt aliquod tempus, ſine ulla ſuppuratione accedente, vel ſenſibili rerum commutatione, perfecte fuiſſe ſanatos. Mirum non eſt igitur, quod levem hanc methodum cel. Valsalva (*d*) commendaverit, eamque poſtea cl. Benevoli, Guattani & De Haen maximi fecerint.

(*a*) Pott remarks on that kind of Palſy of the lower limbs &c. 1779.
(*b*) Chirurgical obſervations and caſes, p. 304 ſeq.
(*c*) Journal de Médecine Tom. XIV, n.° 5. Ephem. Nat. Curioſ. Dec. 2 Av. VII, p. 385.
(*d*) Morgagni de ſed. & cauſ. morb. epiſt. XVII, art. 30.

D. CHRISTOPH. JACOBI TREW,

CONSILIARII ET ARCHIATRI CÆSAREI, PERSONÆ IMPERIALIS MEDICI, S. R. I. NOBILIS, S. PALATII LATERANENSIS FORIQUE IMP. AUL. COMITIS. SERENISSIMI MARGGRAVII ONOLDINO BRANDENBURGICI CONSILIARII AULICI ET ARCHIATRI ACTUALIS, PERILLUSTRIS REIPUBL. NORIMB. PHYSICI ORDINARII ET COLLEGII MEDICI SENIORIS PRIMARII, CÆSAR. ACAD. LEOPOLDINO CAROLINÆ N. C. DIRECTORIS, REG. SOCIET. SCIENT. LONDINENS. ET BEROLINENSIS ITEMQUE BOTANICÆ FLORENTINÆ SODALIS;

ANEURYSMATIS SPURII

POST VENÆ BASILICÆ SECTIONEM

ORTI

HISTORIA ET CURATIO.

CUM FIGURIS.

AD EXEMPLAR NORIMBERGÆ EXCUSUM.

ANEURYSMATIS SPURII
POST VENÆ BASILICÆ SECTIONEM ORTI
HISTORIA ET CURATIO.

Opifex quidam 33 annorum, nomine *Baumann*, in oppido Hirſchbruck ditionis Norimbergenſis vitam degens ſtrictioris habitus & lacertoſus, firmaque cæterum valetudine animoque conſtanti gaudens, die 26 Maji anni ſuperioris 1747 conſuetam celebravit in brachio dextro venæ ſectionem. Chirurgi miniſter, qui eam lanceola ſaltante, Germanis *Schnepper*, adminiſtravit, adverſa fortuna una cum vena baſilica ſimul cubitæam arteriam aperuit, unde ſanguis cum impetu & magni arcus forma exſiluit.

Qui ſectionem paſſus eſt per integrum brachium illico vehementem ſenſit dolorem, &, qui eam adminiſtravit, a ſe quoque commiſſum animadvertit errorem, proptereaque magnam ſanguinis quantitatem extraxit, unde patiens quoque in lipothymiam incidit antea nunquam perceptam. Chirurgus illico vulnus emplaſtro faſciaque firmiſſime conſtringebat, dolor vero per totum diem continuabat atque ægrotum in lectum conjiciebat, qui cæterum veræ cauſſæ ignarus ex vulgi tantum opinione putabat, nervum forſan quendam ſimul eſſe læſum. Altero die totus cubitus ad carpum uſque ſanguine ſuffuſus reperiebatur, indeque ad ipſum carpum valde tumidus. Chirurgi miniſter, factum hoc Magiſtrum ſuum per quinque dies celans, hiſce malis medelam adhibuit emplaſtris & variis illinamentis, tantumque effecit, ut interea dolor paululum leniretur & ſuffuſio diſſiparetur. Nihilominus tamen in loco vulneris mox tumor, amygdalæ magnitudine, in conſpectum veniebat mollis quidem tactu

& leni preſſioni cedens, illico tamen ſemper rediens. Nocte diem 31 Maji prægreſſa, dolor denuo oriebatur adeo vehemens, ut patiens cogeretur, ſummo mane ex ipſo Magiſtro remedium petere, qui hactenus peractorum neſcius & ratus rheumatiſmum quendam dolorum cauſſam eſſe, pulverem ſudoriferum mittebat, largum ſudorem prolicientem, & poſt aliquot horas ægrotum ipſe viſitabat, tunc vero, licet prædictum tumorem ipſe exploraret, & pulſum in illo, ex propria confeſſione, perciperet, nullum tamen aliud remedium proponebat, niſi eundem pulverem ſudoriferum denuo aſſumendum. Ægrotus, nullam amplius fidem huic habens, brevi poſt ex alio chirurgo petiit conſilium, qui tumori ſplenia ſpiritu quodam imbuta, atque his emplaſtrum defenſivum imponebat. Quum vero horum applicationem exciperet tumoris inflammatio cum veſiculis hinc inde ortis atque dolorum augmento, prior chirurgus iterum revocabatur, qui tunc fomentationes cum aceto calido in uſum vocabat, inflammationem quidem ſedantes, reliqua vero in ſtatu priſtino relinquentes. Poſtea decem ferme ſeptimanæ tranſigebantur, quarum decurſu mox ſpirituoſa & ſplenia comprimentia applicabantur, mox iterum negligebantur, neuter vero, neque chirurgus, neque ægrotus, officio ſuo ſatisfaciebat. Interea tumor ſenſim ſenſimque majus capiebat incrementum, magis magisque cubiti extenſionem impediebat, atque ægrotum ad labores ſubeundos minus aptum reddebat. Hiſce in anguſtiis Norimbergam demum, die nempe 21 Julii, venit, & D. Wolfg. Jac. Mullnerum, chirurgum adiit, qui ſtatim tumorem pro Aneuryſmate declaravit ſimulque indicavit, in ſola operatione chirurgica certam ejus medelam eſſe quærendam, & quum ſimul cl. Dn. D. Jo. Fridericus Herelius, Reipublicæ Norimbergenſis Phyſicus ordinarius, præſens eſſet, hujus quoque ſententiam exploravit, qui priorem confirmavit, & ſuaſit, ut interea tumor lamina plumbea comprimeretur. His auditis ægrotus domum rediit & cum cognatis ſuis de ſuſcipienda cura conſilium iniit, die quoque 24 Julii plumbeam laminam applicuit, eam vero ob dolores excitatos ultra biduum ſufferre haud potuit, hincque d. 26 ſequente Norimbergam iterum venit. Altero die laudatus chirurgus Mullnerus meum quoque conſilium expetiit.

Explorato hinc tumore, eum ovo gallinaceo majori æqualem deprehendi, nullum vero pulſus veſtigium in eo percipere potui;

durus præterea tactui ſe ſiſtebat, leniter tamen undique preſſus, mole multum imminui videbatur; cæterum in ſummo ejus veſicula obulum magna & ſugillata, a plumbea lamina minus apte applicata orta, conſpiciebatur. Quum nullum pulſum in hoc tumore detegere potuerim, pro ſpurio aneuryſmate illum habendum eſſe certior fui, etſi tanto temporis intervallo haud latius ſeſe diffuderit, ſed circumſcripto quaſi ſpatio incluſus apparuerit. Mali curæque ejus ſuſcipiendæ gravitas communem urgebat conſultationem, cui, præter nominatum Mullnerum & me, interfuit ſupra laudatus D. D. Herelius, ejusque Parens, Inclyti Collegii Medici Norimbergenſis Seniorum primarius, ut & D. Joann. Frid. Hermann. Zinck & D. Jo. Eberhardus Eierich, uterque ex collegio Chirurgorum noſtratium.

Quum igitur tumor leni preſſioni notabiliter adhuc cederet, omnium conſenſu concludebatur, tentandum ſupereſſe, numne ille per continuam preſſionem ſenſim ſenſimque adhuc diſſipari poſſit. Quod quo facilius ſuccederet, pro roborandis partibus ſolidis expanſis & reſolvendo cruore coagulato, atque ex tumoris duritie valde condenſato præſumendo, hocce præſcribebatur infuſum: rec. herbæ arnicæ cum floribus, hyperici cum floribus, eryſimi, radicis rubiæ tinctorum ana drachm. ij., ſpiritus vini rectificatiſſimi unc. octo; ſtent in digeſtione per noctem, mane exprimatur & filtretur liquor. Hoc liquore imbuebantur ſplenia tumori applicanda; ne autem in parte a veſicula ſuperius memorata læſa dolor inde excitaretur, hæc pro magnitudine ſua emplaſtro defenſivo prius muniebatur & poſtea ſplenia modice tantum faſcia conſtringebantur. Nihilominus dolores mox oriebantur adeo vehementes, ut illis ferendis haud par eſſet ægrotus, veſicula quoque ulterius ſe extendebat & totus tumor inflammabatur; quare ſplenia dicto liquore madefacta abſque ulla ferme conſtrictione applicabantur, nobis exſpectantibus, num cutis eroſio & inflammatio decrementum an incrementum captura eſſet. Dum vero poſterius omnino, imo ſuſpicio inde de ſpontanea tumoris ruptura oriretur, ne hæc minus opportuno tempore contingeret & hæmorrhagia funeſta, antequam ſuccurri poſſet, accederet, cautelæ loco vinculum tortile vulgare prope axillam applicabatur, ſed abſque notabili conſtrictione, debita tamen ſubjuncta eorum informatione, qui dies noctesque ægrotum cuſtodiebant, quomodo, caſu exiſtente,

dirigi idem deberet. His vero circumſtantiis in melius non mutatis, omnium conſenſu nil reliquum erat, niſi omnem ſpem in ipſam operationem collocare, id quod ægroto annunciabatur, indicatis ſimul periculis, quæ per ipſam etiam hanc operationem incurrere poſſent.

Ægroto ſic ad omnia præparato, dies 3 Auguſti tandem ad operationem ſuſcipiendam deſtinatur. Interea de methodo, qua illa ſuſcipienda eſſet, cogitanti mihi in mentem veniebant, quæ primum D. D. Hambergerus, in inclyta Academia Jenenſi Profeſſor celeberrimus, in Commercio litterario anno 1732, p. 107 ſeqq. poſtea vero prolixius D. Nathanael Theoph. Emrich, Uratislavienſis, in ſua Diſſertatione inaugurali ſub præſidio celeb. Teichmeyeri Jenæ anno 1734 de ſtupendo Aneuryſmate in brachio feliciter per operationem curato, ventilata, annotarunt, quorum hiſtoriam, quemadmodum illam laudatus Hambergerus conſignavit, una cum additamentis ex citata diſſertatione excerptis, ſed alio typo diſtinctis, præmittere, operæ pretium fore duxi, quia hic caſus, omnino peculiaris, non ſolum ulteriorem divulgationem meretur, verum etiam methodus, qua tractatus fuit, ad illuſtrationem porro dicendorum inſervit.

Studioſo cuidam 20 annorum *ante feſtum Michaëlis anno 1731 vena ſecatur baſilica dextri brachii, ſed adeo infauſte, ut arteria quoque ſubjacens* cubitæa *ſimul læderetur. Hoc an chirurgus ſtatim cognoverit, affirmare nequeo* (non cognovit, quia venam ſectam ſimplici tantum faſcia more ſolito firmavit, quod ſequens conſilium datum magis adhuc confirmat) *illud tamen certum eſt, quum tumor in flexura cubiti nucis avellanæ magnitudinem haberet, a chirurgo conſilium eſſe datum, ut ſtudioſus arcam parvam lapidibus oneraret & manu dextra frequenter agitaret; quo facto tumor indies evaſit major, ita, ut circa feſtum Martini, quo tempore ægrotus cl. Dom. Conſiliar. Aul.* Teichmeyeri *auxilium implorabat, jam ovo anſerino eſſet æqualis. Hic Vir cl. ex pulſu in tumore deprehendens, Aneuryſma adeſſe, abſque ſectione curationem vix ſperari poſſe, pronunciavit, hoc vero remedii genus ægroto tunc repudiante, alia quidem per unam alteramque ſeptimanam, ſed abſque ſucceſſu, attentata ſunt. Aliquot diebus poſt, neſcio quo fato, medicaſtro, omni ſcientia medica deſtituto, traditur æger; iſte, pro fungo articulorum habens tumorem,*

emol

emollientia applicat. Sic increvit tumor ſub enormibus doloribus ad inſignem magnitudinem. Medicaſter, ſuppurationem ex voto factam credens, cauteria potentialia duo applicat, quorum alterum hora XI *nocturna diei* XXI *Decembris cutem perforavit; ſed loco puris tanta ſanguinis erupit quantitas* (circiter ℔ vj.) *ut ægrotus & adſtantes, hæmorrhagiam timentes lethalem, denuo ad cel.* TEICHMEYERUM *tanquam ad ſacram anchoram, confugerent. Hic, ſedata hæmorrhagia,* foramen factum fortiter obturando, emplaſtro corio illito firmando & ſpleniis faſciisque ulteriorem ſanguinis profuſionem impediendo, *altero die Excell. D.* HILSCHERUM *atque me ad viſitandum ægrotum invitavit*, qui tantam hæmorrhagiam perpeſſus moribundo ſimilis erat. *Tumor in ſui medio, circa flexuram cubiti, latitudinem 8 vel 9 digitorum, longitudinem vero pede majorem habebat: latitudine enim ſenſim decreſcente paulului ultra medium humeri aſcendebat, & ultra medium cubiti deſcendebat; cutis circa flexuram cubiti fuſca apparebat. Conſilio inito, ſequenti die,* XXIII *nempe Decembris, horis matutinis, ſectionem inſtituere decrevimus, quæ ſequenti modo peragebatur. Interiori & ſuperiori humeri parti, proxime ſupra tumorem, itemque exteriori, duos cylindros ex linteaminibus convolutos, quorum diameter minimum duobus, longitudo quinque digitis æqualis erat, ita applicui, ut minimum internus tota ſua longitudine arteriæ incumberet: obvoluto linteamine aliquoties duplicato, filum cannabinum craſſius, Germanis* Klafter-Schnur, *bis laxe circumduxi, quod baculo ligneo contorſi.*

Explorato intus, ope ſtyli excavati hebetisque, pro inveſtigandis locis incidendis, *aperturæ per cauterium factæ immiſſi, tumore, cel.* TEICHMEYERUS *cutis ſectionem* cultro acutiſſimo *inſtituebat, initio facto a dicta apertura, quæ in cubito hærebat, & a flexura cubiti minimum tres digitos diſtabat. Continuata ſectione in linea recta uſque ad condylum humeri internum, eadem, ob tumorem, in humero adhuc per quatuor digitos ſecundum longitudinem humeri in parte ejus interna extendebatur. A medio primæ ſectionis condylum verſus externum humeri novam ſectionem inſtituere animus erat, ſed non, niſi per duos digitos, continuari poterat: tendo enim muſculi bicipitis ibi proxime cuti adhærebat, & ab oſſibus minimum tres digitos diſtabat, adeo, ut nulla ejus cum radio connexio, etiam poſt ſanguinis coagulati evacuationem, obſervari potuerit. Sectione ſufficienter facta, ſanguis*

fluidus quidem, ſed qualis ex venis prodire ſolet, effluxit, quo fluxu brevi ceſſante cl. TEICHMEYERUS *ſanguinis congrumati & pau'ulum fœtidi minimum libras duas* (Sectione facta, reperiebatur ſtatim partim fluidus, partim, & maximam quidem partem, coagulatus ſanguis in cavitate hujus ſtupendi tumoris, cujus quantitas ad minimum decem librarum [hîc procul dubio error] erat) *partim digitis cavitati immiſſis, partim leni preſſione externa, expreſſit. Apparuit tunc globus ex carne membranoſus ſuperficiei inæqualis, arteriæ adhærens, diametri duorum digitorum. Hunc exploraturus digitis paululum compreſſi, ex ægroto quærens, num dolorem perciperet, quod quum negaret, fortius preſſi, & ſic non ſolum ab arteria ſucceſſive ſeceſſit, ſed & in tribus locis ruptus ſanguinem coagulatum dimiſit. Omnibus ſic ablatis nuda arteria, non dilatata, cerni poterat, ſed nullam ejuſdem læſionem obſervare licebat, donec laxata paululum humeri ſtrictura, ſanguis floridus cinnabarinus per anguſtum foramen magno impetu proſiliret. Cognito ſic loco læſionis, humerus denuo conſtringebatur, & cl.* TEICHMEYERUS *fruſtulum vitrioli calcinati loco læſionis applicabat: huic imponebatur charta emporetica maſticata, tota regio pulveribus ſtypticis* (ex æquali ferme pondere radicis tormentillæ, biſtortæ, roſarum rubrarum, farinæ volaticæ, boli armenæ, ſanguinis hirci exſiccati, glutinis fabrorum, myrrhæ, maſtichis, aloës & colophonii) *conſpergebatur, reliqua cavitas linteamine carpto pulvere ſtyptico conſperſo, chartæ maſticatæ ſplenia minora, dein ſucceſſive majora, imponebantur, donec ſufficiens altitudo adeſſet, ut faſciæ circumduci potuerint. His quoque decenter applicatis, in lectum reponebatur ægrotus, ſed, laxata ſtrictura humeri, ubivis per faſcias ſanguis floridus arterioſus erumpebat. Denuo hinc humero conſtricto, faſcias & ſplenia ſeparavi, &* (eloto prius vulnere vino calido vel potius tepido, cocto prius cum radicis plantaginis, ſymphyti, angelicæ, carlinæ, ana unc. una, herbæ roris marini, ſalviæ, origani, ſerpilli, ocimi, polii montani, agrimoniæ, betonicæ, ſummitatum rutæ, florum hyperici, lavendulæ, meliloti, ana manip. uno, arnicæ manip. dimidio, cubebarum drachmis iij.) *ſolam chartam maſticatam, liquore ſtyptico imprægnatam, ex communi conſilio applicui, commendante Exc.* HILSCHERO *ad hunc uſum præ reliquis liquorem ſtypticum Dippelii*, qui paratur ex herbis traumaticis vel earum ſuccis, ut betonicæ, pimpinellæ, chærefolii, ſedi majoris, plantaginis,

numulariæ, millefolii, ariſtolochiæ, vincæ pervincæ, ſaniculæ, verbaſci, fabarum, centinodii, deſtillatis per retortam cum aceto; *reliqua, incurvato prius paululum brachio, eodem ac antea modo facta ſunt*, humectatis ſcilicet eodem liquore ſtyptico omnibus linteaminibus carptis, inſuper pulvere adſtringente & balſamico, antea deſcripto, conſperſis. *Ægroto in lectum repoſito & laxata ſtrictura humeri, nihil per faſcias effluebat; faſciis vero liquor ſpirituoſus, ex ſpiritu matricali*, theriacali, *& aqua Anhaltina* æquali portione mixtis, *affundebatur. Brevi poſt lenis & mollis tumor in manu & digitis apparuit, digitos tamen ægrotus melius poſt operationem, quam ante eandem, movere poterat. Pulſus, qui ante operationem celer erat, poſt eandem parcus quoque evaſit. Cura ægroti ſtudioſis medicinæ, qui operationi adſtiterant, commendabatur, ut nempe qualibet hora epithemata humida ex herbis balſamicis*, ſupra indicatis, *in vino coctis applicarent, & quolibet bihorio faſcias ſupra dicto liquore ſpirituoſo conſpergerent* (eoque ſimul brachium ſuperius & inferius lavarent, id quod per tres primos dies continuabatur) *atque medicamenta bezoardica & traumatica ab Exc.* TEICHMEYERO *tradita* (erant hæc mixtura & pulvis: Rec. tinct. bezoard. Wed., eſſent. traumat. Wed., theriacal. balſam. ana drachm. j. myrrhæ, ſuccini ana drachm. dimid., tinct. anodyn. gutt. xij. Rec. pulv. bezoard. Sennert. ſcrup. ij., contra caſum Auguſt., antimonii diaph. ana ſcrup. j. nitri depur. drachm. dimid., theriacæ cœleſt. gr. iij.) *decenti tempore* (Mixturæ propinabantur gutt. XLV. hora VII matutina & III pomeridiana, pulveris gr. XXV. hora X matutina & X nocturna, omnia cum aqua ceraſor. nigrorum) *exhiberent*, atque inſuper quidam adſtantium vinculum tortile aliquantum remiſſum continuo teneret, ut duobus illis craſſis ſpleniis, exterius & interius ad decurſum arteriæ applicatis, impetus ſanguinis aliquo modo conſtringeretur. *Proxima nox abſque ſomno fuit, altero die ſitis urgebat, pulſus erat celerior atque magnus, & tumor brachii tam infra ligaturam, quam ſupra eandem, major atque durior*, abſque tamen ecchymoſi aut inflammatione gangrænoſa; *venæ ſectio hinc in altero brachio* ad vj. vel vij. uncias *inſtituebatur & conſtrictio humeri omnis perfecte remittebatur.* Eodem die hora VI veſpertina clyſter etiam applicabatur, qui vero ſequente demum die operationem ſuam edebat, quod ægrotus ante operationem alvi ſolutionem expertus fuerat. Potiuncula porro ipſi parabatur ſequens:

Rec. aq. ſcorz., ſambuci, galegæ, ceraſorum nigrorum, flor. namphæ, cinnamomi ſ. v. ana unc. j, pulv. bezoard. Sennerti, cephalici Michaëlis epileptici Marchionum, antimon. diaph. ana ſcrup. j. Extracti theriacal., ſcorzoner. ana gr. iv, confect. alkerm. drachm. j. cujus cochlear unum, facta prius agitatione, ſingulis horis propinabatur. *Altera nocte per aliquot horas dormiverat ægrotus, fœtor circa faſcias percipiebatur, pulſus adhuc erat celer, ſed tumor brachii minus durus. Veſiculæ quoque quædam pellucidæ in dorſo manus & cubito erumpebant.* Per tres hoſce primos dies ægroto nullus cibus, præter juſcula, & pro potu ordinario decoctum hordei cum cornu cervi & ſcorzonera, attamen, quum hoc minus ad palatum eſſet, parcus cerevifiæ potus quoque concedebatur. *Nocte tertia rurſus per aliquot horas ægrotus ſomnum viderat, inſomniis tamen agitatus. Sequente die, XXVI nempe Decembris, veſiculæ ovo columbino æquales in vola manus videbantur, in quibus poſt apertionem gelatinoſa materia deprehendebatur; ægrotus vero fœtorem brachii ulterius ferre non poterat. Eodem igitur iſto die mane, conſtricto prius paulullum humero, inſtrumento iſto a D.* PETIT *invento & a D.* GARENGEOT *in ſuo de Inſtrumentis chirurgicis tractatu deſcripto, Gallis* Tourniquet *dicto, removebam faſcias atque ſplenia, & effluebant tam ſanguinis, quam materiæ purulentæ, junctim circiter unciæ quinque. Cutis, quæ poſt ſectionem flaccida erat, jam ſucco plena turgebat, optimi erat coloris, niſi quod alterum labium vulneris, ad tendinem uſque bicipitis facti, nigricaret. Dom. Conſil. Aul.* TEICHMEYERUS *chartam maſticatam, arteriæ adhærentem, cum ultimo ſplenio, arteriæ apprimebat, ut tanto tutius cavitatem a ſordibus purgare poſſem* (quod peragebatur penicillo ex linteaminibus carptis confecto & humectato ſpiritu matricali cum aqua Anhaltina mixto, alioque penicillo ex eadem materia parato, quo ubique vulnus inungebatur ſequenti linimento: Rec. pulveris myrrhæ, maſtichis, aloës, gummi ſandaracæ, radicis ariſtolochiæ longæ vulgaris, ana drachm. j, colophonii, balſami peruviani, copaivæ, ana drachm. ij, mellis roſarum quantum ſufficit) *qua purgata, totam chartam maſticatam circumcirca colophonio ſubtiliſſime pulveriſato conſperſi, reliquam vero cavitatis partem linteaminibus carptis, ſpiritu matricali imprægnatis replevi; impoſitis denique dicto modo ſpleniis,* ſiccis tantum, *faſcias adeo laxe circumduxi, ut circumvolutæ tantum viderentur*, fiducia in torcular repoſita.

In lectum ægro repoſito, multum laxavi ſtricturam humeri, & nulla ſubſecuta eſt hæmorrhagia. Vola quoque manus emplaſtris ſaturninis aliisque decenter tractabatur. Epithemata humida ſeponebantur & faſciæ liquore tantum ſpirituoſo conſpergebantur, eoque etiam ſingulis tribus vel quatuor horis brachium ipſum illinebatur & pellibus leporinis calefactis contegebatur. *Sequenti nocte ægrotus ſat bene dormivit, ſub inſomniis tamen. Quinto a ſectione die tumor brachii notabiliter imminutus erat & ægrotus non ſolum digitos, ſed etiam carpum, movere, poterat. Quinta nocte ſat quiete dormiverat ægrotus. Sexto die*, nempe XXVIII, ægroto interea alacriore, validiore & firmiore reddito, *denuo abſtuli faſcias cum ſpleniis atque linteamine carpto; charta maſticata firmiter adhuc adhærebat arteriæ, quam dum Excell.* TEICHMEYERUS *digito arteriæ apprimebat, totum ulcus a ſordibus purgavi*, (materiam in cavitatibus contentam, & duas circiter uncias adæquantem, molliter exprimendo, ſpiritum matricalem & aquam Anhaltinam, cum eſſentia oculorum populi elixirioque proprietatis ſine acido, cavitatibus infundendo, & omnia ope penicilli linimento ſuperius deſcripto abſtergendo) *partem nigricantem* in extremitate cutis apparentem, *quæ ſeſe ſeparaverat, a reliqua cute forfice amputavi, chartæ maſticatæ ambitum colophonio conſperſi, reliquæ vero cavitati balſamum atque eſſentiam oculorum populi illinivi, eamque linteamine carpto, liquore dicto ſpirituoſo impregnato, replevi, ſpleniis* duobus primis ſpiritibus humectatis, reliquis ſiccis, *atque faſciis decenter, leniſſime tamen, obduxi. Tendo bicipitis tunc in membranam expanſus apparebat.* Priusquam hæc fiebat deligatio, vinculum tortile firmabatur; ea vero peracta, rurſus aliquantum remittebatur, quantum ſcilicet neceſſarium videbatur ad impetum ſanguinis per arteriam vulneratam quodammodo coërcendum. *Sexta & ſeptima nocte optime quieverat ægrotus. Septimo die* nullam moleſtiam amplius ſentiebat, *cibum appetebat* (alium vero, quam hactenus, juſcula nempe, non exhibuimus, nec alium potum, quam ſupra indicatum, conceſſimus) *& materia purulenta copioſe per faſcias prodibat. Octavo die*, XXX *nempe Decembris, fœtor erat enormis, &, ablatis linteaminibus, non ſolum tendo bicipitis nigricans atque corruptus ex muſculo tantum pendebat, quem Excell.* TEICHMEYERUS *forfice amputabat, ſed charta quoque maſticata ſponte jam ab arteria ſecedebat, quæ vero ob carnem recentem & bonam circa eam concretam nuda ulterius, niſi in paucis*

punctis, haud apparebat, nec ſanguinem fundebat, tametſi humerus vix ſenſibiliter conſtrictus eſſet. Totam igitur arteriam novo conſperſi colophonio, novam quoque chartam maſticatam, liquore ſtiptico Dippelii paululum imprægnatam, loco læſionis impoſui, reliquaque, ut in tertia deligatione, inſtitui. Quum charta maſticata prima vice ſecederet ab arteria, veſtigium læſionis in eadem nullum obſervavi, ſequente vero die in loco læſionis particulam corneam, ſub lentis magnitudine, lividam vidi, quam vero die V Januarii, quum denuo ægrotum viſitarem, cernere ulterius haud potui, ſed tota arteria elegantiſſime carne tecta erat. Vitæ periculo feliciter ſic, adjuvante ſummo Numine, ſuperato, cl. Teichmeyerus *reliquam conſolidationem ſolus rurſus ſuſcepit, qui quoque in peculiari diſſertatione totum caſum illuſtrabit.* Ex hac diſſertatione hactenus collata plura addenda haud reſtant, quam ſequentia. D. xxxi Decembris alvo iterum obſtructæ clyſter denuo adhibitus fuit optato effectu. D. i Januarii omnis tumor brachii ſubſederat tam ſupra, quam infra vulnus, ſimiliterque color totius brachii erat naturalis. Durities tamen quædam, ſed non admodum dolens, manus latitudinem æquans, ſuper carpo obſervabatur. Stylo in vulnus immiſſo deprehendebatur, duritiem prædictam ad tres circiter digitos carpum verſus procedere, & quidem intra corpora muſculi ſublimis atque profundi. Quare mollem conficiebamus turundam, quam unguento illitam in cavitatem immittebamus, id quod etiam die ii Januarii in deligatione fiebat, quo pus valde pulchrum ſanumque & omni odore deſtitutum, admodum paucum tamen, in vulnere reperiebatur. Nos vulnus, ubi opus erat, eſſentia oculorum populi eluebamus, unguento balſamico illinebamus, denuo chartam maſticatam ea in regione, in qua arteria aperta fuerat, & quæ regio carne jam omnino veſtita clauſaque erat, collocabamus, & hoc quidem, ut eo cautius procederemus. Omnibus locis colophonium adſpergebamus, vulnus plumaceolis contegebamus unguento illitis, illudque ſpleniis deligabamus: neque enim ullum hactenus emplaſtrum impoſueramus. Splenia ſingulis tribus horis calidis ſpiritibus irrorabantur, manus etiam & brachium ſuperius illinebantur. Veſicæ in manus vola hactenus exiſtentes hoc die plane ſanatæ fuerunt, unde quoque nil quicquam emplaſtri miraculoſi ad earum ſanationem amplius applicatum fuit. Equidem tribus ante diebus in condylo humeri interno, nec non in regione muſculi anconei, aliquos ægrotus

ſentiebat dolores de ſynovia forſan accedente metum incutientes; ſed & hi evanuerunt & ſpatio duorum menſium ægrotus plane convaluit & ab omni motus impotentia liberatus fuit. Hactenus hiſtoria ex relatione cl. TEICHMEYERI atque HAMBERGERI.

Probe ergo perpendens, curam hujus affectus ordinariam, ſecundum quam arteria læſa ſupra vulnus ligatur, magnam cubiti debilitatem, propter ſanguinis arterioſi & ab hoc dependentis nutrimenti ſufficientem diſtributionem interceptam, ſemper poſt ſe relinquere, immo nonnunquam ipſius amputationis cauſſam fieri, inſuper nervi alicujus inſignis vicini, nimirum medii (*), ſive ſimul ligetur, ſive acus ope ſeparetur, læſionem indeque dependentia graviora ſymptomata facile accidere poſſe, e contrario ex leni, ſufficienti tamen, compreſſione & obturatione arteriæ vulneratæ, chartæ maſticatæ ope obtinenda; nullum horum metuendum eſſe: concludebam, hanc curam illi multum præferendam & ſemper prius, immo ſi vel etiam una vice effectum deſideratum haud præſtaret, ſæpius tentandam eſſe, antequam arteriæ ligatura ſuſcipiatur, præſertim quum hoc abſque periculo fieri queat, & ligatura ſemper adhuc locum habeat.

Perpendens porro, pro ſcopo obtinendo, præſertim in hoc & ſimili plerumque caſu, ubi curandus cæterum ſanus & robuſtus, pars læſa præterea nullam adhuc corruptionem internam paſſa eſt, potiſſimum requiri, ut 1) impetus ſanguinis, per arteriam læſam circulantis & vulnus ejuſdem diſtendentis, coërceatur, 2) vulnus leniter, ſufficienter tamen, comprimatur ejusdemque labia inter ſe conjungantur, 3) corruptio præcaveatur, 4) partium tamen carnoſarum circumjacentium lenis ſuppuratio, indeque novæ carnis propullulatio, excitetur, 5) de novæ hujus carnis propullulantis condenſatione proſpiciatur, atque ſic 6) non ſolum arteriæ vulneris firma obturatio, ſed etiam ſimul omnium partium diviſarum conjunctio & conſolidatio obtineatur: concludebam hinc, intuitu *primi momenti* ſufficere torcular ad obturationem uſque vulneris arteriæ prudenti directione continuatum; intuitu *ſecundi momenti* nil aptius excogitari poſſe, quam chartam emporeticam ſeu bibulam maſticatam, quia ſub hac forma & qualitate non ſolum ſanguini penetranti reſiſtere

(*) *Conf.* WINSLOW *traité des Nerfs* §. 228.

valet, verum etiam omnibus eminentiis & excavationibus ſe accommodat, adeoque undiquaque æqualiter, abſque ulla tamen irritatione vel læſione (quod ab acidis & acribus adſtringentibus minus æque exſpectare licet) comprimit atque hac ratione ſimul arteriæ vulneris labia inter ſe conjungit; intuitu *tertii momenti* ſpiritum vini rectificatiſſimum omnibus palmam præripere, quoniam neque vaſa ſanguiveha, neque partes nervoſas, corrumpit, ſed potius ab omni injuria defendit, atque præterea roborat, adeoque ſimul intuitu ſecundi momenti utilis eſt, dum leni adſtrictione partes disjunctas conjungit, e contrario vitriolum, ut & liquores ſtyptici decantati, ab acido concentrato conſtringentes vires ſuas obtinentes, ſi vel etiam his utile quid præſtare poſſent, partibus ſaltem nervoſis adverſa ſunt, immo etiam reliquas partes teneras, præcipue vaſcula nova propullulantia, potius corrumpunt, quam a corruptione defendunt, quemadmodum etiam vegetabilia adſtringentia craſſa, & impura, putredinem potius fovent, quam cohibent; intuitu *quarti momenti* ſola ita dicta ſarcotica ex gummoſis, reſinoſis & terreis, cum digeſtivo vulgari & ſimplici, ex terebinthina veneta cum vitello ovi conjuncta, & tandem intuitu *quinti* & *ſexti momenti* hæc eadem ſarcotica una cum ſpiritu vini rectificatiſſimo ſufficere.

Hæc animi mei ſenſa poſtquam honoratiſſimis meis Collegis atque Chirurgis expoſueram, hique ea unanimi conſenſu approbaverant, ad operationem ſuſcipiendam ſequens adſtruebatur apparatus: aderant nempe

1) in omnem eventum & neceſſitatis caſum, qui arteriæ vulneratæ ligaturam urgeret, duæ acus obtuſæ peculiares a D. LE DRAN inventæ, ſingulæ duobus filis tenuibus, robuſtis tamen & probe ceratis, inſtructæ;

2) vinculum tortile vulgare: nempe funiculus robuſtus, Germanis *Klafter-Schnur*, bacillus; duæ in cylindrum denſum, circiter duos digitos tranſverſos craſſum & quatuor longum convolutæ faſciæ; ſplenium ex linteo complicato quatuor digitos tranſverſos latum & tam longum, ut brachium bis circumdaret; fruſtum denique chartæ craſſæ & compactæ, Germanis *Pappendeckel*, tres digitos magnum;

3) aliquot unciæ ſpiritus vini rectificatiſſimi;

4) aliquot unciæ aceti deſtillati, loco liquoris ſtyptici adhibendi, ſi præter ſpem ſpiritus vini ad cohibendam hæmorrhagiam minus ſufficeret;

5)

5) quantitas ſufficiens vini calidi;

6) pulvis ſarcoticus ita compoſitus : Rec. pulveris maſtichis, olibani, myrrhæ, colophonii, ſanguinis draconis, ana drachm. j. glutinis fabrorum, boli armenæ, ana ſeſqui drachmam.

7) aliquot orbiculi chartæ bibulæ maſticatæ, duplicis generis : duo nempe minores pollicem circiter lati atque vulneri arteriæ immediate applicandi, maſticatione præparabantur ex illa charta tenera & rubella, ex qua libelli illi, quibus auri folia condi ſolent, conficiuntur, plures vero & majores ex charta bibula tenera vulgari, ad priores contegendos : diſcrimen hoc propterea eligebatur, ut in deligationibus ſequentibus eo minus error committeretur, quamdiu requiritur, ut infimi intacti relinquantur.

8) ſufficiens quantitas lintei carpti, aliquot ſplenia, & faſcia conveniens;

9) Mixtura confortans, pro reficiendo operationem paſſuro : Rec. aqu. florum tiliæ, tunicæ, rubi idæi, ceraſorum nigrorum, ana ſuſcunciam, cinnamomi cum floribus cordial. drachm. ij, liq. anod. miner. Hoffm. ſcrup. ij, ſir. ceraſor. acidorum drachm. iij, confect. alkerm. incomp. drachm. j. miſceantur.

10) Spiritus ſalis armoniaci anthoſati drachm. iij pro excitando ægroto forte deficiente.

His omnibus rite diſpoſitis, ægroto in ſellam collocato & Divini Numinis auxilio implorato, ipſa operatio die III Auguſti hora X matutina ſequenti ordine & modo ſuſcipiebatur.

1). Apparatus cura commendabatur Dom. Eierich.

2). Vinculum tortile ita applicabatur : unus cylindrorum ex faſcia factus imponebatur interiori humeri regioni ſuper arteria brachiali mox infra axillam, alter exteriori regioni oppoſitæ, ambo firmabantur ſplenio bis brachium ambiente, & ſuper hac bis, ſed valde laxe, ducebatur funiculus ad externam regionem colligatus, ubi uterque funiculi circuitus ope bacilli ſuper fruſto chartæ craſſioris ſuppoſito eouſque pedetentim contorquebatur, ut nullus amplius pulſus in carpo percipi poſſet, cujus directionem poſtea Dominus Zinck in ſe ſuſcipiebat.

3). Quidam adſtantium famulorum firmiter tenebat cubitum, quouſque poſſibile erat extenſum, & tunc Dominus Mullnerus lanceola provide incidebat tegumenta Aneuryſmatis ad locum inferiorem

& fere medium, paululum tamen interiora verſus, pro evitando bicipitis tendine, & quum nil, præter ſanguinem nigrum & congrumatum, in conſpectum veniſſet, ſectionem proſequebatur per totam Aneuryſmatis longitudinem, moxque digito aliquot grumos diſſolvebat & extrahebat, quos 2 vel 3 unciæ ſanguinis fluidi, non tamen adeo floridi, ſequebantur. Poſthæc magis magisque totam cavitatem a grumis digitorum ope purgabat ac denique quendam paulo firmius ad locum arteriæ adhærentem & aliter conformatum protrahebat, illi, quam Domini Jenenſes in caſu ſuperius expoſito offenderunt, valde ſimilem, articulum digiti magnitudine æquantem, ſanguine congrumato pallidiorem & quaſi membranoſum, inferius præterea ſulco, arteriæ trunco procul dubio reſpondente, manifeſte excavatum. Quum vulnus pro detegenda & libere conſpicienda arteria nondum ſatis amplum videretur, forfice porro tegumenta, quouſque ſoluta erant, non ſolum & ſuperius & inferius, ſed etiam tranſverſim ad condylum humeri internum uſque, diſcindebat, & poſtea totam cavitatem vino calido eluebat, quibus peractis denique arteria in conſpectum veniebat nuda, & ſic confirmabat, Aneuryſma omnino fuiſſe ſpurium. Ut autem ipſius etiam arteriæ vulnus detegeretur, vinculum tortile relaxabatur, & tunc illico ſanguis tenuis & floridus cum impetu & arcus forma proſiliebat, quo viſo, D. Mullnerus locum probe obſervatum ſtatim digito comprimebat, & altera manu eidem imponebat orbiculum maſticatæ chartæ rubellæ, quem Dom. Eierich ſpiritu vini rectificatiſſimo imbuerat, & pulvere ſarcotico N.° 6. largiter conſperſerat.

Conſtricto interea a Dom. Zinck rurſus vinculo tortili, primo orbiculo imponebat D. Mullnerus ſecundum ex pari charta paratum, & poſtea plures ex vulgari charta bibula confectos, omnes ſpiritu vini rectificatiſſimo & pulvere ſarcotico imbutos, uſque dum ſummam cavitatis ferme attigerint; reliquum cavitatis implebat plumaceolis pariter ſpiritu vini rectificatiſſimo & pulvere ſartotico impræ-gnatis, totum vulnus tegebat uno & altero ſplenio quadrato, & tandem omnia firmabat faſcia firmiter conſtricta.

4). Dum hæc peragebantur, ægrotus aliquoties pallebat & gravem virium defectum ſentiebat, ſuo tamen judicio magis ex vinculi tortilis conſtrictione, quam ipſius operationis doloribus, nihilominus omnia firmo animo ſuſtinebat, ſemper ſibi conſtabat atque ſe ipſum odore

ſpiritus N.° 10 excitabat, hauſto ſimul interdum uno vel altero cochleari mixturæ N.° 9 propinato.

5). Quam primum deligatio facta erat, vinculum tortile pedetentim denuo penitus relaxabatur & tamen nullum per faſciam penetrantis ſanguinis veſtigium obſervabatur. Quum vero explorato in carpo pulſu hujus nullum indicium per 6 ferme temporis momenta minuta perciperetur, dubium oriebatur, numne arteria per applicata penitus fuerit compreſſa; ſed inter meditationes, quid porro faciendum, ſenſim ſenſimque penitus hic rediit & ſummum in adſtantium gaudium declaravit, circuitu ſanguinis per arteriam licet reſtituto, nihilominus tamen eum per vulnus non amplius excedere, adeoque primam ſtatim deligationem optato ſucceſſu eſſe peractam, pro quo beneficio Deo agebantur gratiæ debitæ.

6). Quoniam autem neceſſum erat, ope conſtrictionis, ſanguinis per arteriam circumeuntis impulſum moderari, ſicque vulneris ejus coalitum facilitare, minus commodum vero videbatur, vinculum tortile ſupra deſcriptum ſemper in debito conſtrictionis gradu dies noctesque conſervare; hoc removebatur & aliud ejus in locum applicabatur, eum ferme in modum conſtructum, prouti a Garengeot (*a*) deſcribitur & delineatur. Hoc debita ratione firmato ægrotus in lectum collocabatur, brachio ſupra & infra deligationem ſpiritus vini camphoratus illinebatur, eique pulvinar ſubſternebatur & imponebatur.

7). Pro regimine præſcribebatur diæta tenuis, cibi nempe loco ſola juſcula, & loco cereviſiæ, cui aſſuetus erat, aqua tantum fontana haud nimis frigida; ex medicamentis nihil neceſſarium putabatur, quam pulvis temperans ſequens: recip. lapid. cancrorum acido citri ſaturatorum, nitri depurati ana drachm. j. pro quatuor doſibus quotidie una mane, altera ante ſomnum capiendum, cum aqua fontana ſumendis. Cæterum ægroto ſemper adjungebantur duo ex chirurgiæ ſtudioſis, qui dies noctesque ejus curæ invigilabant. Hac ſub diſpoſitione dies & nox inſecuta ſatis tranquille tranſigebantur. Altero die ægrotus nonnullum æſtum, & ſitim paululum auctam ſentiebat, hinc ſequens mixtura ſæpius capienda ipſi præſcribebatur: Rec. aqu. rubi idæi, fragorum, ceraſor. nigrorum, florum tiliæ, ana unc. ij, cinnamomi

(*a*) *Traité des inſtrumens de Chirurgie Tom. II. à la Haye 1725, p. 142, editionis Germanicæ ab J. A.* Miſchel *translata & Berolini 1729 editæ p. 143.*

cum floribus cordialibus drachm. ij, liquor. anodyni mineralis Hoffmanni ſcrup. ij, clyſſ. antimonii ſulphurati ſcrup. dimid., ſir. ceraſor. acidor. drachm. vj miſceantur. Cæterum brachio ſpiritus vini camphoratus, ut antea, aliquoties interdiu illinebatur. Tertio die cubitus & manus notabiliter tumebant, pulſus paululo auctior, & urina ſaturata cum ſedimento obſervabatur, alvus vero libera & reliqua omnia ſatis tolerabilia, manebant, quare regimen inchoatum tantum continuabatur, neque venæſectio neceſſaria habebatur, præſertim quum quarto die ſitis, pulſus & urina naturalibus & conſuetis iterum reſponderent.

Quum vero tertio jam die fœtor circa vulnus notabilis oriretur, & ſuppurationem plenam indicaret, altero die, nempe VI Auguſti, recens deligatio ſequentem in modum inſtituebatur:

3). Ægroto iterum in ſellam collocato & torculari GARENGEOTI hactenus applicato remoto, ejus in locum prius vinculum tortile ſubſtituebatur, ita tamen, ut funiculus tantum duplex ſuper reliquo apparatu poſterioris torcularis duceretur & ſuppoſita charta craſſa ope bacilli contorqueretur, uſquedum pulſus in carpo iterum evaneſceret.

2). Poſthæc adſtans firmiter tenebat cubitum, D. MULLNERUS ſolvebat faſciam, removebat ſplenia & plumaceolos, tandemque chartæ maſticatæ orbiculos, uſque dum duo ultimi chartæ rubellæ in conſpectum venirent, id quod dextra manu peragebat, dum ſiniſtra ſemper orbiculos chartaceos arteriæ apprimebat. Remotis omnibus (exceptis duobus infimis orbiculis chartæ rubellæ, & his proxime incumbente ex charta bibula vulgari confecto, firmiter ſiniſtra manu in ſitu priſtino immotis retentis) dextera eluebat, ope ſyringæ, vino calido totam vulneris cavitatem, quæ ubique recens comparebat & paucam tantum puris quantitatem fundebat.

3). Recentes orbiculi, ex charta bibula vulgari maſticata parati, iterumque ſpiritu vini rectificatiſſimo, pulvereque ſarcotico imbuti, eodem modo, ac in prima deligatione, applicabantur, reliqua vero cavitas iterum plumaceolis, ſpiritu vini rectificatiſſimo imprægnatis, ſed porro unguento digeſtivo vulgari ſupra pag. 560 indicato obductis, replebatur, & reliqua, ut antea, feliciter peragebantur.

4). Interea temporis aliquoties quidem levia animi deliquia iterum intercurrebant, ſed pariter ſpiritus odore diſpellebantur.

5). Facta deligatione, tortile vinculum penitus relaxabatur, & pulſus iterum non, niſi poſt aliquot minuta, naturalis redibat.

6). Vinculum tortile cum torculari commutabatur, hocque ſub modica tantum adſtrictione applicabatur, ſupra ligaturam & infra eam, ſpiritus vini camphoratus illinebatur, ægrotus in lectum collocabatur &, ut antea, fovebatur.

Reliquam partem quarti diei, noctem inſecutam & quintum diem ægrotus ſatis tranquille tranſigebat abſque ullo accidente præternaturali, ut & noctem ſequentem; ſub hac tamen ſomno profundo ſepultus aliquanto poſt ſubito ſe erigebat & brachium læſum valde extendebat, quia ſibi ſomnianti videbatur a quodam invadi. Vigiles, illico deligationem explorantes, aliquam in faſciis obſervarunt quidem maculam, ſed quum ſanguineum colorem haud referret, fœtoremque potius ſpiraret, certiores reddebantur, eam a transſudante pure tantum ortam eſſe & nil metuendi accidiſſe.

Sexto die, VIII Auguſti, tertia deligatio inſtituebatur, ſub qua torcular non commutabatur, ſed tantum paulo fortius, non tamen ad plenam uſque ſuppreſſionem pulſus in carpo, conſtringebatur, deinde omnia, exceptis iterum tribus infimis orbiculis chartaceis, removebantur, cavitas iterum vino calido ope ſiphonis eluebatur, interea orbiculi chartacei in ſitu relicti arteriæ apprimebantur, & reliqua, ut in ſecunda deligatione, peragebantur, tandemque torcular ad lenem uſque conſtrictionis gradum relaxabatur, brachium ſpiritu vini camphorato fovebatur, & ſic hac quoque vice ægrotus optato ſucceſſu lecto committebatur, ejusque cura ordine hactenus conſueto continuabatur.

Hac ſub deligatione nullam plane ſenſit alterationem ægrotus, qui etiam totum hunc diem, ſequentem noctem, ut & ſeptimum diem, cum nocte inſecuta, ordine naturali & abſque ullo ſymptomate tranſegit; interea tumor cubiti manusque etiam plane diſparuit.

Quum ergo omnia ſecundum naturam fierent, nullum veſtigium alicujus commotionis febrilis ſupereſſet, urina potius juſto tenuior & limpidior compareret, ægroto tunc concedebatur, ut interdum hauſtu cereviſiæ ſe reficeret, interdiu aliquot horas lecto ſe detineret, & unam tantum pulveris temperamentis doſin veſperi aſſumeret.

Die octavo, X Auguſti, quarta deligatio fiebat, eodem modo, ac tertia, niſi quod duo infimi tantum orbiculi chartæ maſticatæ rubellæ in ſitu detinerentur.

Hac ſub deligatione vulnus quidem merum ſanguinem ſtillabat, non tamen arterioſo, ſed venoſo ſimilem & mox, applicato tantum apparatu hactenus conſueto, ſe iterum ſiſtentem, hincque nullum metum periculi incutientem.

Ab hoc tempore recens deligatio quotidie inſtituebatur, & nono die, XI Auguſti, totum vulnus ab omnibus ſordibus plane mundum, orbiculique chartæ maſticatæ rubellæ primo die applicati penitus mobiles atque ſoluti deprehendebantur. D. Mullnerus ergo has quoque removebat, digitum regioni, quam occupabant, applicabat, mox tales orbiculos recentes &, ut antea, ſpiritu vini rectificatiſſimo & pulvere ſarcotico impregnatos ſubſtituebat, reliquamque vulneris cavitatem plumaceolis, ſolo ſpiritu vini rectificatiſſimo madefactis replebat, quo modo etiam deligatio die XII Auguſti peragebatur. Die ſequente, qui erat dies Solis & undecimus ab operatione facta, vulnus penitus evacuatum curatius examinabamus & ſummo gaudio animadvertebamus, torculari licet penitus relaxato, non ſolum ne unicam guttulam ſanguinis exſtillaſſe, ſed etiam totam arteriam recenti & firma carne obductam eſſe. His obſervatis deligatio quidem, ut antecedens, peragebatur, ſed ægroto concedebatur, fruſtulo aſſatæ carnis vitulinæ appetitui ſatisfacere, pulvis præterea temperans non amplius utilis judicabatur, quemadmodum nec vigilum cura & torcularis applicatio, quæ cumprimis perfectæ quieti nocturnæ impedimento erat. Quum ergo totum vulnus mundum & carne firma magis magisque repletum deprehenderetur, ſemper quidem reliqua cavitas orbiculis chartæ maſticatæ, & plumaceolis ſpiritu vini rectificatiſſimo pulvereque ſarcotico imbutis adhuc replebatur, ſed ſimul, pro obtinenda & acceleranda commoda cicatrice, emplaſtris glutinantibus contrahebatur ita, ut ex rotundo vulnere oblongum fieret, & labia ejus propius ad ſe invicem accederent. Præterea, quum ex his circumſtantiis optatis certo conſtaret, non ſolum arteriam læſam carne ſana atque robuſta ſatis munitam, ſed etiam ipſum vulnus ejus conſolidatum eſſe, de die XVII Aug. cubitus quandoque leniter extendebatur. Ab eo namque tempore, quo Aneuryſma notabile incrementum cepit, ægrotus, ad temperandos dolores, ſemper tenebat cubitum flexum, unde muſculus biceps ejusque tendo, tam valide contrahebatur, ut poſtea cubitum libere extendere non amplius potis eſſet; ut autem & hujus muſculi & tendinis ejus relaxatio eo facilius

obtineretur, quotidie aliquoties inungebatur ſequens linimentum: Rec. ungu. de althæa, populnei, ana ſeſcunciam, olei petræ rubri drachm. j. miſceantur. Hac itaque ſub directione, aſpirante Divini Numinis gratia, eo res ad votum ceſſit, ut quatuor hebdomadum decurſu & tota vulneris cavitas carne firma ſanaque repleta, & cicatrix eouſque perducta fuerit, ut ſpatium duos tantum transverſos digitos longum & duas lineas latum relictum eſſet nudum.

Quum ergo vulneratus eouſque reſtitutus eſſet, &, rerum domeſticarum cauſſa, domum redeundi deſiderio flagraret, nullum ſupererat dubium die III Septembris voto ipſius ſatisfaciendi, hac tamen addita admonitione, ut ad plenam uſque cicatricis formationem quotidie bis nudam adhuc carnem linteo ſpiritu vini rectificatiſſimo madefacto tegeret, & emplaſtro defenſivo firmaret, linimentum etiam prædictum continuaret, & leni extenſione cubitum ſæpius exerceret, ipſe autem, quam primum fieri poſſet, huc reverteretur, quia neceſſe adhuc eſſet, ut ligaculum quoddam applicaretur aliquamdiu geſtandum, ad præcavendam arteriæ, ad locum vulneris debilitatæ, ſub gravioribus motibus extenſionem, indeque novam Aneuryſmatis, vel ſpurii vel veri, productionem.

Brevi poſt cicatrix optime firmata & ſiccata, brachii quoque extenſio æque, ac flexio, penitus libera reddita, & ſic vulneratus in integrum reſtitutus eſt, qui poſt duos demum menſes ad nos rediit, ubi de his propria exploratione certiores facti ſumus. Nihilominus, plenæ ſecuritatis cauſſa, D. MULLNERUS ligaculum ſupra memoratum adaptabat, & eodem modo, quo vena ſecta firmatur faſcia, ſed ſimplici tantum tractu, adplicabat ita, ut globulus quidam eidem inhærens exacte reſponderet loco, ubi arteria læſa fuit. Hoc ligaculo per aliquot adhuc menſes, graviores præcipue labores ſuſcipiens, uſus eſt hic vir, qui menſe Februario hujus anni huc regreſſus de curationis perfectione me iterum certiorem fecit.

Anno 1748, die 26 Aprilis pellionis hujus loci ſervo, annum ætatis 28 agenti, temperamenti ſanguineo phlegmatici, natione Pomerano, pariter lanceola ſaltante vena ſecabatur baſilica dextri brachii. Ex ratione balneatoris, qui ictum adminiſtrabat, mox ſequebatur dolor inſolitus atque continuus, quare eum perpeſſus ejuſdem diei veſpera eundem balneatorem adibat & de dolore vehementi conquerebatur. Ille in regione, qua vena ſecta fuit, ruborem quendam ſeu inflam-

mationem obſervans ſpiritum vini camphoratum eidem adplicabat &, dum altero die notabile enchymoma ibidem vidit, ejuſdem ſpiritus crebriorem adplicationem commendavit. His ſub circumſtantiis vulneratus opificium ſuum pro viribus adminiſtravit in tertiam uſque hebdomadam; interea vero in loco læſo comparebat tumor caſtaneæ magnitudine, cui balneator adplicuit emplaſtrum ad rupturas, aucto vero dolore & tumore, ſplenium denſum ſpiritu vini camphorato imbutum impoſuit & faſcia circulari valide firmavit hacque ratione per octiduum continuavit. Statu hoc inde neutiquam in meliorem mutato, balneator collegam & affinem ſuum conſuluit, qui, commodiori conſilio ſuccurrere neſciens, fortiorem adhuc compreſſionem ſuadebat, quæ vero non ſolum totius brachii manusque tumorem, verum etiam intolerabilem dolorem excitabat. Licet autem hæcce methodus minime fructuoſa, pernicioſa potius, reperiretur; nihilominus hic balneator omnem medelam in ſola compreſſione ponebat & de fortiori adhuc tantum cogitabat, eandemque ope machinæ cum cochlea tumori adplicatæ obtinendam eſſe putabat. Hac itaque tumor fortiſſime comprimebatur; inde vero cutis compreſſæ necroſis mox ſequebatur, quæ partes mortuæ deinde digeſtivis tractatæ ſe a ſanis ſeparare cœperunt die 2 Julii, quo tempore ille, qui infelicem hanc venæſectionem peregit, de eventu optato ſollicitus adiit D. Wolfg. Jac. Mullnerum, chirurgum illum, ac Operatorem hujus loci expertiſſimum (cujus dexteritatem in priori obſervatione jam laudavi) eumque rogavit, ut ſecum inviſeret ægrotum. Hic exploratam partem læſam ſtatim agnovit pro Aneuryſmate ſpurio, ſimulque declaravit, ex incongrua tractatione malo in pejus mutato, amplius ſeparatis eſcharis, hæmorrhagiam graviſſimam vel plane lethalem, facile ſecuturam, nec aliam medelam quam ex operatione ſperandam eſſe, ad quam perficiendam opem ſuam ſimul obtulit. Hiſce ſe opponebat alter balneator, contendens, eſcharæ ſeparationem & ulceris conſolidationem eſſe exſpectandam, & his obtentis emplaſtrum ita dictum pamphylium reliquum tumorem exſiccare poſſe. Sed accidit paulo poſt idem, quod Mullnerus prædixit. Die ſcilicet octavo Julii, quum læſus balneatoris prioris domum peteret & hunc ſociosque ſuos peropportune præſentes inveniret, Aneuryſma ſponte ſua rumpebatur & magnam copiam ſanguinis fundebat, quem omni ſtudio ope torcularis, quod ipſis antea communicabat & commendabat Mullnerus,

ſiſtere

ſiſtere conabantur. Sequente die ab his ipſis balneatoribus vocatus eſt ſæpius memoratus Mullnerus atque rogatus, ut auxilio ſuo ipſis ſuccurreret, quod etiam lubens ſe præſtiturum ſpoſpondit & poſtea ad me venit petiitque, ut operationi ſuſcipiendæ adſiſterem omniaque, ut in priori caſu, dirigerem. Die ergo Julii nono matutinis horis hic prope humerum adplicabat torcular cum trochlea & pulvillo ex aluta confecto & bene farcto faſciaque circulari ad illud pertinente, deinde præſentibus duobus illis balneatoribus ſolvebat ligaturam & obſervabat læſam partem floreni magnitudine majorem ſphacelatam, tandemque partes mortuas proximasque vivas ſufficienti quantitate lintei carpti ſeu plumaceolorum & ſpiritu vini rectificatiſſimo imbutorum muniebat neceſſariisque ſpleniis faſciisque firmabat. His peractis relaxabat torcular eouſque, dum pulſum in carpo denuo ſentire poſſet; ipſa operatio vero in diem ſequentem differebatur.

Hoc die 10 Julii ergo mane conveniebamus, & aderant quoque ex collegis meis honoratiſſimis D. D. Ge. Leonh. Huthius D. D. Jo. Frid. Herelius junior & D. D. Jo. Adam. Bauer; Dn. Mullnerus vero rogabat Collegam ſuum Dn. Jo. Eberhard Eierich, Chirurgum & Operatorem non minus expertum, ut ipſi auxiliatrices manus porrigeret, quemadmodum id in priori caſu laudabili ſtudio & dexteritate præſtitit. Cæterum ex collegis eorum curioſitatis gratia accedebant porro D. Christoph. Andr. Mullerus & Dn. Ernest. Leopold. Stoeckelius.

Quum conſilium capiebamus, operationem eadem methodo, quæ feliciter antea ceſſit, ſuſcipere, idem etiam apparatus in ejuſdem caſus recenſione fuſius deſcriptus, parabatur, non neglecto illo, quo in caſu neceſſitatis pro arteria liganda opus eſſet. Ut reliquis accidentibus quoque proſpiceretur, ordinavi 1) mixturam confortantem cochleatim ſumendam eodem modo, ac ſupra p. 561, n°. 9 deſcripta eſt, compoſitam.

2). Odoramentum naribus ſubinde admovendum: rec. ſpiritus roris marini drachmas tres, ſalis armoniaci anthoſati drachmam unam.

3). Pulverem temperantem ſingulis ſex horis propinandum: rec. matris perlarum acido citri ſaturatæ, nitri depurati ana grana quindecim, cinnabaris antimonii rectificati grana decem, pro doſi.

His omnibus paratis & divino auxilio implorato ipſa operatio ſequenti ordine & modo ſuſcipiebatur.

D. Operator Millnerus collocabat vulneratum in ſedile, applicabat vinculum tortile ſimplex cum funiculo & bacillo & committebat ejus directionem Stoeckelio, cubitum vero extenſum firmiter tenendum commendabat Müllero. Deinde ligaturam vulneris ſolvebat, quo facto vulnus a ſphacelo exeſum floreni majoris amplitudine apertum & ſanguine grumoſo magnaque ex parte quaſi polypoſo ſeu fibroſo repletum apparebat. Poſtea hunc grumoſum ſanguinem indice manus dextræ pedetentim & provide removebat mole ſua duas uncias facile æquantem, & partim cum cute, partim & magis adhuc cum ſubjacentibus muſculis vaſisque firmiter cohærentem. His peractis vulnus cum vino calido ſyringæ ope probe eluebat eouſque donec arteria ſatis clare in conſpectum veniret. Hac detecta vinculum tortile relaxandum præcipiebat, quo facto ſanguis illico & magno cum impetu ad operatoris brachii longitudinem proſiliebat, qui interea aperturæ locum attentus obſervabat eidemque tam cito, quam fieri poterat, obturamenta jam parata adplicabat, conſtricto interea iterum torculari. Conſiſtebant hæc primo ex charta bibula tenuiſſima, maſticata, ter quaterque complicata, & quadratam in formam pollicis magnitudine explanata, alcohol vini impægnata & pulvere ſtyptico atque conglutinante, priori in caſu p. 561, n°. 6. deſcripto, largiter conſperſa. Harum placentularum chartacearum erant ſex, ſingulæ prædicto modo præparatæ, quarum una alteri imponebatur, & prima præcipue tam provide adplicabatur, ut non ſolum arteriam, verum etiam vicinas partes accurate ambiret. Reliqua vulneris cavitas, quæ ovum gallinaceum facile capiebat, placentis ex linteo carpto paratis, ſeu plumaceolis ſic dictis & alcohol vini largiter pariter imbutis replebatur tota, cui imponebantur tria ex complicato linteo confecta ſplenia omniaque denique faſcia circulari 4 vel 5 ulnarum firmabantur. His abſolutis bacillus vinculi ad pulſus uſque in carpo ſenſationem relaxabatur & deinde hoc cum torculari trochlea inſtructo commutabatur, hocque iterum conſtringebatur, ita tamen, ut pulſus in carpo percipiendus non plane ſupprimeretur. Totum denique brachium habena ſeu mitella (*Eſcarpe*) ſuffulciebatur, æger lecto committebatur, ſerioque monebatur, ut ſemper ſervaret brachium quietum, diætamque tenuem. Idem dies & nox ſecuta ſatis tranquille tranſigebatur, & die 11 Julii reperiebatur faſcia adhuc firma & abſque ulla ſanguinis tranſudantis macula. Hunc diem excipiebat

nox minus tranquilla, abſque tamen ullis ſymptomatibus notatu dignis.

Die 12 mane iterum conveniebamus, ubi, fortius denuo adſtricto torculari, operator faſciam circularem & deinde ſplenia unacum tribus vel quatuor plumaceolis removebat, quorum vices ſupplebant totidem recenter confecti & alcohol vini pariter probe imbuti. Tunc ſimul vulneris labia, ex ſphaceloſa corruptione male olentia, plumaceolis alcohol vini & unguento digeſtivo impraegnatis muniebantur, additisque ſpleniis omnia iterum, ut antea, faſcia circulari colligebantur. Eodem die vulneratus vehementer me rogabat, ut ipſi cibum magis nutrientem carnemque, & aquae loco cereviſiam concederem, quum ventriculus ſuus pomeranus ejusmodi victum parcum & tenuem amplius perferre haud poſſet: quibus rationibus conſenſum eo facilius praebui, quo minus ullum ſymptoma contradicebat, quemadmodum etiam easdem ob rationes uſum omnium remediorum internorum amplius continuandum haud injunxi. Hac ſub mutatione nox ſequebatur tranquilla.

Die 13 deligatio eodem modo iterabatur, quam ſequebatur dies & nox tranquilla, ſi excipias levem animi inquietudinem.

Die 14 deligatio pari modo renovabatur & ſimul duo vel tres plumaceoli plures quam hucusque removebantur: dies & nox ſequebantur ad votum.

Die 15 & 16 deligatio & valetudo eadem, & die 16 vulnus ſimul cum ſpiritu vini ſimplici ſyringae ope probe eluebatur.

Die 17 patiens indicabat vulneris dolores majores illis, quos hucusque ſenſit: in deligatione reperiebantur non ſolum labia vulneris recentia, verum etiam ipſum vulnus a ſordibus magis purgatum, quae partes nunc magis vivae procul dubio etiam magis ſenſiles redditae ſunt. Effluebat ſimul ex vulnere pauca quantitas ſanguinis, ſed ſolummodo ex venarum oſculis nunc, purgata corruptione & impedito, ob torcular adplicatum, ſanguinis libero circuitu, magis apertis.

Die 18 ſub deligatione iterum duo plumaceoli ex illis, qui a prima deligatione relicti fuerunt, cum reliquis quotidie renovatis removebantur, ubi iterum pauca ſanguinis venoſi quantitas effluebat.

Die 19 remotis omnibus plumaceolis duæ etiam ex placentulis chartaceis liberæ reperiebantur & ſimul eximebantur, vulnusque probe purgabatur, cæterum plumaceolis denuo replebatur ſimulque torcular removebatur, relictis tamen ejus faſcia coriacea & ſplenio ſuper arteria brachiali faſciæ ope, ſed leniter tantum conſtrictæ, firmato.

Die 20 reliquæ etiam placentulæ chartaceæ reperiebantur ſolutæ, quibus remotis, vaſa antea denudata nunc carne recenti firmaque penitus tecta ſe ſiſtebant, de quo magna cum voluptate certiores reddebamur. His obſervatis cavitas replebatur ſolis plumaceolis, alcohol vini tamen adhuc imbutis & pulvere ſtyptico & glutinante denuo conſperſis, omniaque faſcia ordinaria firmabantur.

Die 21, qui erat undecimus ab operatione facta, vulnus ad conſolidationem properans obſervabatur, ad quam ulterius promovendam & vulnus rotundum in oblongum mutandum, hoc contrahebatur emplaſtro glutinante, cæterum ejus cavitas plumaceolis ut priori die imbutis replebatur.

Die 22 omnia eodem modo tractabantur &

Die 23 cavitas caſtaneam vix amplius capiebat, cæterum hoc &

Die 24 deligatio pari ratione inſtituebatur, nunc vero & faſcia torcularis & ſplenium arteriæ brachiali applicatum removebantur.

Die 25 tandem omnis tumor brachii penitus ferme evaneſcebat & vulnus decimo quarto operationis die ut aliud ſimplex tractabatur, ita, ut brevi poſt plena conſolidatio ſequeretur.

MANTISSA.

Ut hujus mali gravitas & medelæ ei parandæ difficultas clarius pateſcant, partes, quæ in venæſectione lædi poſſunt, earumque cum aliis connexiones probe cognitæ eſſe debent. Celeberr. MONRO has partes eandem ob rationem jam ſigillatim delineandas curavit (*a*), ſed rudi artificis manu. Ex tabulis anatomicis naturali magnitudine & vivis coloribus repræſentatis, quas D. GAUTIER edidit, nulla iis, quæ adhuc explicanda ſunt, lucem aliquam affundit (*b*) Icones Ill. D. de HALLER (*c*) optimæ ſunt; quum vero laudatus auctor, pro ſcopo ſuo, venarum atque arteriarum præcipue univerſam per integrum brachium diviſionem & diſtributionem cum accuratione ipſi ſolita repræſentandam ſuſcepit & præterea, ad chartæ normam, naturali magnitudine multo minorem, eandem ſiſtere coactus fuit: has noſtras icones, magnitudinis naturalis, vaſis vario inſuper colore diſtinctis, haud ſupervacaneas immo pro hoc ſcopo peculiari neceſſarias duxi, quarum explicationem reliquis præmitto, ſed eos, qui illas examinant, ſimul moneo, ut memores ſint, non ſolum venas, uti in toto corpore, ita ſigillatim quoque circa cubitum, diviſione & diſtributione ſua ita variare, ut vix unquam in utroque brachio unius ſubjecti unum eundemque ordinem obſervent; verum etiam haud raro arteriarum propagines a regula ordinaria recedere, immo, ipſos nervos, ſaltem ſubdiviſionibus ſuis, ab hac variatione non

(*a*) *Medical Eſſays and Obſervations, reviſed and publiſhed by a Society in Edinburgh. Vol. II.* 1734. octav. maj. p. 280. ſeq. tab. II, fig. 1. ubi vero omnes partes valde imminutæ repræſentantur. In Germanica verſione, quæ titulo: *Die mediciniſche Verſuche und Bemerkungen, welche von einer Geſellſchaft in Edinburgh durchgeſehen und herausgegeben werden*, Altenburgi 1750. in oct. prodierunt, p. 368. ſeq. tab. II, fig. 1. eædem ad parem normam occurrunt; in Gallica vero verſione, quæ antea jam titulo: *Eſſais & Obſervations de médecine, de la Société d'Édinbourgh*, Pariſiis 1742 in duodec. maj. comparuit, p. 349, tab. II, fig. 1. ad minorem adhuc magnitudinem redactæ ſunt.

(*b*) Tertia hujus operis ſplendidiſſimi & forma regia editi pars in fronte hunc gerit titulum: *Anatomie générale des Viſceres en ſituation, de grandeur & couleur naturelle, avec l'Angiologie & la Neurologie de chaque partie du corps humain.* Harum tabularum V.ta repræſentat quidem in brachii dextri anteriori facie muſculos, venas, arterias & nervos in naturali connexione; ſed eatenus tantum, quatenus detracta cute ſtatim in conſpectum veniunt, nec tamen ſatis diſtincte.

(*c*) *Iconum anatomicarum, quibus aliquæ partes corporis humani delineatæ traduntur, faſciculus VI. Arteriæ pectoris & brachii. Auctore* ALBERTO v. HALLER *&c.* Gott. 1753, fol. maj. tab. III, qua præter muſculos venæ, arteriæ, nervique ſiſtuntur, quatenus detracta cute apparent; tab. IV, quæ arterias in antica, tab. V in poſtica parte occurrentes delineat.

excipiendos eſſe. His addo, harum figurarum partium omnium denominationem haud eſſe exſpectandam, quia non omnes ad ſcopum præfixum pertinent, juſto longior autem eſſe nolui.

Figurarum explicationem, quæ in prototypo hic locatur, vide cum reliquis in fine operis.

Satis ita, ut opinor, repræſentatis & expoſitis omnibus partibus, quæ in curatione Aneuryſmatis ſpurii attendendæ ſunt, facilius nunc loca cognoſci poſſunt in venarum cubiti ſectionibus evitanda: docendi tamen ſunt omnes chirurgi, non ſolum arterias hujus regionis interdum ſitum ſuum paululum mutare (ut taceam ramos extraordinarios quandoque obvios, quale exemplum ſiſtit *fig.* 9. (*a*) verum etiam & adhuc magis venas, uti ex ſola comparatione *fig.* 1 cum 9 ſatis jam patet. In hac ergo operatione, licet vulgatiſſima, nunquam non opus eſt ubique ſollicita exploratione & ſumma accuratione, ne ipſa vena penitus pertundatur. Deinde etiam facile intelligi poſſunt difficultates, quæ operationem chirurgicam premunt, qua Aneuryſma ſpurium ſectione extirpandum eſt.

Antequam autem ulterius progredior, neceſſe eſt, ut moneam, propoſitum mihi haud eſſe, hic loci exponere univerſam & generalem Aneuryſmatis tam veri quam ſpurii theoriam, neque etiam recenſere omnes Aneuryſmatis ſpurii ſpecies modosque, quibus ſingulæ vel præverti vel curari debeant, utpote quæ omnia Ill. Heisterus ſatis ſolideque docuit (*b*) ita, ut iliada poſt Homerum canere auderem, ſi in his prolixior eſſem: id tantum annotaſſe ſufficiet, Aneuryſma ſpurium eſſe ſanguinis ex vulnerata arteria effuſionem & ſub cute collectionem, ſpeciem vero ejus, de qua ſola ſermo mihi eſt, eſſe illam, quando hic ſanguis, & quidem ex arteria una vel altera ſub venæſectione ſimul aperta, extravaſatus & collectus & in grumos condenſatus nulli preſſioni amplius cedit.

Ejusmodi ergo Aneuryſma omnium conſenſu abſque cutis diſſectione & ſanguinis congrumati remotione curari nequit: dum enim ſanguis circuitu ſuo in arteriis ex ampliori ſpatio in anguſtius tranſire cogitur,

(*a*) Ita Ill. Heist. etiam prope venam cephalicam, quæ omnium tutiſſima habetur, magnam arteriam ſæpius obſervavit *Inſtit. chir. edit. Amſt. anni 1739, p. 425; edit. 1750, p. 410, nota a.*

(*b*) *l. c. P. II, Sect. I, cap. XII, p. 425 ſeqq. cap. XIII, p. 429 ſeq. & P. III cap. VI; §. VIII & IX, p. 1226 ſeq.*

is ad ſingulos ita dictos pulſus vulneris aperturam penetrare nititur, hinc ejus latera continuo disjungit, ideoque eorum conſolidationem perpetuo impedit, inde vero indies majorem ſanguinis copiam effundit, cui cutis reſiſtere nequit. Et dum ſanguis hîc effuſus vel qualitate ſua vel mora condenſatur & concreſcit, ulteriori effuſioni aliquo modo quidem reſiſtit, ſed, dum in fluvium ſuum reduci nequit, tandem putreſcit & in ſphaceloſam corruptionem abit.

Quomodo autem, ſectione tumoris inſtituta & ſanguine congrumato evacuato, ulterior ſanguinis ex læſa arteria profuſio certo, tuto atque jucunde ſiſti debeat & queat, nondum ſatis demonſtratum eſt.

Sunt qui adſtringentia, quid ? quod corroſiva vel cauſtica, arteriæ vulneri detecto imponi ſuadent, e. g. vitriolum cæruleum, liquorem ſtypticum Weberi, butyrum antimonii (*a*) &c. de quorum uſu vero infido, vel prorſus noxio, mentem meam jam expoſui in priori caſu pag. 560.

Reliqui ferme omnes cunctis ſanguinis profluxum ſiſtentibus præferunt ipſius arteriæ læſæ ligaturam, dum illa a connexione cum partibus vicinis ſeparatur, acus curva cum filo cerato trajicitur & denique arteria læſa proxime ſupra vulnus conſtringitur, id quod cum variis cautelis & annotationibus ſatis jam accurate atque prolixe docuerunt præcipue Palfyn (*b*), Garengeot (*c*), Platnerus (*d*), Heisterus (*e*), Macgill (*f*) & Alex. Monro (*g*) quæ hîc repetere nimis prolixum foret, id unicum tamen annotaſſe haud ſupervacaneum erit, Macgill, pro elevanda & tutius proinde a nervo reliquisque partibus ſeparanda arteria, ejus vulneri detecto immiſiſſe ſtylum fortem (*h*), quod etiam ab alio factum obſervavit

(*a*) Vid. Paleyn *chirurgiſche Operationen*, Francof. & Lipſ. 1717, p. 402. Heist. l. c. p. 439, edit. a. 1750, p. 423, §. xi. Garengeot *traité des opérations de chir.* T. iii. à Paris 1721, p. 246, edit. germ. Berol. 1733., p. 257, §. 28, commendat ſuum liquorem cauſticum, quem vero non deſcribit.

(*b*) l. c. p. 424.

(*c*) l. c. p. 249.

(*d*) Inſtitut. chirurg. Lipſ. 1745, p. 269, §. 438. 439. Ejusd. *Gründliche Einleitung in die Chirurgie, erſter Theil.* Leipz. 1748, p. 420 ſeq. §. 463. 464.

(*e*) Inſtit. chir. Amſtel. 1739, p. 440, §. xiii, p. 443. §. xix. ibid. 1750, p. 424. §. xiii. p. 426. §. xix.

(*f*) Actor. Edinburg. T. ii. edit. Gall. p. 325. art. xv edit. German. p. 341 ſeqq.

(*g*) Ibid. T. iv edit. Gall. p. 364 ſeqq. edit. Germ. p. 393.

(*h*) l. c. edit. Gall. p. 327 ſeq. edit. Germ. p. 344.

MONRO (*a*) qui inſuper (*b*), pro operatione celerius finienda, ſuadet, ut quamprimum cutis per longitudinem diſſecta & ſanguis extravaſatus ac polypoſus remotus eſt, patiens paululum flectat cubitum, operator vero pollice ac indice ſiniſtræ manus prehendat arteriam brachialem, horumque apices ſub eam inſinuet, & ita acum ſuper unguibus intrudat, hocque modo ſecure nervum proximum evitet, quem tactu facile ab arteria diſtinguere poteſt, quum hanc, flexo cubito, abſque difficultate eouſque elevare poteſt, ut a nervo ſatis removeatur : ita, pergit, hæc operatio, quæ ſecundum ordinariam chirurgorum deſcriptionem difficilis, tædioſa & laborioſa eſt, facile, cito & ſecure peragi poteſt.

Hanc methodum in uſum vocare aliisque commendare nullum dubium movet auctoribus citatis interceptus per arteriam ligatam ſanguinis ad partes inferiores via recta tranſitus : nam, licet vel ipſe arteriæ brachialis ſeu humeralis truncus ſupra diviſionem ſuam in ramos (*g. tab. I. fig. 2. 3. tab. II. fig. 4.*) ligandus veniat, perſuaſi ſunt (*c*) nihilominus ſanguinem tranſire poſſe ad ramos infra ligaturam ope anaſtomoſis arteriarum humeri collateralium (*d. e. tab. II. fig. 4. c. d. fig. 5. 6. 7. tab. III. fig. 8 & x. fig. 6.*) cum recurrente ulnari (*i. i. fig. 4. y. fig. 6.*), recurrente radiæa (*p. fig. 4. g. fig. 5.*) & recurrente interoſſea (*m. fig. 4. & n. fig. 7.*) ut & per alterum arteriæ humerariæ truncum (*r. r. r. tab. II. fig. 5. tab. III. fig. 8.*) quando præſens eſt (*d*), quare monent, arteriam vulneratam etiam infra vulnus ligandam eſſe, ne ſanguis a vaſis lateralibus regurgitet & novam hæmorrhagiam excitet (*e*) : experientiam quoque huic theoriæ

(*a*) Tom. IV edit. Gall. p. 364. edit. Germ. p. 394.
(*b*) Ibid. p. 366. ed. Germ. p. 395 ſeq.
(*c*) GARENGEOT l. c. edit. Gall. p. 249. PLATN. edit. lat. p. 262. §. 436. edit. Germ. p. 418. §. 462. conf. MONRO Act. Edinb. T. II. edit. angl. p. 283. gall. p. 353. germ. p. 372. v. HALLER. ic. faſc. VI. p. 22. b.

(*d*) Ejusmodi arteriæ humeralis duplicis hiſtoriam tradit v. HALLER more ſuo accuratam l. c. p. 33. b. ſeq. & cui ad manus haud eſt, evolvat Jo: FRID. MOEBII diſſ. inaug. ſub præſidio Ill. HEIST. Helmſt. 1730 ventilatam, quæ ſiſtit *Obſervationes med. miſcell. theoret. & practicas* Obſerv. VIII. p. 17 ſeqq. HEIST. compend. anat. a. 1741. P. II. p. 126. nota 66. **) : Inſtit. chir. 1739. p. 434. nota c. edit. 1750. p. 418. nota h. Acta Edinb. vol. II. edit. gall. p. 351. ſeqq. germ. p. 370. tab. II. fig. 2, 3, 4.

(*e*) PALF. p. 426. GARENG. ed. gall. p. 251. germ. p. 262. §. 36. HEIST. ed. 1739. §. XXIV. ed. 1750. p. 429. §. XXIV. Act. Edinb. Tom. II. ed. gall. p. 328. germ. p. 344. Tom. IV. p. 365. ed. germ. p. 395. PLATN. ed. lat. p. 270. §. 439. germ. p. 421.

theoriæ reſpondiſſe variis caſibus ab auctoribus citatis comprobatum eſt, ubi ſimul hæc notabilis obſervatio adſtruitur, ſi vel etiam pulſus in utroque carpi latere aliquamdiu ſentiri nequeat, nihilominus ad amputationem haud properandum eſſe prius, quam manifeſta incipientis ſphaceli ſigna in cubito vel manu adpareant, quum pulſus ſæpius poſt aliquot demum dies redit (*a*).

Quum nervus ille inſignis, qui medianus dicitur (2. 2. *tab. I. fig.* 2. 3. *tab. II. fig.* 5. *tab. III. fig.* 8.), arteriam brachialem ubique proxime comitatur, methodi hactenus recenſitæ commendatorum monito (*b*), idem in arteriæ vinctura abſque læſione ab eadem ſeparandus eſt ſcalpello aliove inſtrumento tantum, quantum pro libero tranſitu acus ſufficit. Quomodo hæc læſio nervi pernicioſa ad mentem laudati MONRO commodius evitari queat, ſuperius p. 575 indicavimus. Quum vero non ſolum quandoque patiens hanc nervi ſeparationem ferre nec poteſt, nec vult (*c*), verum etiam ſub hac occupatione ramuli quidam arteriæ laterales facile lædi poſſunt, hinc procul dubio nonnulli ipſum nervum ſimul ligare non reformidarunt, de quo LE DRAN (*d*) hæc latine reddita refert: *ſunt quidam practicorum, qui arteriam detegere negligunt. Quam primum denudarunt capſulam* (qua intelligitur tegmen illud membranoſum, quod vaſa hæc comprehendit) *profunde ſub illam adigunt acum inſtructam filo, quo dictam capſulam & multam carnem ſimul comprehendunt & conſtringunt. Etſi ſecundum hanc methodum nervus, quem æque ac arteriam hæc capſula continet, ſimul conſtringatur, raro tamen ſymptoma accedit, quia carnis quantitas ſimul comprehenſa obſtat, quo minus nervus juſto arctius conſtringatur*, id quod etiam exemplum ex PALFYN citatum comprobat, & magis adhuc relatio Dn. EIERICH ſupra laudati: hic namque, dum Pariſiis ſtudium chirurgicum excoluit, bis vidit eodem modo hanc operationem a D. BOUDOU feliciter adminiſtratam. Quamvis autem hac ratione ipſius nervi læſio, graviſſimis ſymptomatibus obnoxia, ut & ramorum arteriæ lateralium læſio omnino præcaveatur, facile tamen ex nimia nervi hujus inſignis

(*a*) Ejusmodi præ reliquis notabile exemplum refert ill. MONRO Act. Ed. T. IV. edit. gall. p. 364. ed. germ. p. 395. facta namque operatione d. 22 Maji, pulſus demum d. 5 Junii diſtincte redibat.

(*b*) locis citatis.

(*c*) Quale exemplum recenſet PALFYN l. c. p. 435.

(*d*) Traité des opérations de chirurgie, à Paris 1742, p. 535.

& plurimis cubiti manusque partibus integritatem conſervantis conſtrictione, peſſima ſymptomata ſequi poſſunt, nimirum vel ſaltem ſtupor, ſi non penitus mors earum partium, quas ſuſtentat: certe in annotatis manuſcriptis, quæ ex ore Dn. DUVERNEY Pariſiis 1738 excerpta & pariter a Dn. EIERICH mecum communicata ſunt, reperi, ex tali nervi conſtrictione quendam duos digitos perdidiſſe: excurrit namque hic nervus in vola manus ad latus digiti annularis, medii & indicis.

Licet autem negari haud poſſit, poſtquam viri doctiſſimi expertiſſimique de natura hujus mali æque ac partium, quas occupat, ut & de curationis, arteriæ brachialis vinctura ſuſceptæ, ſucceſſu ſuas obſervationes ſollicite contulerunt, eandem nunc ſæpius jam feliciter adminiſtratam eſſe (*a*); nihilominus tamen hi ipſi Auctores adhuc monent chirurgos, ut nullus ejusmodi operationem ſolus in ſe ſuſcipiat, ſed alios expertos viros ſimul in conſilium vocet vel ſaltem teſtes rei ad artis regulas bene legitimeque peractæ habeat, ut taceam, eosdem ingenue etiam indicaſſe, quæ minus ad votum acciderunt (*b*); quare procul dubio PLATNERUS (*c*) omnibus probe ponderatis mentem ſuam hiſce declarat: *ex his intelligitur, in brachio, minimum niſi certa ſit deſperatio, experiendam eſſe Aneuryſmatis chirurgiam* (illam ſcilicet hactenus expoſitam): *nam ſi illa etiam fallit, nihilominus ad ultimum auxilium, quo humerus præciditur, confugere poteſt chirurgus.*

Si itaque hac methodo in uſum vocata de amputando brachio non ſecurus eſt chirurgus; ſi præterea operatione dexterrime etiam ac feliciſſime abſoluta, non raro magna membri debilitas ſequitur: aliam methodum hac ſecuriorem prius tentandam eſſe, nemo inficias ibit, & quum talem iterata vice ſe præſtitit ea, quam in binis caſibus recenſitis uberius expoſui, eandem hunc in finem ulterius explorandam commendare minus dubitavi.

Me quidem haud fugit, alios jam, & præcipue DIONYSIUM (*d*), compreſſionis cum charta maſticata mentionem jam feciſſe, immo

---

(*a*) Exempla vid. apud Auctores citatos, adde *Commerc. litterar. Norimb.* 1734, p. 283, n. 11.

(*b*) Exemplum vide *Act. Edinb. T. II.* ed. gall. p. 329 ſeq. ed. germ. p. 346.

(*c*) l. c. ed. lat. p. 268. §. 436. edit. germ. p. 419. §. 462.

(*d*) *Cours d'opérations de chirurgie*, à Bruxelles 1708, p. 484. edit. german. ab HEIST. aucta Augſp. 1722. Tom. II. p. 763.

hanc methodum non ſolum cauſticis, verum etiam ipſi ligaturæ prætuliſſe (*a*) : ſed qui modum applicationis in forma turundarum conſiderat, facile intelliget, cur non ſemper, ſi unquam, effectum optatum præſtiterit. Secundum meam namque opinionem effectus hic tantum ſequi poteſt.

1) quando vulnus a ſanguine extravaſato atque corrupto penitus purgatur, ipſumque arteriæ orificium ejusque labia, quantum fieri poteſt, mundantur, & quidem optime cum vino calido ope ſyringæ ſpongiæque, ne ſanguis corruptus, uti non amplius ad nutritionem, ita etiam neutiquam ad conſolidationem aptus, hanc impediat, ſed recenti & balſamico ſanguini acceſſus ad hæcce labia paretur.

2) quando charta ſeligitur tenuiſſima bibula, haud ſæpius, quam ter quaterve pollicis quadrati magnitudine complicatur, & maſticata iterum probe explanatur : hac enim ſolummodo ſub conditione arteriam exacte ambire, labia paululum conjungere, orificium obturare, reliqua interſtitia replere omnibusque partibus arcte adhærere valet.

3) quando hæ placentulæ, ſigillatim primæ, ſpiritu vini & ſubtiliſſimo pulvere glutinante valde imprægnantur, probe tamen iterum exprimuntur : uterque namque ſanguinem denuo affluentem ſeu in orificio hærentem coagulat, labia orificii conſtringit & reliquas partes jam corruptas mundat eoque recentis & firmæ carnis generationem promovet, ut taceam, chartam ita præparatam pulveris ope arteriæ tanto firmius adglutinari.

4) quando torcularis & vulneris compreſſionis auxilio liber plenusque ſanguinis circuitus per arteriam læſam ad ſufficiens temporis intervallum ſemper quidem impeditur, probe tamen nimia & ad plenam pulſus in carpo ſuppreſſionem conſtrictio cavetur, ne partibus nimium compreſſis mortem inferat (*b*).

Quod autem cauſſam proximam conſtituit, quæ arteriæ vulnus firmiter obturat iterumque conjungit, eſt illa polypi quædam ſpecies recens generata, quam non ſolum fuſe exponit, verum etiam obſervationibus demonſtrat figurisque idoneis declarat celeberrimus

(*a*) l. c. p. ſeq.

(*b*) de his omnibus conf. vol. VIII, p. 479 ſeq.

Petit (*c*). Utut autem ejusmodi polypoſa concretio & ſuperſtrata caro firma recens generata vulnus arteriæ perfecte ſanare queat; confirmationis tamen atque ſecuritatis gratia per aliquot menſes ligaculum quoddam geſtari poteſt eo modo, quem vol. VIII, p. 490 docui. Cæterum nemo de perfectione ejusmodi curationis dubitabit, qui conſiderat, omnium conſenſu non ſolum poſſibile declaratum, verum etiam experientia ſatis comprobatum eſſe, arteriæ vulnus ſola compreſſione ſanari poſſe, quamdiu ſanguis extravaſatus fluxilis adhuc eſt & in alveum ſuum reduci poteſt: quando enim in Aneuryſmate ſpurio inveterato poſt cutis ſectionem omnis ſanguis congrumatus removetur, hoc ipſo arteria ad eundem ſtatum redigitur, quo ab initio læſionis fuit, adde, hoc in caſu compreſſionem multo aptius applicari poſſe. Et hæc nunc quidem ſufficiant.

(*c*) *Hiſt. & Mémoires de l'Acad. Royale des ſcienc.* a. 1735. edit. Paris. Mémoir. p. 435. & a. 1736. p. 244. qui utrique commentarii latine redditi reperiuntur in *Commerc. litter. Norimb.* a. 1741. p. 365. 372. tab. IV, fig. 4, 5, 6, 7. & a. 1743. p. 321, 332. tab. IV, fig. 13—16. tab. V, fig. 1, 2, 3.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ANEURYSMATE,

QUAM

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

CONRADUS ASMAN,

ZUOLLA TRANSISALANUS.

Die 24 Martii MDCCLXXIII.

H. L. Q. S.

AD EXEMPLAR GRONINGENSE.

DISSERTATIO
DE
ANEURYSMATE.

§. I.

INTER morbos vitiaque; quibus humanum genus obnoxium eſt, haud infimum mihi locum mereri videntur Aneuryſmata, quæ non ſolum periculoſa, ſed & ſæpe inſanabilia prorſus deprehenduntur.

Antequam vero de Aneuryſmatibus agam, haud inutile duxi, prius Arterias, quatenus illæ his ſedem præbent, earumque tunicas, & actionem in ſanguinem deſcribere.

Per Arterias hodierni Anatomici intelligunt canales membranoſos, ſanguinem a corde ad alias corporis partes vehentes, Syſtole, & Diaſtole præditos.

Has nonnulli conſtare ſtatuerunt quinque tunicis, inter quos & BOERHAVIUS (*a*).

Prima eſt Extima, ſecunda Celluloſa, tertia Glanduloſa, quarta Muſcularis, quinta Interna.

Dantur tamen, qui tres ſolummodo aſſumunt, nempe, primo tunicam externam ſeu communem « qualis ubique occurrit, quæque

(*a*) Inſtit. Med. pag. 88, §. 132.

» arteriam ambit, vicinis nectit, inque ſua via firmat, requiſita tamen
» cum mobilitate (*a*);

Secundo, Muſcularem, ſic dictam, quia putabant, habere fibras muſculares rubras, quæ robur præcipuum arteriæ conciliat & contrahendi facultatem (*b*). Cl. CAMPERUS tamen variis præparatis in Lectionibus Phyſiologicis demonſtravit, non modo non regulares, ſed etiam non rubras eſſe, actionemque arteriarum æque exerceri poſſe, ſi elaſticæ eſſent, ſolidiſſimis argumentis comprobavit.

Tertio, huic ſubjacet tertia, ſeu interna, tenuis, tenera, internæ membranæ cordis continua (*c*), æquabilis, & lævis, ex interiore parte, qua cavum arteriæ ſpectat, canalis capacitatem proprie efficiens, apta, quæ ſanguinem contineat, & libere, facileque, ruere ſinat (*d*).

§. II.

Deſcriptis arteriarum fabrica & tunicis, ad illarum actionem in ſanguinem progrediendum eſt.

Arteriarum ſyſtema, ſemper ſanguine plenum, quolibet cordis ictu, novam ſanguinis undam, duabus unciis ſanguinis æqualem vulgo æſtimatam, accipit.

Certum eſt arteriarum conicam figuram & incurvationes multum facere ad reſiſtendum impetum a corde acceptum: accedunt & aliæ cauſæ, de quibus quoniam hodie inter omnes non certo conſtat, ne nimium a ſcopo abducamur, nihil addam.

Arteriarum tunicas jam deſcripſimus. Itaque interior tenuis, parum virium in impedienda arteriarum nimia dilatatione impendere poſſe videtur.

Oportet igitur, ut hanc vim in Externa, & Muſculari, utpote fortioribus, quæramus.

Conſtat experientia, has tunicas admodum eſſe elaſticas, id eſt, tales poſſidere proprietates, quibus, illarum figura, vi quadam, mutata, ſeſe in priſtinam figuram reſtituere queant.

Probant hanc vim Elaſticam arteriis ineſſe, digitus arteriæ majori im-

(*a*) Ill. van Swieten diſſ. inaug. §. 4. de Arter. fabrica & efficacia Lugd. Bat. 1725. edit.
(*b*) B. S. Albin. annot. acad. lib. 4, cap. 8, pag. 33.
(*c*) HALLERI Elem. phyſiol. tom. 1, pag. 65, §. 9.
(*d*) B. S. Albin. ibid. lib. 4, cap. 8.

immiſſus, inde valide compreſſus, communis membranarum natura, ſed imprimis Anatomica injectio; cui arteriæ aliquando ita reſiſtunt, ut, adhibitis etiam omnibus conatibus, ſiphonis embolum ulterius urgere non poſſimus, tantaque vi ſe contrahunt, ut, remoto ſiphone, materies injecta magno cum ſaltu reſiliat, & ſæpius Anatomico incauto imponat.

Quod cum in arteriis emortuis locum habet, nulli alii vi, quam Elaſticitati tribui poteſt.

Ambientia præterea, aër, cutis, cellulofa, muſculi, aponeuroſes & oſſa, nimiæ quoque arteriarum diſtenſioni reſiſtunt.

Forſan denique & alia huc referenda Vis, quam, animalibus & quibusdam plantis privam, etiam arteriis, & quidem illarum tunicis muſculoſis, inſidere, eviciſſe videntur recentiorum experimenta (*a*).

His viribus itaque inſtructa arteria, ſanguine repleta, undæ, a corde acceptæ, primo quidem cedit, alteram vero undam, priorem inſecuturam, non exſpectat; ſed ultra diametrum ſibi naturalem, id eſt, ſpontaneam, dilatata, ſe contrahit, ſanguinemque impellit in locum minus reſiſtentem; adeoque, quum valvulæ ſemilunares ejus repulſum in cor impediunt, in arterias, minores quidem ſuis truncis, attamen ſimul ſumtas, alveum multo ampliorem efficientes, propellunt.

Contracta jam arteria, nova unda ſanguinis, a corde allata, dilatatur; mox iterum contrahitur, perduratque alterna hæc actio quamdiu vitalem animalia ſpirant auram.

Continuum itaque, in ſtatu ſano, cordis & arteriarum vires inter ſe exercent antagoniſmum, & talem quidem, ut modo una, modo altera vincat, perſtatque ſanitas in circulatione, quoad vires arteriarum & ſanguinis contenti, quamdiu arteriæ majores tantam copiam ſanguinis in arterias minores, minoresque in venas propellunt, quantam a corde contracto accipiunt.

Si vero arteriarum vires exceſſu peccant, ſanguis nimia quantitate in venis colligitur, ut in morientibus accidit. Sin vero defectu, arteriæ ultra modum diſtenduntur, tonum ſuum amittunt, & ſanguinem nimia copia in cavitate ſua retinent.

Sed ſatis de his, properemus ad Aneuryſmatum hiſtoriam.

(*a*) Vid. expert. VERSCHUIR diſſ. de arteriarum irritabilitate.

§. III.

Aneuryſmatis vocabulum ex ἀνὰ, retro, rurſum & εὐρύνω, dilato, compoſitum (*a*), vi vocis, arteriæ dilatationem ſignificare videtur.

Hinc quoque GALENUS (*b*), quem ſecutus fuit P. AEGINETA (*c*), Aneuryſma arteriæ dilatationem vocat.

Hodie vero per Aneuryſmatis vocem morbos adeo diverſos intelligunt, ut generali definitione vix comprehendi poſſit: dividunt, enim in Verum, & Spurium; quorum illud tumorem, ab arteriarum tunicis, ultra modum quolibetcunque in loco in forma ſacci dilatatis, ſanguine vel fluido, vel coagulato, vel utroque repletis, formatum; hoc vero tumorem a ſanguine, ex arteriæ vulnere elapſo, ſub cute hærente, excitatum ſignificat.

Ita poſt SENNERTUM, BOERHAVIUS, HEISTERUS, SWIETENIUS, aliique.

Tertiam hiſce adjunxit ſpeciem celeb. HUNTERUS (*d*), quam Mixtam vocat: quando ſcilicet, externa arteriæ tunica læſa, interna, vel lacerata interna, externa dilatatur.

Placuit vero MONROO (*e*) Aneuryſma Mixtum vocare, quando arteriæ membranæ primo dilatatæ, dein ruptæ ſunt.

Quartam denique ſpeciem novam, & a ſe inventam, prioribus quoque addidit celeb. HUNTERUS (*f*), ubi nempe arteria, venæ ſubjacente, Chirurgi lanceola læſa, ſanguis continue ex arteria in venam tranſit, eandemque dilatat.

Dividuntur porro in Interna & Externa. Priora vocantur, quæ juxta viſcera vitalia in intimis corporis latebris; poſteriora, quæ in extremitatibus, vel aliis in regionibus, mox ſub cute, locum obtinent. Cæteras diſtinctiones, in legitimum (*g*) v. gr. ex cauſa externa, & ſpurium, ex cauſa interna oriundum, aliisque, utpote minoris momenti, de induſtria omittimus.

Aſt, quoniam Aneuryſma illud Mixtum HUNTERI, cum Vero ſatis convenit; vel juxta ſenſum MONROI ad Spurium proxime

(*a*) Vid. GORRÆI definit. med.
(*b*) De tumoribus pag. 356. 27. p. n.
(*c*) Lib. 6, cap. 37, pag. 564.
(*d*) Med. obſ. and inq. vol. 1, p. 339.
(*e*) Eſſ. and obſ. phyſ. and liter vol. 3, pag. 236.
(*f*) Med. obſ. ibid. p. 340.
(*g*) LANCIS. de motu cord. & aneur. p. 6, 9, 57 hujus editionis.

pertinet, cæteræque diſtinctiones, in Externum, & Internum, Legitimum, & Spurium, magis locum, & cauſas diverſas, quam Aneuryſmatis naturam, & indolem ſpectant, tribus me diſſertationem hanc ſectionibus commodiſſime expedire poſſe, mihi videor; quorum prior de Aneuryſmate Vero, altera de Spurio, tertia de eo, quod Venoſum vocavimus, tractabit.

SECTIO PRIMA.

DE ANEURYSMATE VERO, EJUS NATURA ET INDOLE.

§. I.

Aneurysmatis veri definitionem modo exhibuimus, ejusque poſſibilitatem, utpote obſervationibus jam ſatis evictam (*a*), non opus eſt, ut ulterius adſtruemus.

Oportet vero, ut ejus naturam, & indolem in hac ſectione accuratius perſcrutemur; cauſas, ſigna, prognoſin, & curandi methodum exactius dein indagemus.

§. II.

Membranæ arteriarum dilatatæ & extenſæ aliquando ſunt extenuatæ (*b*) aliquando craſſitiem naturalem ſervant (*c*): ut plurimum tamen ſtatum naturalem multo ſuperant, uti vidit in omnibus Aortæ Aneuryſmatibus, quæ ipſi unquam examinare licuit, cel. Hunterus (*d*), tum & cel. Storkius (*e*) in Aneuryſmate Aortæ extus craſſa & fungoſa ſubſtantia tecto.

Id tamen non ita accipiendum, ac ſi ubique eadem ſemper craſſities: ſæpe enim in Aneuryſmatibus majoribus, uno in loco membranæ ſunt tenues, dum in alia admodum ſunt craſſæ: ita quidem, ut in Aneuryſmate Aortæ, a Litrio (*f*) deſcripto, adeo inæquales

(*a*) Lancis. de motu cord. & aneur. p. 29 huj. editionis, nec non Med. obſ. and inq. vol. 1, p. 341.
(*b*) Sandifort- Heel en Ontleedk. verh. p. 15. & Ill. Swietenii comment. Tom. 1, pag. 288.
(*c*) Vid. præfat. Noortwykii ad editionem Latinam Nihel de criſ. ex pulſu.
(*d*) Med. obſ. and inq. ibid. p. 342.
(*e*) De Haen rat. med. Tom. 1, p. 251.
(*f*) Hiſt. de l'Acad. des Sc. anni 1707, p. 26.

fuerint, ut quibusdam in locis decem lineas adæquarent, licet aliis in locis quintam lineæ partem non excederent.

Sæpe quoque membranæ non tantum craſſiores, ſed & duræ, cartilagineæ, inſulis quaſi oſſeis infarctæ, & aliquibus in locis petrefactæ, repertæ ſunt, uti ex obſervatione, a Cl. Meckelio (*a*) accuratiſſime deſcripta, imprimis conſtitit.

Valvulæ præterea ſemilunares in arteriæ Aortæ Aneuryſmatibus ſæpe oſſeæ inventæ ſunt, aliquando etiam membranæ, purulenta materia, inter lamellas ſuas, fuerunt repletæ (*b*).

Rationes, ob quas arteriarum membranæ, licet admodum extenſæ, craſſiores tamen plerumque evadunt, in unum collegit cel. de Haen (*c*), & ad ſequentes refert.

I.° Quia ſanguis, in Aneuryſmate contentus, polypoſus, ejus eſt naturæ, ut ejusdem applicatione tunica arterioſa appareat craſſior; quod etiam in Littrii obſervatione locum habuiſſe videtur: refert enim, ſaccum in multis locis, æquabilem & lævem fuiſſe, quia membrana arteriæ interna erat inveſtita, aliis vero in locis inæqualem, & aſperam, partim propter eroſionem, partim, quia fibræ quædam, polypis cordis non abſimiles, firmiter Aneuryſmatis parietibus adnectebantur, in laminas facile diviſibiles (*d*).

II.do Poſſunt arteriarum membranæ a ſe invicem diſcedere, & in interſtitiis ſuis ſanguinem, in lamellas compactum, continere.

III.tio Videmus quoque, novas membranas ex veteribus naſci in degenerationibus partium: ſic vidit cl. de Haen veſicam felleam in ſeptem loculos diviſam, quorum quisque magnum gereret lapidem. Probat præterea ex herniis inveteratis, in quarum operatione aliquando vidit, decem, duodecim, viginti, & plures membranas ſolvi debuiſſe, antequam verus herniæ ſaccus in conſpectum prodiret.

Verum hæc & ſimilia rem magis exemplis illuſtrant, quam re vera explicant.

Incraſſatio membranarum fere omnibus in tumoribus obtinet,

(*a*) Mém. de l'Acad. de Berlin anni 1756. obſ. 14. conf. cl. Morgagni de ſed. & cauſ. morb. epiſt. 17. artic. 17, nec non Dickson Med. obſ. and inq. vol. 3, p. 63, & cl. Monroum Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 252.

(*b*) Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 254.

(*c*) Rat. med. vol. 1, p. 253.

(*d*) loc. cit.

præſertim in Cyſticis, ſed unde durities, cartilaginea indoles, oſſea & lapidea concrementa?

Abdita naturæ phœnomena facilius obſervantur, quam explicantur.

§. III.

Tranſeo igitur ad Sanguinem in Aneuryſmatibus contentum, qui aliquando fluidus, alias grumoſus, & coagulatus, ut plurimum tamen pro parte fluidus, pro parte coagulatus, non raro quoque condenſatus albus, & lamellis quaſi conſtans, & polypoſus repertus fuit.

Et quidem fluidus fuit in Aneuryſmatibus quibusdam minoribus (*a*); grumoſus in obſervatione STORCKII (*b*): totus enim ſaccus ſanguine grumoſo erat repletus.

Partim fluidus, partim grumoſus, & coagulatus fuit in exemplo ab HUNTERO (*c*) allato.

Nucleus ſanguinis grumoſi contentus fuit in Aneuryſmate anguli Aortæ, a cl. DE HAEN (*d*) & C. H. VELSE diſſecto, qui in medio perforatus, ſpatium ſanguini, per aortam deſcendenti, conceſſit (*e*).

Aneuryſma vero a LITTRIO deſcriptum (*f*) continebat ſanguinis pintas duas, cujus tertia pars nigra, coagulata, fortiter parietibus ſacci adhærens; tertia pars alte rubra, ſemicoagulata; tertia pars denique liquida, attamen fibræ quædam polypoſæ, parietibus Aneuryſmatis firmiter adfixæ, intus inventæ ſunt.

In MORANDI obſervatione (*g*) ſaccus fuit duobus polypis repletus, quorum unus perforatus, foramine, orificio arterioſo ventriculi ſiniſtri non abſimili, quod tranſitum ſanguini, ex corde advenienti, verſus inferiora admittebat.

Materiem quoque albam & polypoſam in Aneuryſmate invenit MECKELIUS (*h*).

Videntur hæc coagula, & polypoſa concrementa, oriri a ſtagnatione & continua ſanguinis compreſſione: notiſſimum enim eſt,

(*a*) MONRO Eſſ. and obſ. Phyſ. and Lit. vol. 3, p. 250.
(*b*) DE HAEN rat. med. tom. 1, p. 251.
(*c*) Med. obſ. and inq. vol. 1, p. 332.
(*d*) Ibid. tom. 1, p. 250.
(*e*) Simile quid vid. MONROUM Eſſ. and obſ. Phyſ. and Lit. vol. 3, p. 225.
(*f*) Hiſt de l'Acad. R. des Sc. anni 1707, p. 26.
(*g*) Ibid. anni 1721, p. 40.
(*h*) Mém. de l'Acad. de Berlin 1756, obſ. 14.

ſanguinem etiam extra corpus, digitis diu contrectarum, magna parte in polypos abire.

Quæ eadem ratio obtinere videtur in polypis cordis, in cadaveribus humanis frequenter obviis, præſertim in illis, qui diu agonizantes, lenta morte exſtincti ſunt.

Etenim probabile non eſt, omnes illos homines diu ante mortem polypis cordis laboraſſe, illisque fuiſſe enectos, cum adeo frequenter occurrant, neque omnes ægri de horum ſymptomatibus antea conqueſti fuerint.

§. IV.

In omnibus arteriis Aneuryſmata Vera oriri poſſe, propter eandem omnium arteriarum vim Elaſticam, a fibris ſupra deſcriptis pendentem, aliquando mirum in modum debilitatam, experientia evincit.

Frequentius tamen in majoribus, quam in minoribus arteriis oriri, inde probatur, quod impetum minorem patiantur.

Hiſtoriæ inſigniter dilatati cordis, ejusque auricularum, licet ad Aneuryſmata, juxta definitionem datam, non pertineant, huc tamen referendæ, videri poſſunt apud Lancisium (*a*); nec minoris momenti exemplum exſtat a Meckelio (*b*) exhibitum; tum quoque a Dno. Roeloff (*c*), denique ab Antonio de Haen (*d*), qui hanc hiſtoriam dedit: Vir levi ſarcina onuſtus, poſt iter unius horæ confectum, palpitationibus cordis afficiebatur, venæſectione &c. ſanatis. Ter, quaterve in anno malum recruduit, iterumque ad eadem remedia conticuit; dein per quadriennium ab omni fere incommodo immunis vixit, leviſſima mali admonitione, ad majores animi corporisque motus, tantummodo percepta. Quinta vero anno redierunt inſultus. Auctor ab expertiſſimo Velse, nunc Celſiſſimi Principis Gulielmi V. Archiatro, advocatus, ægrum vidit lividum, anxium, cum pulſu inæquali & tremulo. Manus, pectori admota, motum inæqualem, tremulum & ingratum ſentiit, exceptis ſex ultimis diebus. In cadavere cor triplo majus apparuit ſolito, mucrone quam baſi latius, ſiniſter cordis ventriculus maximus, ad baſin ampliſſimus,

(*a*) De Aneuryſm. propoſ. 48. Exempla etiam quædam collecta vid. apud Morgag. de cauſ. & ſed. morborum epiſt. 17, artic. 2 ad 14 & epiſt. 18.
(*b*) Mém. de l'Acad. de Berlin 1750, p. 163.
(*c*) Mém. de l'Acad. de Berlin 1757, p. 160.
(*d*) R. Med. vol. 1, p. 252.

adeo tenuis, ut levis modo membranula ſupereſſet. Sanguinem polypoſum intus continebat. Ventriculus quoque dexter, uterque ſinus, utraque auricula, arteria pulmonalis, & utraque vena cava polypis firmis & longis, erant repleta.

Aneuryſmatum arcus Aortæ plurima exſtant exempla, quorum præcipua paucis memorabimus.

Præter exempla a LANCISIO exhibita (*a*), LITTRIUS (*b*) in actis Pariſinis deſcripſit Aneuryſma, ſtupendæ magnitudinis, quod ex Aortæ arcu ortum, ſaccum formabat, qui, per anteriora & utrumque colli latus ad maxillam uſque adſcendens, ſimul ſuper anteriorem & ſuperiorem pectoris partem ſe extendebat, ab una axilla ad alteram uſque.

Figura ſacci lagenæ erat ſimilis, cujus collum in pectoris cavo, fundus in collo & ſuper pectus.

Huic non plane abſimile, a Dno. THOMSON obſervatum, communicavit expertiſſimus DICKSON (*c*), quod ortum ex arcu Aortæ, & infra claviculam dextram, quam a ſterno ſeparaverat, tranſiens, ſupra pectus ſe in ſaccum explicaverat, peculiarem tamen & quaſi ab alio arcus Aortæ ſacco diſtinctum. Celeb. HUNTERUS in actis Anglicis exemplum Aneuryſmatis memoriæ prodidit, quod ex arcu Aortæ, maximopere dilatatæ, exortum, inter cartilagines ſecundæ & tertiæ coſtæ tranſiens, tumorem magnum & oblongum extus in pectore efformabat.

Cum hac obſervatione, ſatis coincidit illa a Dno. ROELOFF (*d*) deſcripta, tum & illa celeb. E. SANDIFORTII (*e*).

Non diſſimilis etiam eſt obſervatio MORANDI (*f*) ea cum differentia, quod tumores aneuryſmatici duo adfuerint, quorum unus inter ſecundam & tertiam, alter inter tertiam & quartam coſtam erat ſitus, licet, ſaccum aneuryſmaticum unicum tantummodo fuiſſe, diſſectio docuerit.

Aneuryſmatis quoque arcus aortæ exemplum habet cl. DE HAEN (*g*), quod, licet diu tumorem inter ſecundam & tertiam coſtam

(*a*) De motu cord. & aneur. pag. 34 hujus editionis.
(*b*) Anno 1707, pag. 21.
(*c*) Med. obſ. and inq. vol. 3, p. 57 & ſeqq.
(*d*) Mém. de Berlin anni 1757, p. 160.
(*e*) Heel en Ontleedk. verhand.
(*f*) Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. anni 1721, p. 39.
(*g*) Rat. med. tom. 1, p. 250.

effeciſſet, loco dein mutatum, integro menſe ante mortem, nullum tumorem excitavit, ita ut evanuiſſe videretur.

Dilatationis denique arcus Aortæ cum expanſione in tumorem, intra pectus contentum, ex orificio anguſtiori cum Aorta dilatata communicantem, obſervationem tradidit celeb. MECKELIUS (*a*).

Ab his aliquantum differunt Aneuryſmata ab expertiſſimo NOORTWYKIO (*b*), & STORCKIO (*c*) obſervata; quorum prius mox ſub arcu Aortæ incipiens, ad Diaphragma uſque protenſum, in veſicæ urinariæ majoris inflatæ amplitudinem expanſum, tribus amplis hiatibus perforatum erat, qui reſpondebant intervallis ſextæ & ſeptimæ, ſeptimæ & octavæ, octavæ & nonæ coſtæ, & communicabant cum gibbo ingenti, æquabili, a ſiniſtra ſcapula per dorſum ad lumbos uſque exporrecto, molli, pulſante, elaſtico, & ſanguine coagulato repleto.

Alterum magis compoſitum: primo enim in arcu ſuo Aorta erat admodum dilatata, dein, ubi Aorta in rectum eſſet abitura, ſaccum emittebat, orificio pollicis diametrum habente, qui tranſiens inter quartam & quintam coſtam, quas a ſe invicem removerat, ſe explicabat in dorſo in ampullam, manui integræ magnitudine parem (*d*).

Magnum Aneuryſma Aortæ infra Diaphragma, & ipſi firmiter annexum, a Dno. BAYFORT obſervatum, memoriæ tradidit HUNTERUS (*e*): ubi quoque ſimul Aneuryſma parvum in trunco communi arteriæ Carotidis & Subclaviæ dextrà adfuit.

Differunt maximopere Aneuryſmata arcus Aortæ, quoad longitudinis extenſionem & figuram, notante HUNTERO (*f*): in quinque enim, quæ vidit Auctor, dilatatio incepit mox ſupra cor; in uno ad Arteriam ſubclaviam ſiniſtram uſque dilatatio tantum proceſſit; in alio parum ultra; in tertio & quarto ad dimidium longitudinis, quam habet Aorta intra Thoracem; in quinto ad bifurcationem Aortæ in lumbis fere uſque.

In

(*a*) Mém. de Berlin 1756, P. 46.
(*b*) In præfat. ad Nihellium de criſibus ex pulſu.
(*c*) DE HAEN R. m. tom. 1, pag. 251.
(*d*) Vid. plura exempla Aneuryſmatum arcus Aortæ apud MORGAG. de cauſ. & ſed. morb. epiſt. 17, art. 3, & 14, ſeqq.
(*e*) Med. obſ. and inq. vol. 3, pag. 14 & 26. confer. MONR. Eſſ. and obſ. phyſ. and litt. vol. 3, p. 225.
(*f*) Ibid. vol. 1, p. 342.

In horum duobus communis truncus Subclaviæ & Carotidis dextræ valdequam fuit dilatatus.

In duobus figura fuit oblonga & uniformis. In cæteris figura admodum fuit irregularis, cum quibusdam ſacculis magis extenſis, quam cæteræ partes.

Morgagnus (*a*) quoque jam antea diviſit Aneuryſmata, in ea, quæ vas, æque in omnem partem expanſum, format, & in ea, quæ ſacci inſtar e vaſis latere excreſcunt.

Aneuryſma Arteriæ Pulmonalis exſtat apud Paræum, teſte Lancisio (*b*).

Aneuryſmatis Arteriæ Subclaviæ dextræ ſingulariſſimum exemplum deſcripſit Dnus Maloet (*c*), quod ſcilicet Aſperam Arteriam perforaverat, & excitato ſputo cruento, intra minutum temporis ægro exhauſto, mortem induxit.

Notat enim Morgagnus (*d*), ſputum ſanguinis ſæpius obſervari, ubi Aneuryſmata intra pectus rumpuntur.

Aneuryſmatum in Arteria Aorta, mox ſupra diviſionem in Iliacas, in Iliacis, in Cœliaca, Meſenterica, Intercoſtali, in Brachio, Femore, Poplite, circa talum, in Arteria Epicrania, Temporali, Naſi externa, exempla collegit celeb. de Haen (*e*).

Quum itaque tot in arteriis obſervata ſunt Aneuryſmata, nec ratio datur, cur non in cæteris aliiſque locis oriri poſſent, tuto ſtatuitur, omnes arterias Aneuryſmatibus ſedem præbere poſſe.

Attamen experientia evincit, omnium frequentiſſime Aneuryſmata Vera oriri in Aorta, præcipue in ejus arcu, ita, ut horum numerus æqualis, ſi non major, a Monroo cenſeatur (*f*), quam cæterorum per totum corpus.

Frequenter etiam in poplite occurrunt, & ubicunque arteriæ nudæ decurrunt, vi externæ magis expoſitæ; rariſſime in cerebro; raro etiam in cervice (*g*).

(*a*) Adverſ. Anat. adverſario 2. animad. 39.
(*b*) De motu cord. & aneur. p. 290. V. p. 82 hujus Editionis.
(*c*) Acad. R. de Sc. anno 1733, p. 44.
(*d*) De ſed. & cauſ. morb. epiſt. 17, art. 16.
(*e*) Rat. med. tom. 1, pag. 247. confer. Monr. Eſſ, and obſ. phyſ. and litt. vol. 3, p. 281 & ſeqq.
(*f*) Ibid.
(*g*) Ibid. pag. 285.

Aliquando etiam plura Aneuryſmata Vera in eodem corpore ſimul occurrunt, uti in exemplis jam conſtitit, & ulterius conſtare poteſt ex obſervatione MONROI (*a*) de Aneuryſmatibus in Arteria Crurali, Meſenterica ſuperiori, emulgente ſiniſtra, & Meſenterica inferiori, in eodem corpore obviis.

Nonnunquam etiam, in quadam arteria diſpoſitio aneuryſmatica (ſi ita dicere fas ſit) locum habere poſſe videtur: ſic idem MONROUS (*b*) caſum narrat talis diſpoſitionis in Arteriis cruralibus earumque ramis; ubi Aneuryſmata adfuerunt in utroque inguine, in utroque poplite, & duo præterea in media parte femoris dextri.

§. V.

Dubium nullum eſt, quin Aneuryſmata omnia Vera oriantur pedetentim adeo, ut non niſi lento gradu in enormes aliquando magnitudines increſcant.

Aneuryſma in pectore, quod pulvinari mediocri, quo in ſedili utimur, demtis quatuor ejus angulis, æquaret, vidit RUYSCHIUS (*c*).

Aneuryſmatum capitis & pugni magnitudinis exempla proſtant apud PURMANNUM (*d*).

Obſervationem Aneuryſmatis Arteriæ Coſtalis, quod capitis magnitudinem excederet, adfert ULHORNIUS (*e*), licet, illud Arteriæ Coſtalis Aneuryſma Verum fuiſſe, vix credibile ſit; quod idem etiam de duobus Aneuryſmatibus, a LANCISIO (*f*) obſervatis, forſan non immerito animadvertendum eſſet.

Ovi anſerini magnitudinis Aneuryſmata duo proſtant apud HILDANUM (*g*); nec non Aneuryſma, quod totam ſiniſtram partem pectoris ad ſternum uſque & collum occupabat (*h*); adeo ut male quidam, Aneuryſmata caſtaneæ magnitudinem nunquam ſuperare, ſtatuerint (*i*).

(*a*) Rat. med. tom. 1, p. 220.
(*b*) Ibid. p. 178 & ſeqq. uti & MORGAG. de cauſ. & ſed. morb. epiſt. 50, art. 9.
(*c*) Obſerv. 38.
(*d*) Chirurg. curioſ. cap. 8, pag. 605.
(*e*) HEIST. Heelkund. Verhand. p. 496.
(*f*) Ibid. p. 245. V. p. 44 hujus editionis.
(*g*) Cent. obſ. & curat. chir. pag. 413 & 418.
(*h*) Ibid. p. 417.
(*i*) Vid. GOVEY Chir. p. 231.

Differunt vero Aneuryſmata incrementi celeritate; dum alia lente, alia ſubito admodum augmenta capiunt.

Lente increvit Aneuryſma ab Ill. SWIETENIO obſervatum (*a*).

Aneuryſma ab HUNTERO deſcriptum tres annos conſumſerat, antequam ad incrementum ſummum pervenerit, & ægro mortem (*b*) induxerit.

SANDIFORTII vero obſervatio docet, Aneuryſma intra ſeptem menſes ad ingentem magnitudinem increſcere poſſe.

§. VI.

Pulſu ſuo, omnia fere proxime ambientia deſtruunt, cartilagine & duriſſimo oſſe non exceptis.

Coſtæ, Sternum & Claviculæ eroſæ in obſervatione LITTRII; Sternum, Coſtæ, Vertebræ & Coſtarum cartilagines, eodem modo affectæ apud HUNTERUM; Sterni pars ſuperior, ad quartam Coſtam uſque, plane conſumta in caſu ROELOFFII; magna pars Sterni cum Coſtæ ſecundæ & tertiæ parte abolita in exemplo SANDIFORTII; Aſpera Arteria perforata, & detrita in obſervatione MALOETI; luxatio humeri, ex Aneuryſmate Arteriæ ſubclaviæ quoque orta (*c*) & infinita alia, quæ omnia repetere, operæ pretium non videtur.

Deſtructionem oſſium, cæterarumque partium, non oriri a ſanguine ut menſtruo oſſis, uti quidam putarunt, inſtitutis de induſtria experimentis evicit PRINGELIUS (*d*), ſed a continuo pulſu arteriarum, unde vaſa perioſtii & perichondrii contunduntur, rumpuntur, & ulcera efficiunt, quorum materies ichoroſa, acerrima reddita, oſſa & cartilagines continue erodit (*e*): neque enim requiritur ut oſſa denudentur antequam carie exedantur (*f*), quum continua ſanguinis aroſio particulas oſſeas ſine oſſis putredine auferre poſſe videatur.

(*a*) Comment. in aphor. BOERH. tom. 1, pag. 288.

(*b*) Heel en Ontleedk. Verh.

(*c*) Journal de Médecine, Chir. & Pharmac. par M. VAN DER MONDE tom. 14, p. 55.

(*d*) Vid. MONR. Med. Eſſ. and Obſ. Phyſ. and Lit. vol. 3, p. 253.

(*e*) Vid. MORGAG. de ſed. & cauſ. morb. epiſt. 18, art. 26; nec non Cl. SANDIFORTII Heel en Ontleedk. Verh. p. 20.

(*f*) MONR. ibid. p. 252.

ANEURYSMATIS VERI CAUSÆ.

§. VII.

Descriptis jam iis, quæ Aneuryſmatis naturam & indolem præcipue ſpectant, ad Cauſarum indagationem tranſeo.

Hæ omnes in eo congruunt, quod æquilibrium inter ſolidorum, & fluidorum actionem deperditum ſupponant, ita, ut hæc fortior ſit illa; alioquin nunquam oriretur Aneuryſma.

Sed idem illud variis modis poteſt contingere, & quidem, vel vitio ſolidorum, minus reſiſtentium, vel vitio fluidorum nimia vi impellentium, vel denique, cum utrumque in eundem finem conſpirat.

§. VIII.

Solidorum autem reſiſtentia minuitur.

I.° Vulnere; ſive illud afficit tunicas arteriæ externas, internis integre relictis; ſive ſolummodo partes circumjacentes, Celluloſam, Aponeuroſes, Muſculos &c. quæ robur arteriæ dant: in primo enim caſu tunica interna non ſatis reſiſtens, per vulnus propellitur ab impetu ſanguinis; ita contigiſſe retulit expertiſſimus Niechols in inflata Arteria Pulmonali, rupta tunica muſculari, internam in Cyſtidem dilatatam fuiſſe (*a*); in altero caſu, omnes arteriarum tunicæ relaxantur, dilatantur, & ita ſaccum Aneuryſmaticum conſtituunt; vidit enim Hallerus (*b*) arterias Meſentericas in ranis, ſimulac a Meſenterio, & Celluloſa circumjacente denudaverat, Aneuryſmaticas evaſiſſe.

II.^do^ Contuſione vel diſtractione violenta; quibus arteriarum tunicæ debilitantur: quo pertinent duæ obſervationes Lancisii (*c*), nec non obſervatio Swietenii (*d*), non enim requiritur ſemper ad Aneuryſma Verum excitandum, ut membrana exterior vel muſcularis quodam in loco ſit rupta, quum etiam Monrous (*e*) omnes arteriarum tunicas in Aneuryſmate integerrimas viderit, & a ſe invicem ſeparaverit.

(*a*) Teſte Monroo ibid. p. 255.
(*b*) Mém. ſur le mouvement du ſang, pag. 10. anno 1756.
(*c*) Lancis. l. c. p. 234 ad 242 & p. 245. V. huj. Ed. p. 34 & p. 44.
(*d*) Comment. tom. 1, §. 176, p. 287.
(*e*) Eſſ. and obſ. ibid. p. 239.

III.^{tio} Eroſione ab acrimonia quacunque (*a*); idem enim fit quod in vulnere.

IV.^{to} Scorbutica vel Venerea labe (*b*): conſtat enim experientia, ſolidorum compagem in Scorbuto vel Lue Venerea affectis aliquando debilitari.

Multos præterea his morbis adfectos Aneuryſmatibus obnoxios fuiſſe, experientia evicit.

An itaque ex gravitate Mercurii, uti quidam putant? vereor ne vitium ſubreptionis commiſſum fuerit.

V.^{to} Videtur etiam atonia quædam arteriarum univerſalis Aneuryſmatibus occaſionem dare poſſe: laxiores ſaltem inventæ fuerunt arteriæ in cadavere viri, qui Aneuryſmate in poplite laboraverat, à MONROO (*c*).

§. IX.

Fluidorum actio in vaſa nimium augetur 1° ex plethora; ſive illa ſit ad molem ſeu vera; ſive ad volumen, ſeu ſpuria: qualiſcunque enim ſit, fibras arteriarum nimium diſtendendo, easdem dilatat: ſicque, ſi continuo adeſt, vel frequentius redit, tandem tumorem aneuryſmaticum in loco, propter cauſas quasdam accidentales, præ cæteris, magis debilitato vel impetui ſanguinis magis obvio, tandem excitat.

Quo pertinent quadantenus, valida corporis exercitia, & vehementiora animi pathemata, a pluribus inter Aneuryſmatum cauſas recenſita: hæc etenim, calore in corpore excitato, volumen ſanguinis augent, cor irritando, ejus contractionem incitant, duplici itaque nomine obſunt. LANCISIUS (*d*) hanc conjecturam experientia confirmavit: nam ex centum Aneuryſmatibus, ſponte, ſeu abſque ullo externæ cauſæ concurſu natis, plus media parte, locum habuiſſe in guloſis & bibacibus, reliquam partem in Hypochondriacis, Hyſtericis & Syphilide obſeſſis.

2.do Nimius etiam ſanguinis impetus a quacunque cauſa enatus, ſive in toto corpore ſive in quadam parte.

(*a*) LANCIS. ibid. p. 253. V. p. 50 hujus Edit.
(*b*) LANCIS. l. c. p. 256. V. p. 53. hujus Edit.
(*c*) Eſſ. and obſ. ibid. p. 211.
(*d*) l. c. p. 271. V. pag. 66 hujus Edit.

Quo pertinent omnia, quæ ſolida ſtimulando, circulum magis incitant, ſive a corpore, ſive a mente adveniant; tum & illa, quæ diametrum arteriæ imminuendo vel obſtruendo, vim ſanguinis magis in certam quandam arteriæ partem determinant (*a*).

Sic nimia coarctata Aorta Aneuryſma in ejus curvatura excitare poſſet, vel nimiam cordis dilatationem inducere, quemadmodum a MECKELIO (*b*) obſervatum; unde & ſutores ob corporis poſituram, ſanguinis tranſitum per Aortam inferiorem ejusque ramos impedientem, in Aneuryſmata cordis magis inclinant teſte MORGAGNO (*c*).

Idem quoque in arteriis minoribus locum habere poteſt, poſt convulſiones (*d*), muſculi contractionem diuturniorem, vel nixum quendam violentiorem.

Sic Aneuryſma in Carotide ortum ex vehementiſſimis clamoribus, quod comprimendo Aſperam Arteriam ægro, quaſi ſtrangulando, mortem induxit, obſervavit celeb. GAUBIUS (*e*).

Sic magnum illud arcus Aortæ Aneuryſma, a LITTRIO obſervatum, ex vomitu, ut cauſſa, ortum fuiſſe videtur.

Hæc licet Aneuryſmatum origini anſam præbere poſſint, & aliquando re vera præbeant, certum nihilo minus eſt, maximam partem Aneuryſmatum Verorum, quorum hiſtoriæ exſtant, ſponte eſſe ſubortam, nulla cauſa evidenti cognita (*f*).

An Aneuryſma aliquando eſt morbus hæreditarius? videtur utique ex obſervatione LANÇISII (*g*).

ANEURYSMATIS VERI SIGNA.

§. X.

SIGNA Aneuryſmatis Veri GALENUS jam exhibuit.

Dignoſcuntur, inquit, hujusmodi adfectus pulſibus, quos edunt

(*a*) Ibid. p. 264. V. p. 60 hujus editionis.
(*b*) Mém. de Berlin 1750, p. 163. & MORGAG. de cauſ. & ſed. morb. epiſt. 18, art. 2, 6, 8.
(*c*) Ibid. art. 4.
(*d*) LANCIS. l. c. p. 276. V. p. 70 hujus editionis.
(*e*) Vid. VAN LEEUWEN diſſert. de Aneuryſmate Vero p. 13.
(*f*) Teſte MONROO ibid. p. 241.
(*g*) l. c. p. 230. V. p. 30 hujus editionis.

arteriæ; ſed & cum comprimuntur, tumor omnis deliteſcit, ſubſtantia, quæ ipſum efficit, in arterias recurrente &c.

Interim recentiores plura ſigna addiderunt, & jam memorata in omnibus caſibus haud adeſſe, demonſtrarunt.

§. XI.

Dolendum inprimis, internorum Aneuryſmatum ſigna adeo æquivoca & incerta eſſe (*a*), ut raro admodum cognoſcantur, priusquam ad tantam magnitudinem pervenerint, ut eorum tumor & pulſus etiam extus percipi poſſint, uti in multis caſibus factum, ita ut pulſus, oculo perceptibilis, & doloroſiſſimus fuerit (*b*), etiam in Epigaſtrio & Hypochondriis, ubi Aneuryſma aortam infra diaphragma obſidebat (*c*); immo & ab adſtantibus audiri potuerit (*d*); tum vero nimis inveteratum malum, nullam capit medelam.

Attamen cauſa violenta prægreſſa, pectoris dolor profundus, reſpiratio difficilis, ad minimum motum aucta, animi deliquia, pulſus debilis, intermittens, deficiens, œdema artuum, & pulſatio interna, ab ægro percepta (*e*), quandoque aliquid luminis dabunt.

Semper vero cogitandum, pleraque hæc ſigna Aneuryſmati non priva, ſed & aliis morbis pectoris communia eſſe, ita ut etiam aliquando prudentiſſimos in errores ducant (*f*).

Pulſus in obſervatione HUNTERI (*g*) primo fuit regularis; dein ſentiri non potuit, neque in brachio, neque in tempore lateris ſiniſtri, licet nullam debilitatem, vel torporem in brachio perceperit æger: tandem rediit pulſus, nunquam vero tam fortis evaſit, ut antea fuerat.

§. XII.

Signa Aneuryſmatum externorum in univerſum cenſentur.

I.° Cauſæ prægreſſæ, II.do tumor lente increſcens, & ex parvo principio ortus, III.tio pulſatio, IV.to tumoris poſt preſſionem diſpa-

(*a*) Confer OOSTERDYK Schacht Inſt. med. pract.; HUNTER med. obſ. and inq. vol. 1. p. 347, nec non MONRO Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 259.

(*b*) Med. obſ. and inq. vol. 1, p. 525. Hiſt. Reg. Scient. anni 1707, p. 24, nec non ibid. anni 1721, p. 29.

(*c*) Med. obſ. ibid. p. 14.

(*d*) DE HAEN R. Med. part. 7, p. 260.

(*e*) Hiſt. Reg. Scient. anni 1707, pag. 23.

(*f*) DE HAEN R. Med. part. 1, p. 257 ad 261.

(*g*) Med. Obſ. ibid. p. 326.

ritio, vel maxima imminutio, ejusque reditus, preſſione ablata. De quibus ſingulatim. De Aneuryſmatum Verorum Cauſis, jam egimus.

Tumor in plerisque Aneuryſmatibus externe adeſt, niſi arteria valde profunde ſit ſita, mollis plerumque præſertim in recentibus, aliquando duriuſculus, præcipue in inveteratis; in poſterioribus etenim membranæ non tantum ut plurimum ſunt craſſiores ſed & ſanguis intus coagulatus, vel in polypum mutatus.

Color etiam cutis plerumque eſt naturalis; in inveteratis forſan magis ruber.

Pulſatio, cum pulſu arteriæ in carpo ſynchronica, aliquando etiam in Aneuryſmatibus externis, tanta eſt, ut oculo facile conſpici poſſit; uti obſervata docuerunt.

Hiſce, ſi accedat quartum ſignum, ſi ſcilicet tumor preſſione diſparet, vel multum minuitur, & redit, preſſione ablata, ſatis certo concludere poſſumus, Aneuryſma adeſſe: niſi enim ultimum accedat ſignum, glandulas tumidas, aliosve tumores, ſupra arterias decurrentes, & propter ictum arteriæ, ipſis communicatum, valide aliquando pulſantes, pro Aneuryſmatibus aſſumi poſſent, quod aliquando factum fuiſſe videtur, præſertim in cervice & jugulo (*a*).

Aſt multum abeſt, quam ut hæc ſigna ſemper adeſſent; ſæpe enim membranæ adeo ſunt incraſſatæ, & induratæ, ſæpe ſanguis intra ſaccum contentus, adeo coagulatus, vel polypoſus, ſæpe vis cordis in propellendo ſanguine, adeo imminuta, ut neque pulſum percipere (*b*), neque tumorem retro premere quis poſſit.

Aliquando etiam ſuppuratio, in ambitu Aneuryſmatis orta, efficit, ut nemo mortalium Aneuryſma ab abſceſſu diſtinguere queat: hinc ſæpe Aneuryſmata Lanceola fuerunt aperta funeſto cum eventu (*c*), præſertim in poplite, uti quoque, vice converſa, abſceſſus aliquoties pro Aneuryſmatibus habiti ſunt (*d*).

Dubia

(*a*) Conf. HUNTERUM med. obſ. and inq. vol. 1, p. 344; & MONROUM Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 281.

(*b*) MONR. ibid. 183, ubi pulſus in Aneuryſmate poplitis, eo magis decrevit, quo magis increvit tumor: idem in arteriæ axillaris Aneuryſmate ib. p. 196; pulſum vero ſentiri poſſe, quam diu Aneuryſma non ſit ruptum, defendit, licet, alios contrarium putare, afferat. ibid. p. 247.

(*c*) MONRO ibid. p. 249.

(*d*) MANGETI Bibl. med. pract. tom. 1, lib. 1, p. 59.

Dubia itaque aliquando ſunt ſigna Aneuryſmatum externorum, ita ut merito celeb. DE HAEN invehat in illos Medicos, qui ſtatim Chirurgum, cæterum ſatis expertum, increpant, ſi forte infortunio Aneuryſma pro abſceſſu aperuerit, ac ſi ipſius ignorantia, vel imprudentia, illud factum fuiſſet.

Majori itaque jure RUYSCHIUS (*a*) pulſationem non pro ſigno Pathognomico omnium Aneuryſmatum, ſed plurimorum & exiguorum habuit.

Aliquando etiam Aneuryſmata, ſimplicia, duplicia apparere, aliquando etiam locum mutare, exempla, a nobis ſupra allata, docuerunt (*b*).

PROGNOSIS ANEURYSMATIS VERI.

§. XIII.

PROGNOSIS Aneuryſmatum Verorum multum differt:

I.° Prout vel arterias majores, quarum functio abſque plenaria vitæ extinctione deſtrui non licet, vel arterias minores, quæ ſolummodo cuidam corporis parti nutriendæ inſerviunt, illudque vel ſolæ, vel cum aliis conjunctæ efficiunt, obſident:

II.do Prouti ſunt interna vel externa:

III.tio Prout parva ſunt vel magna, recentia vel inveterata:

IV.to Pro ratione loci, & ſitus relative ad partes circumjacentes:

V.to Prouti ex cauſa interna, vel externa cognita, orta ſunt. De quibus ſingulatim.

§. XIV.

Aneuryſmata arcus aortæ ejusve trunci deſcendentis, vel rami cujusdam primarii, ſemper periculoſiſſima ſunt: hæc enim propter magnum ſanguinis impetum, continue magis, magisque increſcunt, pulſu ſuo vicina deſtruunt, partes nobiliores comprimunt, vehementer lædunt, illarumque actiones impediunt; hinc ſanitatem generalem labefactando, hydropem, atrophiam, tandemque mortem inducunt; vel, ſubito ruptis illarum membranis, ſanguinem omnem

(*a*) Obſerv. 38, p. 51.
(*b*) Vid. diſſertationis hujus §. 4.

intra cavitates majores (*a*), vel ubi cum harum parietibus firmiter concreverint, diſruptis, & emortuis integumentis, extra corpus effundunt, quod aliquando ſubito, aliquando etiam lente, & per intervalla fit, ubi ſcilicet cruſta cutis, ſphacelo affecta, & in ambitu ſeparata, cum coagulo, quod intra Aneuryſma continetur, cohæret, & ſic aperturam aliquamdiu turundæ ad inſtar obturat, & qualibet cordis contractione extrorſum propellitur, uti obſervarunt HUNTERUS (*b*) & SANDIFORTIUS (*c*).

§. XV.

Aneuryſmata interna, licet in minoribus arteriis obtinent, propter rupturæ, & hæmorrhagiæ inde oriundæ metum; quoniam Chirurgi manibus obvia ſunt, externis, cæteris paribus, multo magis ſunt periculoſa; minus vero, quam quæ in majoribus arteriis internis ſita, propter debiliorem impetum ſanguinis, lentius hinc incrementum, & minorem viſcerum vitalium compreſſionem.

Periculum itaque etiam in his indicandum, ſi modo cognoſci queant.

§. XVI.

Parva, & recentia Aneuryſmata indolentia, in externis partibus ſita, & quæ digiti preſſioni cedunt, minoris ſunt periculi, partim quoniam, ſibi relicta, aliquando per triginta annos hæſiſſe abſque vitæ diſcrimine, experientia docuit (*d*); partim, quoniam ſemper, ſi increſcunt, compreſſione, vel ſecus ligatura ſanari poſſunt.

§. XVII.

Multum etiam differre periculum pro ratione loci & ſitus, reſpectu partium circumjacentium, facile percipit, qui conſiderat, quantopere Aneuryſmata mole ſua partes circumjacentes, pulmones, cor, cætera viſcera, aſperam arteriam, arterias, nervosque, & oſſa vicina comprimunt, hujusque compreſſionis ſequelas ſibi ob oculos ſiſtit.

Sic v. g. Aneuryſma arteriæ ſubclaviæ a Dno. MALLOET (*e*)

(*a*) MORGAGN. de ſed. & cauſ. morb. epiſt. 17, art. 14.
(*b*) Med. obſ. and inq. vol. 1, p. 339.
(*c*) Heel en Ontleedkund. Verh. p. 13.
(*d*) Vid. LANCIS. l. c. p. 230. V. p. 30 hujus editionis.
(*e*) Vid. diſſ. hujus §. 4.

obſervatum, aſperam arteriam ſenſim erodendo, hæmoptoën lethalem produxit.

Sic Aneuryſma in Carotide obſervatum, aſperam arteriam comprimendo, ægrum ſtrangulavit (*a*). Sic denique ſaccus aneuryſmaticus, ex arteria axillari ortus, & juxta arteriam brachialem longe deſcendens, arteriam eandem adeo compreſſerat, ut per longitudinem dimidii pollicis penitus concreta poſt mortem inventa fuerit (*b*).

§. XVIII.

Si Aneuryſma Verum, nulla cauſa externa cognita, ſponte ſubortum ſit, metus eſt ne plura in eodem corpore latitent (*c*).

Addimus denique, lethalia vulgo haberi in iis, qui a Lue Venerea curari volunt (*d*).

ANEURYSMATUM VERORUM CURATIO.

§. XIX.

DUPLEX Aneuryſmatis Veri curandi methodus eſt; vel Radicalis, vel Palliativa.

Radicalis iterum duplici modo peragitur, compreſſione ſcilicet, vel operatione chirurgica.

§. XX.

Prior methodus raro uſu venit; tentari tamen poteſt in Aneuryſmatibus parvis, recentibus, mollibus, indolentibus, oſſe bene ſuffultis, antequam ad operationem chirurgicam progrediamur.

Splenia, liquoribus adſtringentibus, & diſcutientibus madida, Aneuryſmatibus firmiter ſunt applicanda.

In quem uſum varia excogitata ſunt inſtrumenta; ſimpliciſſima vero methodus reliquis præſtare videtur.

Interim ſanguinis impetus Venæ Sectionibus, & diæta tenuiſſima, & refrigerante eſt infringendus; Cauſa Venerea, vel Scorbutica, ſi adeſt, idoneis medicamentis tollenda.

(*a*) VAN LEEUWEN diſſ. de Aneuryſmate vero, p. 14.
(*b*) MONRO Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 196.
(*c*) MONRO ibid. p. 220; vid. quoque quæ §.° 4. ex eodem annotavimus.
(*d*) Teſte MANGETO Bibl. med. pract. tom. 1, lib. 1, p. 60.

Hac methodo, ſi fides Lancisio aliisque Practicis, Aneuryſmata Vera in initio aliquando fuere ſanata.

§. XXI.

Hæc vero curatio in majoribus periculoſiſſima eſt, partim quoniam coagula, quæ intus latent, in ſanguinem reducuntur, & ſic plenariam arteriæ obſtructionem producere poſſunt, partim quoniam hæc Aneuryſmata, quo magis comprimuntur, eo magis extenuantur, & præterea in uno loco compreſſa, in alio loco magis extenduntur, & ſic citius etiam rupturam agunt, uti experientia Lancisium (*a*), Hunterum (*b*), Monroum (*c*), aliosque docuit.

Hinc tenuiores ſemper inveniuntur majorum Aneuryſmatum membranæ, illis in locis, ubi ſaccus oſſibus fuerit ſuffultus, immo & ibidem ſæpius penitus deſtructæ, repertæ ſunt.

Tutius itaque eſt, inprimis, ſi tumor increſcit & doloroſus fit, ad operationem chirurgicam procedere, quæ ſimpliciſſima eſt.

Applicato ſcilicet torculari ſupra Aneuryſma ad locum aptum, & denudato ſacco aneuryſmatico, arteria, & ſupra & infra ſaccum ligatur, cavendo, ne nervus ſimul ligetur, quod defectum in motu brachii poſt ſanationem vulneris adferre poſſet (*d*). Dein ſaccus aperitur, & coagula, quæ intus deliteſcunt, auferuntur. Si forſan orificium alicujus rami anaſtomotici, in ipſa Cyſtide apparet, quod, laxata cochlea torcularis, percipitur, impediendum, ne ſanguis per ipſum effluat, quod fieri poteſt, vel compreſſione cum agarico v. g. vel linteo carpto; vel nova ligatura quod tutiſſimum.

Applicetur denique deligatio, & curetur ut vulnus.

§. XXII.

Operatio hæc uſu venire poteſt in omnibus arteriis minoribus; in arteria radiali, ulnari, tibiali, fibulari, etiam in brachiali ſupra diviſionem in cubitu: notum enim eſt ramum anaſtomoticum, ex arteria brachiali tribus fere digitis transverſis ſupra diviſionem in radialem & ulnarem ortum, retrorſum circa cubitum flecti, & arteriæ

(*a*) Lib. 2, propoſ. 27, p. 248.
(*b*) Med. obſ. and inq. vol. 1, p. 343. Conf. ibid. vol. 3, p. 26.
(*c*) Med. Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 275.
(*d*) Monro Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 276.

radiali iterum inſeri (*a*). Dantur etiam rami anaſtomotici, ex ſuperiore arteriæ cruralis parte orti, qui per adductores magnos femoris penetrant in poſteriora, inferiori parti arteriæ cruralis inſerti (*b*), qui hanc operationem in femore poſſibilem reddunt: experientia enim docuit, ramos anaſtomoticos poſt operationem, multopere dilatatos fuiſſe.

Forſan longe etiam altius in femore & brachio, cum ſucceſſu operatio inſtitui poſſet, uti experimenta eviciſſe videntur, de quibus plura capite ſequenti, memorabimus. Prudentia ſaltem ſuadet, non ſtatim ad amputationem eſſe progrediendum, ubi Aneuryſma nimis alte ſitum videtur, quam ut membrum poſt operationem nutriri poſſit; ſed operationem inſtituendam eſſe, & exſpectandum, quid de membro fiat, quandoquidem natura in quibusdam caſibus valet, quod a priori nemo mortalium, licet perſpicaciſſimus, augurari potuiſſet. Operatio hæc præterea inſtitui poſſe videtur in arteria Carotide, ubi neceſſitas urget, licet infelici ſucceſſu perterritus, illam diſſuaſerit LANCISIUS (*c*): vidit enim SWIETENIUS (*d*) canem omnino ſanum, quamquam ambæ arteriæ Carotides per duodecim dies, & venæ Jugulares per quatuor ligatæ fuiſſent, & ſecto capite cerebrum nullo modo mutatum. Verbo in omnibus arteriis minoribus cum ſucceſſu inſtitui poſſet.

§. XXIII.

Si vero Aneuryſmata ita ſunt ſita, ut manui chirurgicæ aditum non concedant, vel abſque vitæ periculo ligari nequeant, cura palliativa eſt inſtituenda.

Venæ ſectionibus iteratis, diæta tenuiſſima, medicamentis eccoproticis, ſanguinis vis ita eſt moderanda, ut ſaccus aneuryſmaticus quam lentiſſime increſcat.

Dolor præterea opiatis lenioribus ſedandus, & reliqua ſymptomata idoneis remediis ſunt mitiganda.

Quæ, quantum aliquando contribuere poſſint ad vitam protra-

(*a*) Vid. celeb. CAMPERI demonſt. anat. pathol. brachii tab. 1, n.° 8, 10, 15, 14.
(*b*) Vid. EUSTACH. tab. 24, litt. G. M.
(*c*) l. c. p. 222. V. hujus editionis p. 23.
(*d*) Comment. tom. 1, pag. 266; conf. expertiſſimi STOLTE diſſert. de morte ſuſpenſorum pag. 38.

hendam & commodiorem reddendam, conſtare poteſt ex obſervationibus celeb. DE HAEN (*a*).

Ubi vero extus tumor apparet & periculum inſtantis rupturæ adeſt, compreſſione, vita aliquando per aliquot dies poteſt prolongari (*b*).

Et hæc quidem præcipua ſunt, in talibus caſibus, artis auxilia: vix enim credibile eſt, Aneuryſma, in magna arteria ſemel formatum, repetitis venæ ſectionibus, & diu protracta inedia, corpore lente ad illam perferendam aſſuefacto, ad plenariam ſanationem pertingere poſſe, licet experimenta VALSALVÆ (*c*) illud eviciſſe videantur.

SECTIO ALTERA.

DE ANEURYSMATE SPURIO.

§. I.

ADGREDIOR alteram morbi ſpeciem, quam, a priori licet toto cœlo diverſam, eodem tamen nomine inſignire placuit Eruditis. In hujus deſcriptione, & curatione tanto brevior eſſe potero, quanto plura, quæ in ipſius tractatione occurrunt, ad generaliora, vulnerum, & hæmorrhagiarum, doctrinæ medicæ capita ſunt referenda.

MORBI DEFINITIO ET DIVISIO.

§. II.

EST ſcilicet Aneuryſma Spurium nihil aliud, quam tumor, a ſanguinis effuſione, ex arteriæ vulnere vel ruptura, ſub cute excitatus.

Patet itaque, Aneuryſmata Spuria non vocari arteriarum majorum internarum vulnera, vel rupturas, utpote in quibus ſanguis effuſus non ſub cute hæret, neque ullam a Chirurgi manu accipiunt medelam.

§. III.

Dividitur in Circumſcriptum & Diffuſum (*d*), quorum primum

(*a*) Rat. med. part. 5, pag. 90, 91, 92.
(*b*) MONRO Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 260; vid. & SANDIF. Heel en Ontleedk. Verh. p. 13.
(*c*) MORGAGN. de ſed. & cauſ. morb. epiſt. 17, art. 31.
(*d*) HUNTER med. obſ. and inq. vol. 1, p. 337.

vocatur; ubi ſanguis effuſus intra ſaccum, a celluloſa condenſata limitatum, continetur; alterum, ubi ſanguis extravaſatus per omnem fere celluloſam ſubcutaneam diſpergitur, perque muſculorum diſſepimenta alte penetrat.

Dividitur porro in Primitivum, & Conſecutivum a FOUBERTO (*a*). Primum vocat, quando mox poſt vulnus, ſanguis juxta faſciculum vaſorum in tunicam celluloſam effunditur; alterum, quod oritur aliquot dies poſt vulnus arteriæ inflictum, ſi ſcilicet compreſſio non fuit diu continuata: tum enim thrombus, antea formatus, ex vulnere iterum exit.

ANEURYSMATIS SPURII CAUSÆ ET SEDES.

§. IV.

ORIUNTUR plerumque ex vulnere, arteriæ inducto, inprimis ope inſtrumenti acutiſſimi & quod cuti tantummodo plagam exiguam, ipſius Elaſticitate facile occludendum, infert: obtuſioribus enim inſtrumentis arteriæ facilius cedunt, & plagæ majores ſanguini liberum exitum concedunt.

Hinc poſt arterias brachiales in Venæ Sectione imprudenter læſas, & poſt vulnera, enſe pungendo inflicta, frequenter occurrunt.

Aliquando etiam originem ducunt ex Aneuryſmate Vero, propter nimiam diſtenſionem, eroſionem, vel quamcumque aliam cauſam, rupto.

Hujus exempla duo profert MONROUS (*b*), unum erat in arteria Poplitea; alterum in Crurali.

Denique quandoque arteriæ, licet non dilatatæ, rupturam agunt, ex lapſu, validiori nixu, vel nimis vehementi exercitio, vel iisdem acrimonia quacunque eroſis (*c*).

Vidit expertiſſimus ELSE (*d*) arteriam aortam in ipſius arcu duplici in loco ruptam; & arteriam cruralem ex lapſu ruptam, adeo ut femur amputatione auferri debuerit, obſervavit MONROUS (*e*).

(*a*) Mém. de l'Acad. Royale de Chir. tom. 2, p. 535.
(*b*) Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 212 & 215. confer LANCISIUM de mot. cord. & aneur. pag. 268. V. p. 64 hujus editionis.
(*c*) Ibid. Eſſ. and obſ. p. 269.
(*d*) Med. obſ. and inq. vol. 3, p. 177.
(*e*) Eſſ. and obſ. ibid. p. 271.

§. V.

Ratio cur aliquando oriatur Aneuryſma Circumſcriptum, licet celluloſa ſubcutanea omnis inter ſe communicet, videtur conſiſtere in parvitate vulneris arteriæ, & lenta ſanguinis exſtillatione. Hinc ſæpe quoque oritur, ubi arteria læſa, primo compreſſa fuit, ut vulnus externum ſanetur, vel ubi arteria non tota perfecta, vulnere externo ſanato, rumpitur (*a*).

§. VI.

Aneuryſmatum ſpuriorum ſedes eſt ubique per totum corpus, ubi arteriæ, ſub cute decurrunt, vel etiam altius juxta oſſa ſerpunt.

Omnium vero frequentiſſime occurrunt in brachio poſt Venæ Sectionem imprudenter inſtitutam; in genere frequenter in arteriis extremitatum; rarius in cæteris partibus.

In arteria Aorta inter Emulgentem & Meſentericam inferiorem Aneuryſma Spurium circumſcriptum vidit PRINGELIUS (*b*). Arteria aperturam habebat, pollicem facile admittentem, quæ ducebat intra Saccum, ex compacta celluloſa efformatum.

In pene Aneuryſma Spurium vidit celeb. B. S. ALBINUS (*c*).

ANEURYSMATIS SPURII SYMPTOMATA ET SIGNA.

§. VII.

SIMULAC arteria aperta ſanguinem ſub cute fundit, membrum ſenſim magis & magis intumeſcit, tumore æquabili, ad attactum molli, ſenſim duriori id eſt magis tenſo dolorifico: cutis plerumque colorem mutat in obſcurum ſublividum diverſum ab ecchymoſi vel contuſione. Si diutius pergit ſanguinis effuſio, omnes membri partes comprimuntur, arteriæ, venæ, nervi: hinc circulatio imminuitur, tandem ceſſat, & ſanguis extravaſatus ſtagnans, putreſcit. Hinc gangræna, & ſphacelus, ni ſuccuratur, ægro neceſſario imminent.

§. VIII.

(*a*) MONR. Eſſ. and obſ. ibid. p. 268.

(*b*) Ibid. p. 206.

(*c*) Annotat. acad. lib. 3.

§. VIII.

Hæc in Aneuryſmate Diffuſo obtinent; non vero in Circumſcripto, cujus ſymptomata, & formationis modus conveniunt cum Aneuryſmate Vero.

§. IX.

Signa tum ex prægreſſis cauſis, tum quoque ex Symptomatibus concomitantibus eruuntur.

Diſtinguitur facilius Diffuſum quam Circumſcriptum: ultimum enim ab Aneuryſmate Vero, niſi conſtiterit arteriam antea in ejus cavum fuiſſe ſauciatam, internoſci non poteſt. Hinc ſæpius pro Veris habita fuerunt; licet experientia dein docuerit, aperto tumore, arteriam non dilatatam, vulnere apertam, libere intra ſaccum, ex celluloſa compacta formatum, & ſanguine repletum, contentam fuiſſe (*a*).

Pulſatio in Aneuryſmatibus Diffuſis vix, vel non ſentitur, niſi forſan prope Arteriæ aperturam (*b*). In Circumſcripto ut in Aneuryſmate Vero, pulſatio aliquando ſatis fortis eſt, alias debilior, quandoque non perceptibilis (*c*). Sin vero recens, & ſanguis adhuc fluidus ſit, tum compreſſo tumore, ſanguis cum ſtrepitu intra arteriam redit (*d*). Prudens tamen ſemper ſit Chirurgus in prædictione, quum etiam interdum tumor, cum aliqua pulſatione, ex venarum ecchymoſi oriri poſſit, notante LANCISIO (*e*), & confirmante Expertiſſimo ELSE (*f*).

PROGNOSIS.

§. X.

PERICULUM multum differt, prout Arteria major vel minor ſit adfecta, prout truncus, vel ramus: quandoquidem truncus ligari

(*a*) Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 269, de HAEN Rat. Med. part. 7, p. 230.
(*b*) Med. obſ. and inq. vol. 1, p. 337.
(*c*) Eſſ. and obſ. ibid. p. 265, de HAEN Rat. Med. l. c.
(*d*) LE DRAN Operatien der Heelkonſt p. 387, ſed idem in vero locum habet notante eodem l. c. p. 383.
(*e*) De Mot. Cord. & Aneur. Prop. 12.
(*f*) Med. obſ. and inq. vol. 3, p. 170 & ſeqq.

non poteſt abſque Gangrænæ metu; ramo vero ligato, cæteri rami, anaſtomoſibus dilatatis, ipſius vices ſupplent.

Differt etiam periculum pro loco, in quo arteria ſit ſita, an ſcilicet arteria manibus Chirurgi obvia, facile ligari poſſit, num vero minus. Tum quoque, prouti vulnus majus eſt, vel minus; licet in eadem arteria : quo enim minus eſt, eo major ipſius conſolidationis ſpes eſt.

Multum etiam refert, an arteria parva, oſſibus ſuffulta, comprimi poſſit; num vero ſecus.

Diſcrimen ſemper majus datur in Aneuryſmate Diffuſo, quam Circumſcripto, propter metum inſtantis Gangrænæ & ſphaceli : omnia itaque artis auxilia ilico in illis ſunt adhibenda, dum in his periculum non adeo eſt in mora, & quandoque ſola compreſſione ſanantur.

CURATIO.

§. XI.

TRIPLEX imprimis curandi Methodus a LANCISIO in eximio opere de Motu Cordis & Aneuryſmatibus deſcribitur, tum quoque a recentioribus pleriſque adoptatur.

Prima eſt compreſſio; altera arteriæ vulneratæ denudatio, & ſtypticorum ipſi vulneri applicatio; tertia eſt ligatura.

Hunc quoque ordinem ſequemur; addemus vero novam, a LAMBERTO inventam, Aneuryſmatum ſpuriorum curandi methodum; quid de ea cenſendum experimentis indagaturi.

COMPRESSIO.

§. XII.

POSSE Arteriarum Vulnera Compreſſione ſanari, eodem modo uti Venæ, patet, primo ex Arteriotome, in arteria Temporali toties cum ſucceſſu inſtituta : ſecundo ex variis obſervationibus de Arteria Brachiali in Venæ Sectionis operatione infeliciter ſæpius læſa, & compreſſione ſanata (*a*).

(*a*) MONR. Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 279; Conf. HILDAN. Cent. 3, obſ. 44; TULP. ib. 4, cap. 17; l'Acad. R. de Chir. tom. 2, p. 541.

§. XIII.

Itaque ubi Vulnus arteriæ parvum eſt, recens, nec multum ſanguinis extravaſati; vel ubi Aneuryſmatis Spurii circumſcripti tumor digitis cedit, & compreſſione evaneſcit, hæc curandi Methodus tentari poteſt.

§. XIV.

Compreſſionem in initio pollicis, & digiti indicis ope a Chirurgi miniſtro perficiendam præfert Lancisius (*a*): quoniam ſic a latere arteriæ labia ad ſe invicem adducuntur; ſcopus itaque ejus fuiſſe videtur labiorum Vulneris arteriæ coalitio.

Inſtrumentum quoque in Gallia inventum deſcribit, & aliud, quod nondum in lucem erat editum, denique tertium, a Nuckio exhibitum. Dein faſciam, lamina plumbea inſtructam, applicandam ſuadet, & diu retinendam, etiam per annum, & ultra; quoniam tali modo plures curatos novit, & alios, qui, rejecta nimis ſubito faſcia, deinceps in Aneuryſma inciderunt. Venæ Sectionem interea repetitam magnæ exiſtimat efficaciæ ad ſanguinis impetum infringendum.

Hæc methodus ſatis eſt bona, & a recentioribus in univerſum etiam ſecuta; interim, qui plura inſtrumenta, in hanc rem excogitata cognoſcere cupit, adeat Heisterum & Ulhornium.

§. XV.

Sanatione compreſſionis ope peracta, ægris dein mortuis, thrombum admodum ſolidum, cum incumbentibus concretum, in ipſo arteriæ vulnere rotundo, ſemper invenit Expertiſſimus Foubert (*b*).

In Portugallia Aneuryſmata Spuria Circumſcripta recentia ſanant, applicata diu glacie, teſte Monroo (*c*).

ARTERIÆ DENUDATIO ET STYPTICORUM APPLICATIO.

§. XVI.

Si vero Aneuryſmata Spuria Circumſcripta nimis ſunt magna, vel in Diffuſis nimia ſanguinis quantitas extravaſata eſt, vel denique

(*a*) Ibid. l. c. Prop. 11.
(*b*) Mem. de l'Acad. R. de Chir. tom. 2, p. 542 & 544.
(*c*) Eſſ. and obſ. ibid. p. 273.

compreſſio externa fruſtra tentata fuit, alia curandi methodus in uſum erit vocanda.

Ut vero ſanatio alicujus partis ejus deſtructione ſemper præſtantior eſt, ſic vulneris arteriæ coalitio ejus ligaturæ longe eſt anteferenda.

§. XVII.

Igitur, ubi vulnus arteriæ eſt parvum & ipſa arteria minoris diametri, applicato torculari, ſanguinis impetus eſt infringendus. Tum apertis integumentis, ſanguis coagulatus eſt educendus, & arteria denudanda.

Dein, laxato torculari, ut obſervetur vulneris locus, mox iterum conſtricto, imponantur vulneri globuli, piſi magnitudinis, ex Vitriolo Cyprino ad albedinem Calcinato, goſſypio probe involuti; poſtea pulvis ex Thure & Colophonia inſpergatur vulneri, & repleatur porro vulnus plumaceolis, Unguento Digeſtivo illinitis; retineantur denique hæc omnia faſcia, probe accommodata.

Notandum in deligatione Vulneris, globulos Vulneri arteriæ proximos, tamdiu relinquendos eſſe, donec ſponte decidant.

§. XVIII.

Hæc methodus Etmulleri eſt a Lancisio deſcripta (*a*); deinceps vero, a Dno. Brossard invento ſpecifico ad hæmorrhagias ſiſtendas, Agarico ſcilicet pedis equini facie, ſeu Fungo Igniario, qui creſcit in quercu, menſe Auguſti collecto, cortice duriori orbato, dein mallei ictibus emollito (*b*). Hæc methodus ubique fuit adhibita; neque abſque ſucceſſu (*c*), etiam in ipſis arteriarum truncis (*d*).

§. XIX.

Operæ vero pretium erit huc transferre, quæ de hiſtoria hujus methodi, erudite diſſerit Cl. de Haen (*e*).

(*a*) Ibid. Prop. 14.
(*b*) Mem. de l'Acad. R. de Chir. tom. 2, p. 225.
(*c*) Ibid.
(*d*) de Haen R. Med. tom. 1, p. 266; ibidem part. 7, p. 233 & 234.
(*e*) Ibid. p. 264.

» Igitur compreſſio arteriæ pertuſæ celebrata Veteribus, feliciter » peracta a Sculteto anno 1631, primo compreſſione trunci, tum » ſpongia uſta, adſtringentiſſimo pulvere adſperſa, ad Vulnus arteriæ » admota, dein conveniente ligatura firmata, dein artificioſe excogi- » tato inſtrumento, quod ipſe Dnus Morand tom. 2, act. Acad. » Chir. impenſe laudat, adpreſſa, hæc inquam compreſſio a Dio- » nisio, ab Heistero aliiſque commendata; dein a Cl. Hamber- » gero anno 1731 facta, & 1732 promulgata; anno 1732 a Fou- » berto primum Pariſiis inſtituta quidem, at vero non niſi 21 poſt- » modum annis cum publico communicata eſt. Interea temporis » Cl. Trew bis hanc curam perfecit, longe antequam ille Academiæ » Pariſienſis tomus ſecundus in lucem prodiit.

§. XX.

Dnus Foubert hanc methodum ſolummodo in vulneribus trunci arteriæ adhibet, ramos vero ligatura curat (*a*), cujus rationem non perſpicit Cl. de Haen (*b*).

Suſpicor vero ideo illud factum fuiſſe, quod ligatura, ſatis tuto arteriæ ramis applicanda, certior ſit methodus, quæ tamen in truncis magis periculoſa, hinc priori methodo, ſi ſuccedat, in his erit poſt-ponenda.

LIGATURA.

§. XXI.

Verum enim vero, ubi arteriæ Vulnus nimis magnum eſt, quam ut prioribus methodis ſanguinis effluxus ſiſti queat, vel etiam hæ Methodi incaſſum fuerint tentatæ, ſenſu tamen & motu membri adhuc ſuperſtite, nihil ſupereſt quam arteriæ ligatio, quæ ſequenti modo peragitur.

§. XXII.

Applicato torculari, cutis, cæteraque integumenta inciduntur juxta arteriæ longitudinem, ſanguis coagulatus tollitur, & arteria denudatur.

(*a*) Mém. de l'Acad. R. de Chir. tom. 2, p. 537.
(*b*) Rat. Med. vol. 1, part. 1, pag. 264.

Dein laxato torculari, ut vulnus in conſpectum prodeat, & mox iterum adducto, duo fila ope acus incurvæ obtuſioris demittuntur infra arteriam, & unum ſupra, atque alterum infra vulnus ligatur. His factis impletur vulnus plumaceolis, & laxe (*a*) deligatur.

§. XXIII.

Ligato ſic ramo arteriæ cujuſdam, experientia docuit, alium ramum, qui ad idem membrum tendit, tum quoque ramos anaſtomoticos, dilatari ita, ut pulſus, qui per aliquot dies in arteria ligata infra vulnus ſentiri non potuit, dein ſenſim redeat, & calorem, motum, & nutritionem membro reſtituat.

Idem quoque fieri poſſe videtur, ſi arteria Brachialis parum ſupra ejus diviſionem in Radialem & Ulnarem ligetur, propter ramum anaſtomoticum, de quo locuti ſumus §. 22. Sectionis præcedentis.

§. XXIV.

Sed an non etiam majoribus truncis ligatura applicari poſſet? experientia utique illud eviciſſe videtur.

Poſt ligatum enim arteriæ Brachialis truncum, licet pulſus in carpo non ſtatim perciperetur, altero, tertio, quartove die tamen ipſum rediiſſe, & ægrum dein omnem membri uſum recepiſſe conſtat (*b*).

Arteriæ cruralis vulnera, membro ſuperſtite, ſæpius ligatura fuere ſanata (*c*); etiam in noſtris experimentis; in cane etenim ligavimus arteriam cruralem non longe a Ligamento Falloppii, & membri uſum ita recepit, ut nil contigiſſe videretur: altero etiam ab operatione die, quod magis mirandum, jam utroque crure inſiſtebat.

De ligatura arteriæ Carotidis locuti jam fuimus in ſectionis præcedentis §. 23.

§. XXV.

Hanc, licet negari non poſſit aliquando non caruiſſe ſucceſſu, nihilominus verum eſt, ſæpius etiam poſt arteriarum ligaturam,

---

(*a*) Le Dran Operatie der Heelk. p. 391.
(*b*) Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 277.
(*c*) de Haen R. Med. part. 7, p. 236; Eſſ. and obſ. vol. 3, p. 266; Med. obſ. and inq. vol. 3, p. 106; & ibid. p. 109, ubi ſuſpicio erat venam Cruralem etiam ſimul ligatam fuiſſe.

gangrenam & ſphacelum ortum fuiſſe. Quæ, cum conſideraſſet Dns LAMBERT (*a*) poſtquam ter operationem Aneuryſmatis inſtitutam viderat, & in uno ægrorum dolorem, tumorem, & inflammationem, adeo vehementem, obſervaverat, ut Gangrenæ metum induceret, omnibus adhibitis artis auxiliis, ſuppuratione oborta, feliciter quidem averſa, ita tamen, ut æger, ſanatus, brachium debile cum pulſu multo debiliori, quam in altero brachio exinde retinuerit. Poſtquam denique diu penſitaverat naturæ methodum in ſanandis vulneribus, artiſque auxilium in uniendis labiis Leporinis, & in equorum venis ſectis conſolidandis, tandem incidit in novam Aneuryſmata curandi methodum. Cogitabat ſcilicet, an non eadem methodus, quam adhibemus in ſanandis labiis Leporinis, in arteriis ſauciatis cum ſucceſſu inſtitui poſſet.

Communicavit hanc methodum cum Dno HALLOWEL, qui anno 1759 15 Junii, occaſione oblata, experimentum in homine, cujus arteria, loco Venæ in brachio læſa fuerat, inſtituit, ea cum præcautione, ut duplex filum, unum infra, alterum ſupra vulnus ſub arteria demitteret, ita ut, ſi forſan nova methodus ſucceſſu careret, omni momento, ligaturam inſtituere poſſet.

Hoc facto, acum chalybeam, tenuem, quarta parte pollicis non longiorem, trajecerunt per labia vulneris arteriæ, & circumligato filo, uti in labio Leporino firmarunt, eo cum ſucceſſu, ut hæmorrhagia ſtatim fuerit ſuppreſſa.

Ægro interim in lecto depoſito, quies fuit commendata. Quarta die poſt operationem vulnus prima vice detectum optime ſe habebat. Acus cum apparatu ſponte decidit die decimo quarto poſt operationem; die vigeſimo ſecundo vulnus erat ſanatum, exceptis iis vulnuſculis, quæ fila, præcautionis gratia applicata continebant, quæ ſetaceorum adinſtar mobilia erant.

His vero remotis, vulnus intra paucos dies perfecte cicatrice obductum fuit, & die quadrageſimo ſecundo poſt operationem æger integre ſanatus, ex Noſocomio exiit, cum pulſu in brachio parum debiliori, quam in altero brachio.

Inventum illud mihi tanti momenti viſum fuit, ut amputationes multas eo præcaveri poſſe ſuſpicarer; inſcius autem quid in tali vul-

(*a*) Vid. LAMBERT a new method of traeting an Aneuryſme, med. obſ. and inq. vol. 2, pag. 360 & ſeqq.

nere, eo modo coalito, contingeret, experimenta nonnulla in canibus inſtituere decrevi; quorum hiſtoriam hic ſubjungam.

§. XXVI.

Experimentum primum. Ipſis calendis Februarii 1772, in cane femella juniori, præſentibus Amicis Expertiſſimis Busch & Allardi Medicinæ Doctoribus, arteriam cruralem dextram ad diſtantiam unius circiter pollicis infra ligamentum Falloppii, lanceolæ ope incidimus, acicula tenuiori chalybea (quo certius eſſemus de ligaturæ poſſibilitate) per arteriam prius demiſſa. Inciſa arteria, ſanguis cum ſaltu ad unius pedis altitudinem proſiliebat.

Filo cera obducto, labia arteriæ ad ſe invicem adduximus eodem modo, quo in Labii leporini operatione uti ſolent.

His factis ne gutta quidem ſanguinis per arteriæ vulnus effluebat. Syſtole & Diaſtole etiam infra arteriæ vulnus admodum erant conſpicuæ. Linteum carptum, vino rubro madidum vulneri impoſuimus, atque faſcia communi ſplenium ſuper impoſitum firmavimus, animalque pedibus ligatis quieti commiſimus.

Tertio die deligatio ex nimio motu animalis delapſa erat; acicula vero adhucdum in vulnere conſpicua, filoque circumducta. Nulla aderat hæmorrhagia. Vulnus puriſſimum erat, aciculæ vero punctura tantum excitabat dolorem, ut pede Vulnerato animal inſiſtere non potuerit.

Quarro die, omnia in eodem ſtatu erant.

Quinto die acicula ex arteriæ vulnere erat elapſa, & vulneris labia admodum turgida erant.

Sexto die pede jam inſiſtere potuit animal.

Octavo die vulnus multo minus, admodum purum, neque doloris ullum aderat indicium.

Undecimo die Vulnus cicatrice erat obductum.

§. XXVII.

Experimentum ſecundum. Die 15 ejuſdem menſis, in prædictæ canis arteria crurali ſiniſtra præſentibus Cl. Munniks Anatomes & Chirurgiæ in hac Academia Profeſſore, nec non amicis Busch, Allardi,

Allardi, Keuchenio ac dexterrimo Chirurgo Quæstio, operationem modo antea præſcripto repetivimus.

Altero die animal ſatis bene ſe habebat; deligatio nondum lapſa erat.

Die poſt operationem quarto, deligationem ſuſtulimus, ut vulnus inſpicere poſſemus. Vulnus ſatis erat purum, a priori in eo diverſum, quod paululum ſanguinis, non coagulati, in ejus fundo apparebat; in fundo vulneris aciculam non deprehendere potuimus, deligationem denuo injecimus.

Die Sexto Vulnus fere ſanatum.

Die Nono Vulnus, jam cicatrice obductum invenimus.

§. XXVIII.

Experimentum tertium. Die 30 Aprilis de novo experimentum in cane femella inſtituere voluimus. Hinc methodo antea deſcripta incidimus arteriam cruralem, eodem in loco, quo in experimento primo; vulnus vero propter motum canis non in loco arteriæ, per quem acicula erat demiſſa, ſed infra illum fuit inflictum, ita ut canis brevi ex hæmorrhagia mortua fuiſſet.

Hinc judicavimus præſtare, arteriam infra & ſupra vulnus ligare, quam animal ſorti ſuæ relinquere, viſuri, quid natura efficeret. Quo peracto, inpoſuimus linteum carptum, & applicavimus faſciam.

Altero die canis optime ſeſe habebat, & pede vulnerato inſiſtere jam potuit. Dein de die in diem validior evaſit, vulnuſque ſubito fuit ſanatum.

Per aliquot tempus animal ſervavi, ut poſtea inciderem; ſed doleo admodum, canem clam aufugiſſe.

§. XXIX.

Experimentum quartum. Eodem die, in altero cane experimentum cum acicula methodo Lambertiana repetivimus, optimo initio cum ſucceſſu, ita ut diebus ſequentibus duobus præterlapſis, nulla adhuc hæmorrhagia orta fuerit; tertio vero die canis faſciam decerpſit, & vulnus continue lambendo, acum ex arteriæ vulnere extraxit unde hæmorrhagia lethalis ſecuta fuit.

EFFECTUS HORUM EXPERIMENTORUM.

§. XXX.

Die 26 Aprilis 1772, canem prædictam ſuſpendio necatam, anatomico ſubjecimus cultro, præſentibus amicis Busch, Allardi, Quæstio, Beckering & P. Driessen.

Prius crus dextrum, dein ſiniſtrum incidimus. Cicatrices tam pulchræ erant, ut vix percipi poſſent. Apertis integumentis, arterias denudavimus, vidimuſque eaſdem in loco, cui ſutura applicata fuerat, admodum anguſtatas. Muſculi, nervi, & vaſa etiam firmius ibi inter ſe cohærebant. Incidimus dein abdomen, ut arteriæ Iliacæ in conſpectum prodirent, quas inflavimus; aërem vero non ulterius, quam ad locum, per quem acus fuerat tranſacta, penetraſſe vidimus; qui tamen ramos anaſtomoticos, uti videbatur dilatatos, facile intrabat: in utroque enim crure, ramus anaſtomoticus ſupra locum operationis ex arteria crurali oriebatur, qui introrſum & oblique deorſum deſcendebat, quem ob exilitatem in cane hac ulterius examinare non potuimus. Inprimis etiam notandum, aërem inflatum in Iliacam arteriam, licet per cruralem tranſire non poſſet, tamen exiiſſe ex arteria eadem læſa infra locum, ubi concreta erat, quod certe per ramum unum alterumve anaſtomoticum factum fuit.

His nondum contenti, ſpecillo quoque tentare voluimus, an arteriæ re vera eſſent coalitæ, hinc immiſimus ſpecillum Anellianum tenue, & manifeſtam reſiſtentiam percepimus, ſimul ac ad locum, ubi arteriæ erant anguſtatæ perventum erat, ita ut ulterius ſpecillum, in utriuſque lateris arteriam, propellere non potuerimus, quod tamen facile ramum anaſtomoticum ingrediebatur.

Quo loco arteria vulnerata fuerat, tuberculum efformabat oblongum, duriuſculum, cicatricis arteriæ, ut videbatur, reliquium. Inde verſus inferiora, totus canalis multo erat anguſtior, & adeo contractus, ut fere diſpareret.

CONCLUSIO.

§. XXXI.

Ex noſtris itaque experimentis, ſumma cum prudentia inſtitutis, concludendum eſſe puto Operationem Lambertianam ligaturæ non

præſtantiorem eſſe; ſed minus certam & minus tutam; atque ſi ſuccedit nullo alio modo, quam arteriæ coalitionem, & quidem per ſatis longum tractum, inducendo, hæmorrhagiam ſiſtere, nihil itaque magis, quam ipſa ligatura efficere; ſin minus, hæmorrhagiæ lethali anſam dare, uti quoque noſtris in experimentis experti fuimus. Quum e contrario ligatura, recte inſtituta, novæ hæmorrhagiæ periculis adeo obnoxia non ſit.

Neque dubitamus, quin in operatione, de qua memorat Dnus LAMBERT, eadem arteriæ coalitio locum habuerit; eo magis, quoniam in noſtris experimentis ratione etiam habita exilitatis arteriæ, vulnus tantum exiguum fuerit.

Ne quis objiciat, nos diametrum arteriæ, ſuturam inferendo, plenario occludiſſe, vel nimium conſtrinxiſſe: acus enim ſubtiliſſima fuit, & ante vulnus inflictum demiſſa, ut tam parvam arteriæ partem, quam modo poſſibile erat, interciperemus; dein vulnus ope lanceolæ, qua cum venam ſecant, fuit inductum tantummodo minimum; porro filo tenuiſſimo, acui circumvoluto labia vulneris ad ſe invicem adducta fuere, neque magis, quam neceſſe erat adſtricta; denique arteriam, poſt ſuturam applicatam, & hæmorrhagiam ſuppreſſam, neque minus diſtincta, neque minus fortia, infra, quam ſupra ſuturæ locum, diaſtoles, & ſyſtoles ſigna dediſſe, vidimus.

Deligatio præterea ex induſtria ſatis laxe fuit applicata, atque hinc in primo experimento, tertio jam die delapſa; neque potuit facile nimis fuiſſe ſtricta: qui enim unquam in animalibus experimenta inſtituit, ipſi procul dubio, non potuit non fuiſſe perſpectum, quam difficile ſit in his animalibus, præſertim eo in loco, quo experimenta noſtra inſtituta ſunt, faſcias firmiter injicere, deligationemque retinere.

SECTIO TERTIA.

DE ANEURYSMATE VENOSO. MORBI DEFINITIO. UBI ORIATUR, ET A QUIBUS OBSERVATUS.

§. I.

EST denique tertia Aneuryſmatis ſpecies, quam venoſam, vel cum Doctiſſimo CLEGHORNIO, varicem Aneuryſmaticam non immerito appellare liceret; eſt enim tumor in venis cum corde ſynchronice pulſans.

Accidit nimirum aliquando, Chirurgum, dum venam Medianam ſecat, nimis alte lanceolam dimittere, ita, ut ejus apex, non tantum venam ingrediatur, ſed & eandem ab oppoſito latere perforet, arteriamque, venæ ſuppoſitam, & ope tunicæ celluloſæ cum ea nexam, in ejus cavum uſque profunde ſauciat.

Sanguis itaque per arteriam adductus, in venam tranſit, & cum ſanguine venoſo, antequam corporis partibus debita nutritionis, vitæ conſervationis, &, quæ cetera a vitali latice pendent, munia, præſtitit, ad fontem ſuam reducitur.

§. II.

Locus, quo morbus ut plurimum occurrit, eſt in brachio, poſt ſectam venam, uti ajunt Baſilicam (*a*); puto Medianam quæ arteriæ Brachiali incumbit, mox ſupra illum locum, quo hæc in duos ramos Radialem ſcilicet & Ulnarem dividitur (*b*) : vena etenim Baſilica a latere arteriæ Brachialis decurrit, & ſatis ab eadem diſtat (*c*).

Hæc, licet frequentior hujus Aneuryſmatis ſedes ſit, nihil tamen impedit, quo minus in aliis quoque partibus, in quibus Venæ ſupra arterias decurrunt, poſt vulnus inflictum oriri poſſet.

§. III.

Talium Aneuryſmatum mentionem primum injecit HUNTERUS (*d*), dein duas obſervationes exhibuit, eorumque hiſtoriam ulterius elaboravit (*e*).

Exſtat quoque caſus a CLEGHORNIO deſcriptus de ſimili Aneuryſmatis ſpecie (*f*); tum quoque ab Expertiſſimo ELSIO (*g*), WHITIO (*h*), & denique ab Expertiſſimo ARMIGER (*i*); quorum obſervata optime conveniunt, paucis circumſtantiis exceptis.

(*a*) Med. obſ. and inq. vol. 1, p. 340, & ibid. vol. 3, p. 111.
(*b*) Celeberr. CAMPERI Demonſt. Anatom. pathol. part. 1, tab. 2, fig. 1 & 2.
(*c*) Ibid. loco cit.
(*d*) Med. obſ. and inq. vol. 1, p. 340.
(*e*) Ibid. vol. 2, p. 369 & 400.
(*f*) Ibid. vol. 3, p. 110.
(*g*) Ibid. p. 169.
(*h*) Ibid. vol. 4, p. 377.
(*i*) Ibid. p. 382.

SYMPTOMATA, CAUSÆ ET SIGNA.

§. IV.

Simulac lanceola per Venam in arteriam adacta eſt, ſanguis majori cum impetu & ſaltu ejaculatur, pluraque, quam vulgo adhibentur, requiruntur molimina ad ſanguinem tandem ſiſtendum.

Siſtitur interim, & vulnus exterius Venæ ſanatur, interiori, quod arteriæ vulneri reſpondet, aperto manente. Hinc ſanguis, ex arteria continue in Venam tranſiens, in ejus parietes arietat, Venas mirum in modum diſtendit & varicoſas reddit, aliquando omnes (*a*), aliquando tantummodo unicam (*b*). Motum præterea tremulum in venis excitat, & pulſum, pulſui arteriarum ſimilem & ſynchronum; eodemque tempore, quo pulſum producit, ſtrepitum edit, cum ſibilo, ſeu ſono, quem aër, per parvum foramen tranſiens, efformat; vel cum ſono ultimo literæ R a quibuſdam hominibus in pronunciando nimis longe protractæ; vel, uti aliis placet, cum ſtrepitu aquæ ebullientis, vel denique apis perreptantis comparandum. Strepitus ille admodum ſenſibilis fuit, ſi ſpecillum ferreum imponebatur tumori; & altera extremitas dentibus tenebatur vel auri applicabatur (*c*); ægro quoque adeo fuit moleſtus, ut, lecto incumbens, ſi cubitus prope ejus caput eſſet diſpoſitus, ſomnum capere non poſſet (*d*).

§. V.

Nituntur hæc auctoritate ſummorum virorum: Hunterus enim, ut certiorem ſe redderet de vera mali natura, in duobus ægris, quos ipſi videre contigit, quædam experimenta inſtituit, quæ paucis enarrare haud ſupervacaneum duco. Primo, compreſſione evacuatæ venæ, ſtatim ad amplitudinem priorem redibant, licet ligatura infra locum affectum firmiter brachio injecta fuiſſet.

Secundo, pulſus & ſibilus in vena pergunt, licet ligatura infra locum læſum adeo ſtricte ſit applicata, ut arteriæ carpi non pulſent.

(*a*) Ibid. vol. 3, p. 111, primo Baſilica, dein Mediana & Cephalica dilatata fuit & varicoſa evaſit, & ultima quidem ad claviculam uſque.

(*b*) Ibid. l. c. p. 379, ubi Baſilica tantummodo tribus in locis fuit dilatata.

(*c*) loc. cit. p. 115.

(*d*) Ibid. vol. 2, p. 404; & vol. 4, p. 379.

Tertio, venæ, comprimendo evacuatæ, anguſtæ manebant, ut in alio brachio, ſi eo in loco, ubi Sectio inſtituta fuerat antea, digito comprimebantur.

Quarto, ceſſat pulſus & ſibilus compreſſa arteria ſupra locum affectum.

Quinto, duplici ligatura brachio applicata, prima in media humeri parte, altera infra locum affectum, ſi ſanguis ex venis dilatatis exprimitur, turget arteria; ablata vero digitorum compreſſione, veræ iterum turgent & arteria detumeſcit.

Similia quoque experimenta dein inſtituta ſunt a CLEGHORNIO (*a*), partim quoque alia. Brachio juxta corporis latus dependente, venæ fuerunt largiores.

Strepitus tremulus & pulſatio maximi fuere in Vena Baſilica, obſcuriores in Mediana, obſcuriſſimi in Cephalica. Elevato brachio tumor Venarum minor fuit; pulſatio cum motu tremulo plane ceſſavit in Cephalica, obſcura fuit in Mediana, attamen perſtitit in Baſilica.

Sub vena arteriam digito ſentire potuit, & ſaltum ipſum ſanguinis ex arteria in venam. Compreſſa vena eo in loco, in quo fuerat pertuſa, ita ut arteriæ apertura clauderetur, pulſatio in cæteris venis etiam ceſſavit, eorumque diameter fuit imminutus. Compreſſa Brachiali vel ſubclavia arteria, omnia ſymptomata ceſſabant, relaxata vero, omnia majori quoque vi redibant.

In obſervatione WHITII, jactus ſanguinis ex arteria in venam digito tam diſtincte ſentiri poterat, ut facile acum per arteriæ vulnus tranſigi poſſet (*b*). Satis quoque cum his obſervationibus congruunt illæ Expertiſſimi ARMIGER (*c*), excepto, quod pulſationem ſolam, non vero motum tremulum & ſtrepitum ſeu ſonum perceperit.

§. VI.

Ex quibus obſervationibus & experimentis concludo, veram horum ſymptomatum cauſam, jamjam deſcriptam, ab HUNTERO fuiſſe traditam.

Notandum vero, inter utrumque caſum, ab HUNTERO obſervatum, parvam obtinuiſſe differentiam: in uno enim ægro in loco

(*a*) Ibid. vol. 3, p. 114.
(*b*) Ibid. vol. 4, p. 378.
(*c*) Ibid. l. c. p. 382.

punɛturæ ſaccus aderat ſub cute, nucis Moſchatæ magnitudinis, admodum pulſans, preſſione diſparens, fluidum itaque ſanguinem continens; ſaccus ille, inter venam & arteriam læſam ſitus, cum ipſis firmiter cohærebat.

In alia vero ægra talis ſacci nullum adfuit veſtigium.

Obſervavit denique HUNTERUS, arterias in brachio ampliores fuiſſe & fortius pulſaſſe; in manu vero anguſtiores fuiſſe & debilius pulſaſſe, quam in lateris oppoſiti brachio; quibuſcum etiam congruunt obſervata CLEGHORNII & WHITII.

PROGNOSIS.

§. VII.

MORBUS non videtur eſſe periculoſus: brevi enim temporis ſpatio increſcit ad ſtatum continue fere permanentem.

Etenim in homine, de quo jam memoravimus, duobus primis diebus poſt V. S. brachium lividum factum ſuit ad manum uſque; tertio die tumor fuit exortus in loco, ubi vena fuerat ſecta, tantæ magnitudinis, quantæ adhuc erat quinque annis poſtea, quando HUNTERUM adiit (*a*). Sic quoque in virgine illa, quam hoc malo affectam viderat ſæpius laudatus auctor, quatuordecim annis poſtea, malum adhuc nullam mutationem ſubierat, niſi, quod vena, arteriæ incumbens, paulo magis dilatata erat (*b*).

Illud tamen incommodum ex ſuo vitio hauſit, ut, præſertim ubi aër admodum erat calidus, dolorem leniorem perceperit, nec lateri adfecto incumbere potuerit abſque ſenſu moleſto; quaſi omnis ſanguis totius corporis in brachio eſſet concentratus: quod ex compreſſione Venarum, reditum ſanguinis impediente, deduxit HUNTERUS.

CURA.

§. VIII.

VITIUM videtur penitus inſanabile: quis enim impediet, quo minus ſanguis ex arteriæ trunco vulnerato in Venam tranſeat? nec multum refert: morbus enim non difficulter fertur.

(*a*) Med. obſ. vol. 2, p. 400.

(*b*) Ibid. p. 399.

Hinc niſi in pejus ruit, optimum erit nihil prorſus efficere; caveat modo æger, ne compreſſione obex ponatur ſanguini venoſo, adſcendenti verſus cor; ſin vero forte contingeret, ut venæ ſenſim ſenſimque in majorem molem increſcerent, adeo ut rupturæ metum incuterent, in venæ ſectionibus iteratis, dilutiori victu, & leniſſima compreſſione, omne videtur poſitum præſidium.

TANTUM.

EXPOSITIO ICONUM.

ICON I.

Figura ex LANCISIO *expoſita eſt p.* 59.

GUATTANI TAB. I.

FIG. I. Conferatur p. 117.

ANEURYSMATICUM SACCUM oſtendit in Arteria Poplitis ortum, & per longitudinem jam apertum, in quo juxta Prototypum ejuſdem interior facies, atque dilatationis magnitudo dilucide demonſtratur.

A Superior pars Arteriæ cruralis in Poplite Aneuryſmate affectæ.
B Pars ſuperior cruralis venæ.
DD Specillum, quod Sacci Aneuryſmatici extenſionem deſignat.
ZZ Orificium ſuperioris, inferiorisque Arteriæ partis in ſaccum hians.
aaa Sacci Aneuryſmatici ſecundum longitudinem ſecti univerſus ambitus.
bbb Facies interior ejuſdem Aneuryſmatici ſacci.

FIG. II. Conferatur p. 125.

In Arteria Poplitis eam ſedem oſtendit, ubi exortum eſt Aneuryſma, & quomodo illud deinceps, etſi ab incauto Chirurgo crudo ferro adapertum, ope compreſſionis ſanatum fuerit.

AA Vena cruralis.
BB Arteria cruralis.
C Centrum Arteriæ Popliteæ, quod fuit Aneuryſmate affectum.
DD Extenſio hujusce Aneuryſmatis ob abolitum Arteriæ Popliteæ cavum, & ob ejusdem Arteriæ in ſubſtantiam membranaceam converſionem ſanati.
aa Ejusdem membranaceæ ſubſtantiæ adhæſio crurali Venæ.

Tab. I. Fig. III. Conferatur p. 155.

AA Arteriæ cruralis pars ſuperior ſecundum longitudinem aperta, ut ejus cavum coarctatum demonſtret.
bb In eodem cavo coarctationis indicium ſignant.
cc Cavi portio uſque ad litteras dd fere tota coarctata.
ee Arteriæ cruralis pars inferior, in qua ejus cavum jam dilatatum inſpicitur.

ICON II.

GUATTANI Tab. II. *Conferatur* p. 160.

Fig. I.

A Facies cordis anterior.
B Dextera cordis auricula.
C Auricula cordis ſiniſtra.
D Pulmonica Arteria reſecta.
E Aortæ ſinus.
FF Aortæ arcus.
GGG Aorta deſcendens.
††† Dilatationes, ſive Aneuryſmatica principia.
HH Subclavia dextera Aneuryſmate affecta.
II Sacculus Aneuryſmaticus circumſcriptus & a ſubclaviæ Aneuryſmate factus.
⁂ Exiguum foramen, quod parum aberat, quin ab exteriori ſede in ſaccum penetraret.
L Arteriæ ſubclaviæ progreſſus.
M Dextera Arteria Carotis.
N Arteria Carotis ſiniſtra.
O Arteria ſubclavia ſiniſtra.
P Communium Arteriarum iliacarum diviſio.
Q Dextera iliaca exterior Arteria.
R Dextera Arteria iliaca interior, ſive Hypogaſtrica.
aaa Extremitates circumferentiæ Aneuryſmatici ſacci, quem cultro ſecante aperui, quum verum eſſet Aneuryſma.
bb Inciſionis ſacci duo limites.

cccc Grumus ab arterioſo ſanguine effectus, in Aneuryſmatibus ſolito compactior, & cohærentior.
d Superius foramen, quo ſanguinis grumum permeabat.
e Foramen inferius, unde ſanguis exibat, & per inferiorem Iliacæ externæ partem deferebatur.
SS Pars inferior externæ Iliacæ.
T Arteria iliaca exterior ſiniſtra.
U Siniſtra interior Arteria iliaca.
ggg Anterior, ſive externa ſacci Aneuryſmatici facies a Peritonei, muſculorumque adhæſu ſoluta.
hh Spatium dilatationis, ejuſdem Arteriæ in aneuryſmaticum ſaccum, in quo epigaſtrica continetur Arteria.
K Epigaſtrica Arteria.
L Aneuryſmatici ſacci reliquiæ.
yy Inferioris partis in iliaca externa continuatio.

Fig. II. Conferatur p. 160.

A Iliaca ſiniſtra communis.
B Interna iliaca, ſive ſiniſtra hypogaſtrica.
C Externa iliaca ſiniſtra.
mmm Poſterior, aut interna ſacci aneuryſmatici facies.
nn Spatium abſciſſionis in iliaca externa Aneuryſmate affecta, qua pertranſit ſpecillum.
oo Specillum.
D Pars inferior externæ iliacæ.

Fig. III. Conf. ib.

AA Pars ſuperior iliacæ externæ.
BB Pars ejuſdem inferior.
ccc Aneuryſmatici ſacci circumferentia.
dddd Lacerti fracturæ ſacci aneuryſmatici.
eee Duo aneuryſmaticæ abſciſſionis extrema.

Fig. IV. Conferatur p. 172.

AA Arcus aortæ in oſſeam ſubſtantiam mutatus.
bbb Circuitus oſſei Aortæ principii a ventriculo ſiniſtro evulſi.

ccc Valvulæ ſemilunares elevatæ, oſſeamque adeptæ naturam.
dd Arteriæ coronariæ.
l Foramen ab oſſeis eiſdem valvulis efformatum, per quod a ſiniſtro ventriculo ſanguis in Aortam fluebat.

Fig. V. Conferatur p. 186.

AA Uteri fundus.
B Uteri corpus.
CCC Uteri craſſities.
D Uteri vaſa ſanguinea.
E Uteri cavitas.
FF Uteri os internum apertum.
GG Vaginæ portio reſectæ.
H Uteri ligamenti lati veſtigia.

Fig. VI.

Conferatur p. 190.

ICON III.

GUATTANI Tab. III.

Fig. I. Conferatur p. 170.

AA &c. Siniſter cordis ventriculus patefactus.
BBB Arteria pulmonica.
CC &c. Labrum tumoris aneuryſmatici in Aortæ integro arcu reſecti; atque hîc moneo, me maximam aneuryſmatici ſacci portionem abſcidiſſe, ut interiores illius partes clarius oſtenderem.
D Aorta deſcendens reſecta.
EE Arteria ſubclavia dextera.
F Ejus orificium patens.
G Arteria carotis dextra.
H Arteria carotis ſiniſtra.
II &c. Interna ſacci aneuryſmatici facies.

K Saccus informis aneuryſmaticus, qui concreto ſanguine opletus erat.
L Ejus orificium.
MM Alia cava, vel Herniæ aneuryſmatici ſacci.
aa Orificia duarum coronariarum.
bbb Trunci earundem reſecti.
ccc Valvulæ ſemilunares Aortæ.
ddd Subclaviæ ſiniſtræ orificium ſe naturaliter habens; ubi animadvertendum eſt, hanc etiam Arteriam, elapſo tranſverſo digito, Aneuryſmate jam tentari cœpiſſe.
eeee Specillum ſuper idem orificium immiſſum, adactumque ad Aneuryſmatis cavum.
NNN Paries internus in cavo ſiniſtræ ſubclaviæ Aneuryſmate affectæ.
OO Cava Aneuryſmatis ſiniſtram ſubclaviam occupantis.
P Cavum aneuryſmaticum in extremitate ſubclaviæ, atque in axillaris exortu.
Q Axillaris Arteriæ orificium fere ſecundum naturam.
R Brachialis nervus, qui retis in modum Arteriam amplectitur.
SS Circumferentia aneuryſmatici ſacci, claviculam ſiniſtram obſidentis, quæ Aneuryſmate correpta erat; ubi pariter moneo, me, ad ejus interiorem partem nitidius oculis exhibendam, ſacci portionem reſecuiſſe.

Fig. II.

AA Siniſtra clavicula ab Aneuryſmate in arcum magis curvata.
B Pars ejus convexa.
C Ejus pars concava.
aaa Caries ab Aneuryſmate illata.

Fig. III.

DD Clavicula dextera delineata, ut diſcrimen inter hanc, & ſiniſtram intelligatur.

ICON IV.

GUATTANI Tab. IV.

Fig. I. Conferatur p. 170.

AA &c. Dexter cordis ventriculus in conſpectum datus.
BB &c. Circumferentia dextræ cordis auriculæ patefactæ.
CCC Arteria pulmonica.
aa Ovalis foraminis apertura.
bb Specillum, quod ſub eadem tranſit, ad eam attollendam.

Polypus vero a me deprehenſus eſt in ſiniſtro cordis ventriculo, ad initium Arteriæ magnæ. Hunc autem quum conflatum vidiſſem congerie veſicularum, quæ novæ hac in parte mihi apparuerunt, quæque illis ſimiles erant, quas in plexu choroideo aliquoties inveneram, eas, velut illæ, lympha repletas, exiſtimans, Polypum manibus comprimebam; verum hæ crepitantes, incluſum in illis aerem aperuerunt. Quapropter, ut id apertius cognoſcerem, ſcalpello eas perforare decrevi, quo facto, rei novitate perculſus, Polypum cum aliquot veſiculis, quæ adhuc reliquæ erant, delineandum curavi Tab. IV, Fig. III.

a Polypi, in ventriculo cordis ſiniſtro reperti, portio, Aortæ initium reſpiciens.
b Polypi portio ad ventriculi ejuſdem fundum converſa.
ccc Veſiculæ aëre refertæ, quibus Polypus contegebatur, & quarum aliquæ in ſuperficie, aliæ vero interius ſedem habebant.

Fig. II. Conferatur p. 178.

AA Arcus in aorta reſecti pars.
BB Aorta deſcendens uſque ad Aneuryſma.
CC Aorta deſcendens poſt Aneuryſma diſſecta.
D Subclavia dextra.
E Dextra carotis.
F Carotis ſiniſtra.
G Cœliaca cum illius diviſione.

HH Arteriæ lumbares extra ſitum poſitæ, ob aneuryſmaticum ſaccum.

aaa Reciſio totius ambitus ſacci aneuryſmatici facta ſuper Vertebras, quibus tenaciter adhærebat.

bbb Pars integra ſacci aneuryſmatici.

ccc Foramen communicationis ab Arteriæ cavo ad cavum ſacci aneuryſmatici, per quod tranſibat in ſaccum ſanguinis portio, dum reliqua naturale ſuum iter per Aortam deſcendentem proſequebatur.

Fig. III.

De ea modo ad Fig. I. dictum eſt.

ICON V.

GUATTANI Tab. V.

Fig. I. Conferatur p. 165.

A Inferius femoris oſſis extremum.

B Oſſis Tibiæ extremum ſuperius.

C Articulus genu, vel Poples.

DD &c. Reliquiæ Integumentorum, Membranarum, Muſculorumque.

EE Aneuryſmatici tumoris anterior facies.

FF Circumferentia tumoris aneuryſmatici a naturali ſitu ſemoti, ut melius oſtendi poſſit.

* Parvus aneuryſmaticus ſaccus communionem cum magno habens.

GG Vena cruralis, aut poplitea, quæ poſtquam ad ſaccum pervenit aneuryſmaticum, ipſi extrinſecus adhæreſcit, tranſverſeque ab H ad I varicoſa fit, & deinde in L ſuum naturalem recipit ſtatum.

MM Arteria cruralis, aut poplitea, quæ ad a accedens incipit Aneuryſmate corripi, videturque inciſura in ipſa quaſi tranſverſe facta ad immittendum fiſtuloſum ſpecillum b, quod poſtquam ſacci aneuryſmatici cavum prætergreſſum fuit, per aliam inciſuram c, factam in ſecunda propagine d,

prodit : apice ſuo e, diviſa deinde in f, Tibialem, & Peronæam, vel Fibularem progignit.

N Prior propagatio, quæ tibialis anterior dicitur.

OO Cruralis nervus, qui tumorem aneuryſmaticum aſſecutus, per hujus centrum tranſverſe incedit, ſuper ipſum inſtar Zonæ ſe expandens, eumque comprimens, ut cernitur in gg.

pp Nervus cruralis, qui naturalem ſuam figuram reaſſumit.

Fig. II. *Conferatur* p. 177.

Demonſtrat, antica facie, Arteriam magnam oſſefactam naturalis magnitudinis tertia parte minorem.

AAAA Aortæ initium apertum, in quo conſpiciuntur.

aaaa Lamellæ oſſeæ magnitudinis, & figuræ incertæ.

bbb Valvulæ tres ſemilunares.

cc Oſcula arteriarum coronariarum, quarum altera d indiviſa, uti ſolet, progreditur, altera in duos fere mox ab exortu partitur ramos dd.

BBB Aſcendentes trunci oſſeis lamellis rigeſcentes.

CC Arcus Aortæ integrum.

D Tubus arterioſus a pulmonali arteria reſectus.

E Arteria cœliaca.

F Meſenterica ſuperior.

L . . . . inferior.

GG Emulgentes.

ff Spermaticarum oſcula ſetis trajecta; ibidemque Arteria binos ferme digitos tranſverſos cruſta oſſea deſtituitur.

HH Iliacæ.

Fig. III.

Exprimit fragmenta cujuſdam veluti tartareæ, aut ſi mavis oſſeſcentis materiæ, per internam Arteriæ ſuperficiem hac illac diſſeminatæ.

ICON VI.

ICON VI.

GUATTANI Tabula unica.

De ea conferatur p. 198.

Fig. I.

AA	Thyroidis cartilago.
B	Ligamentum, cujus ope Crycoidis cartilago Thyroidi adnectitur.
*	Crycoidis cartilago.
DD	Glandula Thyroidea.
xx	Thyroidis Glandulæ ſiniſter lobus, qui Œſophagotomiæ operatione ſejungi poteſt.
E	Iſthmus, ſeu anguſta pars glandulæ Thyroideæ.
FF &c.	Aſperæ arteriæ facies anterior.
GG	Œſophagus in ſua naturali ſede, ſcilicet ad lævam aſperæ Arteriæ partem.
h	Nervus recurrens.
II	Fruſtula membranacea Œſophagi, atque aſperæ arteriæ in Thoracis cavitatem ingreſſum deſignantia.

Fig. II.

AA	Canis Œſophagus, ad cicatricem in interna ejus facie demonſtrandam, apertus.
B	Superior Œſophagi pars integra.
CC	Perfecta cicatrix vulneris, in Œſophagotomiæ tentamine facti, per quod volſellam feliciter immiſi.

Fig. III.

Volſellæ forma.

Fig. IV.

Hamuli forma.

ICON VII.

GUATTANI *Fig. IV.*

Cur figuræ GUATTANI I, II, III, omiſſæ ſint dictum eſt p. 213. Figura IV autem hîc depicta reſpondet p. 233, ubi & ratio omiſſæ figuræ V.tæ

AAA &c. Arteria femoris, in longum ſciſſa, & aperta, integra tamen, naturalique magnitudine prædita.

B Nervus, qui ſecundum directionem eandem graditur.

C Vena, quæ per femur cum nervo ſimul, arteriaque protenditur.

D Interior, ſive nervoſa membrana, dilacerata.

E Locus ſecundi Aneuryſmatis, in quo corroſio tanta fuit, ut exterior duntaxat membrana arteriæ intacta relinqueretur.

F Locus alter, in quo corroſio tam altas radices nequaquam egit.

eee Septum, quod ſitum inter primum, ſecundumque locum, valvulæ munere fungebatur.

fff &c. Membranæ diſciſſæ, & aliquo modo inverſæ.

dd Locus, qui muſculoſæ membranæ carnoſas fibras clare oſtendebat.

ccc &c. Membranæ arteriam circumveſtientes.

aaa &c. Locus primi aneuryſmatis, in quo arteria penitus diſciſſa erat, ejuſque interior ſubſtantia, perinde ac cauſtico liquore tacta fuiſſet, cinerea, atque corrupta conſpiciebatur.

bbb &c. Fragmenta ex arteriæ ejuſdem ſciſſione facta, hinc inde fimbriarum in morem extuberantia.

ICON.

VERBRUGGE.

De omnibus ad VERBRUGGE trahendis tabulis *conf.* p. 463.

TAB. I.

Aneuryſmaticum tumorem, pectori inſidentem, conicum, a latere ſiniſtro exhibet.

ICON VIII.

VERBRUGGE Tab. II.

Fig. I.

Rupturam tumoris (Tab. I.) a latere dextro exprimit, marginemque prominulum, aperturam, in medio colore magis nigricanti conſpicuam, ambientem, commonſtrat.

Fig. II.

Eundem marginem idemque foramen ab anteriore parte oſtendit.

ICON IX.

VERBRUGGE Tab. III.

Fig. I.

Monſtrat polypi fruſtum a parte anteriori viſum, ipſique annexam cutis portionem, ſimul cum projecto polypo abreptam.

Fig. II.

Idem fruſtum, at a latere cum adhærente a parte anteriori cutis portione delineatum.

Fig. III.

Fruſtulum minus, quod vero ſimiliter foveæ, ab inferiore prioris fruſti parte conſpicuæ, inhæſerat, e latere magis convexo, priorem polypum reſpiciente, expreſſum.

Fig. IV.

Fruſtum tertium, ultimo ejectum, ſimiliter impreſſam leviter foveam in ſuperficie ſua ſuperiore gerens, & a latere exhibitum.

Fig. V.

Polypum indicat, ſublato ſterno, in ſacco ipſo Aneuryſmatico inventum, fundo contractiori ſacci inhærentem, atque totum ferme ſaccum adimplentem.

ICON X.

VERBRUGGE Tab. IV.

Fig. I.

Sternum cum adnexis ipſi claviculis, & tribus ſuperioribus coſtis, a parte anteriori delineatum, offert.

a Sternum.
bb Claviculæ.
cc dd ee Prima, ſecunda, tertia utriuſque lateris coſtæ.
ff gg Muſculi intercoſtales tam externi quam interni.
h i k l Sacci Aneuryſmatici, foraminis ambitui firmiter accreti, ſuperficies interior.
m n o p Extus diſruptæ anterioris Aneuryſmatici parietis laciniæ.
q Foraminulum pervium, paulo infra præmagnum foramen obvium, intus in ſacco hians.

Fig. II.

Sternum oſtendit, ut ſe ab interiori parte commonſtrabat.

a b c d Laciniæ, quæ, ab iis (Tab. V. *h i k l*) diſſectæ, oſſis ſterni faciei interiori firmiſſime adhærebant.
e Foraminulum, quod in ſterni parte anteriori (Fig. I. litt. *q*) conſpicuum intus in ſacco hiabat.
f Sacci diſrupti ſuperficies interior, ubi foraminis ambitui firmiter accreverat.

ICON XI.

VERBRUGGE Tab. V.

Reclinatis pulmonibus, cordis ſitu immutato, lacinias Aneuryſmatici ſacci, ſterno antea nexas, Aortæque aperturam, denotat.

a Aſpera arteria.

b c d e f Pulmones in latus reclinati, *b c d* dextri lobi 3 *e f* ſiniſtri lobi duo.

g Cor pericardio incluſum.

h i k l Laciniæ ſacci Aneuryſmatici, quæ oſſi pectoris adhæſerunt (Tab. IV, Fig. II, *a b c d*).

m n o Margo craſſiuſculus foraminis in parte anteriore Aortæ, mox ſupra valvulas ſemilunares obvius.

p Aortæ interiora.

q Ejuſdem curvatura.

r ſ t u w Arteriæ, ex Aortæ curvatura prodeuntes. *r* Subclavia dextra communi radice (Tab. VI. *m*) cum carotide dextra *s* enaſcens; *t* carotis ſiniſtra; *u* vertebralis ſiniſtra; *w* ſubclavia ejuſdem lateris.

ICON XII.

VERBRUGGE Tab. VI.

Aperto Aneuryſmatis ſacco tum verſus Aortæ curvaturam, tum verſus ipſius valvulas, ſacci magnitudinem & profunditatem monſtrat, ſimulque vaſorum, ex Aorta provenientium, oſcula offert.

a b Pericardii diſciſſi lamellæ.

c Cor.

d Arteria pulmonalis, Aortæ arcui ſeſe ſubjiciens.

e f g Aperti Aneuryſmatis laciniæ (Tab. V, *h i k l*)

h i Margo craſſiuſculus aperturæ in parte anteriore Aortæ (Tab. V, *m n o*).

k Aortæ curvatura.

l Aneuryſmatici ſacci interiora.

m n o p Oſcula vaſorum, ex Aortæ arcu provenientium; *m* oſtium commune ſubclaviæ *q*, atque carotidis dextræ *r n*, carotidis ſiniſtræ *s o*, vertebralis ſiniſtræ *t p*, ſubclaviæ ſiniſtræ *u*.

WELTINI TABULA.

Conferatur p. 471.

ICON XIII.

TREW TAB. I. FIG. I, II, III.

TAB. II. FIG. IV.

Referendæ omnes TREWII *figuræ ad* p. 574.

FIG. I.

Siſtit cubiti ſiniſtri regionem circa flexuram ejus cum humero ea ſub facie, qua materia ceracea repleta vaſa ſanguifera nervique, detracta ſola cute & pinguedine adparent.

FIG. II.

Oſtendit eandem regionem remotis etiam venis extimiſque nervis cutaneis.

FIG. III.

Repræſentat iterum hanc regionem, ſed remotis muſculis pronatore rotundo & radiæo interno ut & aponevroſi muſculi bicipitis.

TAB. II. FIG. IV.

Exhibet hanc cubiti regionem cum humeri anteriori facie integra, ut arteriæ ſitus & diviſiones primariæ ſigillatim in conſpectum veniant.

Partium præcipuarum in his figuris conſpiciendarum index hic eſt :

A Muſculus biceps *fig.* 1, 2, 3, 4.
B Ejus tendo *fig.* 1, 2, ad inſertionem uſque detectus *fig.* 3, 4.
C Ejus aponevroſis ſeu tendo ſuperficialis *fig.* 1, 2, ſeparatus & reflexus *fig.* 3.
D Muſculus ſupinator longus *fig.* 1, 2, 3, 4.
E . . . . . pronator rotundus *fig.* 2, diſſectus *fig.* 3, 4.
L Olecranum *fig.* 2, 3, 4.
A Vena baſilica *fig.* 1.
B Ejus ramus ulnaris *fig.* 1.
CCC Vena profunda *fig.* 1.
DD Vena cephalica *fig.* 1.
E Ejus ramus *fig.* 1.
FF Mediana ex baſilica & cephalica *fig.* 1.
G Ramus ex medianæ & cephalicæ concurſu *fig.* 1.
H Ramus ex mediana *fig.* 1.
* Locus ubi plerumque arteria ulnaris in ſectione venæ baſilicæ vel rami ex mediana læditur *fig.* 1, 2, 3, 4.
a Arteria brachialis ſeu humeraria *fig.* 1, 2, 3, 4.
cc Rami ſuperiores ad muſculum tricipitem *fig.* 4.
ddd Collateralis ſuperior *fig.* 4.
b Rami ad bicipitem & brachialem internum *fig.* 4.
ee Ejus excurſio per muſculum tricipitem, ubi pone olecranum in dorſo brachii cum arteriæ ulnaris ramo recurrente (*ii*) varias anaſtomoſes format *fig.* 4.
ff Collateralis inferior ad dorſum humeri excurrens & cum inter oſſea externa anaſtomoſin habens *fig.* 4.
g Arteriæ humerariæ diviſio *fig.* 2, 3, 4.
hh Arteria ulnaris ſeu cubitæa *fig.* 2, 3, 4.
ii Ejus ramus recurrens cum collaterali ſuperiori (*d*) concurrens *fig.* 4.
kk Rami muſculares *fig.* 4.
ll Arteria ligamenti ſeu interoſſea anterior ſeu interior *fig.* 3, 4.
m Ejus ramus ligamentum penetrans ſeu interoſſea externa ſeu poſterior *fig.* 4.

n Rami muſculares *fig.* 4.
oo Arteria radiæa *fig.* 2, 3, 4.
pp Ramus recurrens radiæus *fig.* 3, 4.
q Rami muſculares *fig.* 4.

ICON XIV.

TREW Tab. II.* Fig. V, VI, VII.

Tab. II.** Fig. VIII, IX.

Quum auctores, qui methodum recenſent, qua aneuryſmate ſpurio laborantibus ſuccurrendum ſit (de qua mox plura) plerumque allegant arteriam brachialem ſeu humerariam duplicem ſæpius obviam: hujus quoque ſchema addendum curavi, quod quum in brachio ſiniſtro oblatum fuit, commodioris comparationis gratia exemplæ ordinariæ ſtructuræ, hactenus *fig.* 1, 2, 3, 4 expoſita, pariter ex brachio ſiniſtro elegimus: ſiſtunt ergo hujus ſchematis, (ſed, ob ſpatii defectum, naturali magnitudine octavam partem imminuti) delineationes.

Tab. II. Fig. V.*

Ubi utriuſque arteriæ per humeri & cubiti faciem anteriorem diſtributio unacum nervo mediano in conſpectum venit.

Fig. VI.

Exhibet arteriæ collateralis inferioris diſtributionem & anaſtomaſes cum ramis recurrentibus.

Fig. VII.

Monſtrat collateralis ſuperioris nexum cum interoſſea externa.

*Tab. II.** Fig. VIII.*

Siſtit Figuræ quintæ partem ſeu cubiti flexuræ regionem, ſed in magnitudine naturali, & cum humerariæ ordinariæ infra cubiti flexuram ramis denudatis.

Fig. IX.

Fig. IX.

Repræſentat ejuſdem regionis venas nervoſque cutaneos, partemque arteriæ extraordinariæ, quatenus ſtatim apparent, ſola cute pinguedineque ablata.

Partium conſpicuarum expoſitio hæc eſt:

A	Muſculus biceps *fig.* 5.
B	Ejus tendo *fig.* 5.
C	Ejus aponeuroſis *fig.* 5.
D	Supinator longus *fig.* 5.
E	Pronator rotundus *fig.* 5.
F	Rotundus major *fig.* 5.
L	Olecranum *fig.* 6, 7.
M	Ulna *fig.* 7.
AA	Vena baſilica *fig.* 9.
B	Rami ulnares *fig.* 9.
CC	Vena cephalica *fig.* 9.
DD	Ramus venæ cephalicæ *fig.* 9.
EE	Mediana ex baſilica & cephalica *fig.* 9.
F	Ramus ex utriuſque concurſu *fig.* 9.
GG	Ramus ex mediana *fig.* 9.
a	Arteria ſubclavia *fig.* 5, 6.
bbbb	Arteria brachialis ſeu humeralis *fig.* 5, 6, 7, 8.
cccc	Collateralis ſuperior *fig.* 5, 6, 7.
ddd	Collateralis inferior *fig.* 5, 6.
e	Ramus muſcularis *fig.* 5.
f	Rami muſculares *fig.* 5, 6.
g	Recurrens radiæa hîc ſupra diviſionem humeralis orta *fig.* 5.
h	Ramulus ad ſupinatorem longum *fig.* 5.
i	Diviſio humeralis arteriæ *fig.* 8.
k	Ramus recurrens *fig.* 8.
lll	Rami muſculares *fig.* 8.
mm	Arteria interoſſea interna *fig.* 8.
n	. . . . interoſſea externa *fig.* 7, 8.
ooo	. . . radiæa *fig.* 5, 8.

pp Ramus per muſculum ſublimem excurrens *fig.* 8.
qq Arteria ulnaris ſeu cubitæa *fig.* 8.
rrr . . . . brachialis extraordinaria *fig.* 5, 6, 8, 9.
ss Ejus rami muſculares *fig.* 5.
t Ejus anaſtomoſis cum radiæa (*o o*) *fig.* 5, 8.
u Arteria interſcapularis *fig.* 6.
x . . . . collateralis tertia non ſemper præſens *fig.* 6.
y Arteria recurrens ulnaris *fig.* 6.
z Arteria interoſſea interna *fig.* 6.
1. 1. Nervi cutanei rami *fig.* 9.
2. 2. 2. Nervus medianus *fig.* 5, 8.

ICON XV.

MURRAY TABULA.

Conferatur p. 515. ſeq.

FIG. I.

Faciem anteriorem & interiorem femoris ſiniſtri exhibens.

Oſſa & Muſculi.

A Symphyſis pubis.
B Os ileum.
CCC Adductor magnus cum tendine adductorum communi.
D Adductor longus.
E Adductor parvus.
FF Pectineus diſciſſus.
GG Semitendinoſus cum ſemimembranoſo.
H Gracilis internus.
I Iliacus internus.
K Rectus anterior.
LLL* Sartorii extrema, quorum ſuperiori portio tenſoris faſciæ latæ adhæret.

M Vaſtus internus cum crurali.
N Patellæ & femoris interior ſuperficies.
O Gaſtrocnemei extremum ſuperius.

Arteriæ.

a Arteria femoralis communis.
b Arteria pudenda inferior.
c Rami ad iliacum, rectum & ſartorium.
dd Arteria femoralis profunda.
e . . . . circumflexa externa.
f Trunculus ejus tranſverſus.
g Rami ad ſartorium, tenſorem faſciæ latæ & rectum.
h Rami inter os & vaſtum ext. ad poſteriora flexi.
i Trunculus circumflexæ deſcendens.
k Ramus deſcendens major.
ll Ramus ad rectum & anaſtomoſis ejus cum ramo anaſtomotico magno ſuperficialis.
m Ramus deſcendens minor.
nn Hujus ramus ad recti oram cum ramo ad rectum, articulari interna & reti vaſculoſo coiens.
o Ramus ejus alter, cum ramo anaſtom. magno communicans.
p Circumflexa interna.
q Ramus ejus ſuperior.
r . . . . inferior ejuſdem.
s Perforans prima.
t Perforans ſecunda.
u . . . . . tertia.
v Arteria femoralis ſuperficialis.
*v** Locus, ubi tendinem tricipitum permeat.
w Ramus anaſtomoticus magnus ſuperficialis.
x Conjunctiones hujus cum deſcendente minore, cum ramo ad rectum & articulari interna ſuperiore.
y Ramus prioris, ſartorii comes.
z Ramus ejuſdem ad genu adrepens.
α Art. articularis ſuperior interna.
β Ramus ejus profundus.

β* Communicationes hujus cum deſcendente minore & ramo anaſtomotico magno.
γγ Ramus ſuperficialis articularis internæ.
δδ Articularis inferior interna.
δ* Anaſtomoſes ejus cum articulari ſuperiori & recurrente tibialis.

Fig. II.

Femoris ſiniſtri facies anterior & exterior.

Oſſa & Muſculi.

A Os ileum.
B Sacrum cum coccyge.
C Tuber iſchii.
D Trochanter major.
E Muſculus biceps.
F Ejuſdem caput breve.
G Gluteus maximus abſciſſus.
H Vaſtus externus.
I Cruralis.
K Iliacus internus.
L Tenſoris faſciæ latæ extremum ſuperius.
M Sartorii pars ſuperior.
NN Rectus anterior cum tendine extenſorum communi.
O Patella.
P Condylus externus.
Q Fibulæ extremitas ſuperior.
R Tibiæ ſuperius extremum.

Arteriæ.

a Arteria femoralis communis filo ſuſpenſa.
b Femoralis profunda.
c Circumflexa interna detruncata.
d Circumflexa externa.
e Trunculus ejus tranſverſus.
f Rami ad tenſorem faſciæ latæ.

g	Trochanterica anterior.
h	Rami ad trochanterem & os.
iii	Anaſtomoſes rami tranſverſi cum perforante 1.ma & 2.da
k	Truncus circumflexæ ext. deſcendens.
l	Ramus ejus deſcendens major.
m	Hujus ramus ad rectum.
n	Ramus in vaſto cum nutritia magna profundæ & perforante inferiore ſuperficialis anaſtomoticus.
oo	Ramus ejus cum perforante inferiore & cum ramo profundo articularis ſuperioris externæ communicans.
p	Ramus deſcendens minor abſciſſus, cujus tamen
q	Surculus ab interiore femoris latere huc ejicitur, ut cum ramo profundo articularis ſup. ext. communicet.
r	Ramus tranſverſus perforantis 1.mæ
s	Ramus tranſverſus perforantis 2.dæ
t	Nutritia magna profundæ.
u	Perforans inferior ſuperficialis, cum ramis ſuis anaſtomoticis.
v	Articularis ſuperior externa.
ww	Rami ejus, ſuperficialis nempe & profundus.
x	Articularis inferior externa.
y	Rete vaſculoſum patellæ.

Fig. III.

Femoris ſiniſtri facies poſterior.

Oſſa & Muſculi.

A	Symphyſis oſſis pubis.
B	Tuber iſchii.
C	Ligamentum iſchio-ſacrum majus.
D	Trochanter major.
E	Gluteus minimus.
F	Geminus ſuperior.
G	Pyriformis.
H	Obturator internus.
I	Geminus inferior.

K Muſculi ani abſciſſi.
L Quadratus femoris.
M Glutei maximi pars.
N Vaſti externi ſuperior portio.
OOOO Adductor magnus.
PP Semitendinoſus.
Q Bicipitis caput longum.
R Caput breve bicipitis.
S Semimembranoſus.
T Sartorii tendo.
U Gracilis interni tendo.
VV Capita gaſtrocnemei.

Arteriæ.

a Art. iſchiatica abſciſſa.
b Rami ejus in trochantere cum perforante 1.ma & circumflexis conjuncti.
c Rami ad tuber.
d Arteriolæ ex pudenda communi.
e Ramus inferior circumflexæ int.
f Trochanterica poſterior.
g Ramus ad caput flexorium deſcendens.
hh Art. perforans prima.
i Rami ejus ad gluteum maximum & trochanterem, truncati.
k Rami ejuſdem transverſi.
l Ramus ad tricipitem & flexores, a profunda ſeorſim editus.
m Perforans ſecunda.
n Rami ejus tranſverſi.
oo Ramus ejus ad flexores.
p Perforans tertia.
q Perforans quarta.
r Nutritia magna.
s Perforans ſuperior ſuperficialis.
t Perforans inferior ejuſdem.
u Nutritia hujus inferior.
v Ramus deſcendens nutritiæ.

w	Truncus reliquus perforantis.
xx	Rami duo art. popliteæ ad flexores revertentes.
y	Ramus anaſtomoticus magnus.
z	Surculus hujus ad articulationem.
α	Ramus ſartorii comes.
β	Articularis externa ſuperior.
γ	Articularis media.
δ	Artic. externa inferior.
ε	Artic. interna ſuperior.
ζ	Artic. interna inferior.
ηη	Rami ad gaſtrocnemeos.

Obſ. Puncta curſum arteriarum latentem denotant.

INDEX OPERUM.

LANCISIUS.

pag.

Lib. I. De Aneuryſmatibus in Genere. 1
Prop. 1. De Aneuryſmatis Etymologia.
Prop. 2. Exponitur generalis Aneuryſmatis idea cum deſcriptione locorum, quæ ab hoc malo affici ſolent. 2
Prop. 3. Impetus cordis in ſanguinem, & hujus in Arterias, eorumque proportio inter ſe. 3
Prop. 4. Generalis Aneuryſmatum definitio. 5
Prop. 5. Diviſio in legitimum & ſpurium. 6
Lib. II. De Aneuryſmatibus particularibus. 9
A. Arteriarum.
a. De Aneuryſmatibus legitimis Atteriarum.
Cap. I.
Prop. 6. Arteriarum ſtructura & uſus.
α. Aneuryſmate Arteriarum ex vulneribus.
Prop. 7. Idea & diviſio. 11
a) Vulnera penetrantia Arteriarum.
Prop. 8. Diagnoſis. 12
Prop. 9. Prognoſis. 13
Prop. 10. Curatio minus laudabilis. 14
Prop. 11. Curatio probanda. 15
b) Vulnera Arteriarum cum Ecchymoſi.
Prop. 12. Ea ecchymoſis verum eſt Aneuryſma. 20
Prop. 13. Diverſi ſtatus Ecchymoſis ab arteriæ vulnere. 22
Prop. 14. Curatio recentis ecchymoſis.
Prop. 15. Ecchymoſis ex arteriarum Carotidum vulnere. 23
Prop. 16. Curatio ecchymoſium inveteratarum. 24

Prop. 17. Quare ſupra arteriam ligatam nullus oriatur tumor. 26
Prop. 18. Cur infra ligatam arteriam non deficiat nutritio. 27
c) Vulnera non penetrantia Arteriarum.
Prop. 19. Aneuryſma inde ortum. 28
β. Cap. II. Aneuryſmata legitima ex contuſione. 31
Prop. 20. Cauſa eorum. 32
Prop. 21. Exemplum Aneuryſmatis Aortæ. 34
Prop. 22. Aliud. 37
Prop. 23. Diagnoſis & Prognoſis. 40
Prop. 24. Curatio Aneuryſmatum internorum. 41
Prop. 25. Curatio Aneuryſmatum externorum. 42
Prop. 26. Aneuryſmata partis anterioris thoracis, quæ vitio fluidorum & contuſionibus oriuntur. 43
Prop. 27. Exemplum ſanationis Aneuryſmatis Aortæ. 44
Prop. 28. Aneuryſma Aortæ, uſu inſtrumenti comprimentis citius rupti. 45
γ. Cap. III. Aneuryſmata, a fluido erodente pendentia. 48
Prop. 29. Humor erodens quid, & quotuplex.
a) *Prop.* 30. Aneuryſmata ex affectibus hypocondriacis, ſcorbuticis. 50
Prop. 31. Exemplum Aneuryſmatis carotidis. 51
b) *Prop.* 32. Quid Aneuryſma Gallicum. 52
Prop. 33. Exempla duo. 53
Prop. 34. Aneuryſmata fiunt ex uſu mercurialium. 55
δ. *Prop.* 35. Nulla ſunt Aneuryſmata pendentia a fibrarum Arteriæ paralyſi. 56
b. Cap. IV. De Aneuryſmatibus nothis. 57
Prop. 36. Impetus ſanguinis vel rectus eſt, vel compoſitus e recto & reflexo.
Prop. 37. Actio momenti compoſiti exponitur. 59
Prop. 38. Diuturna Arteriæ compreſſio, polypi generationis occaſionem præbet. 60
Prop. 39. Impetus ſanguinis, qui ab initio ſpurium Aneuryſma efficit, raro verum inducere poteſt. 63
Prop. 40. Aneuryſmata ſpuria initio citius veris ſanantur. 65

α. *Prop.* 41. Signa Aneuryſmatum a vi cunei ſanguinis. 66
Prop. 42. Curatio eorum. 67
β. *Prop.* 43. Species Aneuryſmatum ſpuriorum ab arteriarum convulſione. 69
Prop. 44. Diagnoſis Aneuryſmatum a convulſione fibrarum longitudinalium. 70
Prop. 45. Diagnoſis & curatio Aneuryſmatum a convulſione fibrarum circularium. 71
Prop. 46. Exemplum ſanati Aneuryſmatis Arteriæ cœliacæ. 72
B. Cordis Aneuryſmata.
a. Cap. V. De hæreditaria ad cordis aneuryſmata conſtitutione & de cordis prolapſu. 74
Prop. 47. Hæreditaria conſtitutio.
Prop. 48. Cordis prolapſus. 75
b. Cap. VI. De cordis aneuryſmatibus. 77
Prop. 49. Cordis cava difficulter eroſione interna dilatantur.
Prop. 50. Facilius vi repercuſſi ſanguinis. 78
Prop. 51. Facile reverberati humores acres ob vim & acrimoniam aneuryſma generant. 80
Prop. 52. Cur Aneuryſmata frequentius in Auriculis quam Ventriculis. 81
Prop. 53. Oſſeæ arteriæ, cauſa Aneuryſmatum. 82
Prop. 54. Pathemata animi, cauſa Aneuryſmatum. 85
Prop. 55. Contenta reſpiratio, cauſa Aneuryſmatum. 86
Prop. 56. Exemplum Aneuryſmatis à ſanguine acri. 87
Prop. 57. Cur agitentur Venæ jugulares, agitato corde dextro? 89
Prop. 58. Cur in antiquis Aneuryſmatibus pulſus deficiat? 92
Prop. 59. Cur corde aneuryſmatico, omnes arteriæ ſolito exiliores? &c. 93
Prop. 60. Cur, dilatato corde dextro, pulſus magnus & æqualis? 95
Prop. 61. Cur magna Aneuryſmata intus polypoſa? 96

INDEX OPERUM.

GUATTANI.

a. De Poplitis Aneuryſmatibus. 115
Operatio inſtituta.
Infelix quia oſſibus adhæſit ſaccus. 116
Hiſtoria I.
Cum ſucceſſu, tumore undique ſeparabili. 121
Hiſtoria II.
Naturæ in ſanando Aneuryſmate poteſtas. 125
Hiſtoria III. IV. V.
Membri amputatio, quater inſtituta, toties ægrum ſuſtulit. 126
Compreſſionis emolumenta. 129
Hiſtoria VI. VII. VIII. IX. X.
Non ſucceſſit, ſemel incuria ægri, alia vice, imminente gangræna. 140
Hiſtoria XI. XII.
Operatio Aneuryſmatis feliciter inſtituta a M. A. Severino. 142
Hiſtoria XIII.
b. De inguinis, cruraliſque Arteriæ Aneuryſmatibus. 144
Compreſſio minuit tumorem, qui omiſſa illa magis denuo increvit; factæ tunc a Chirurgo alio operationi, ſuccubuit æger.
Hiſtoria XIV.
Inciſus tumor immanis, dolens, fluctuans; dein compreſſa arteria fauſto eventu. 148
Hiſtoria XV.
Compreſſionem, initio utilem, ſolvere dolor juſſit; mors. Sectio tumorem in pelvi ruptum, & cariem oſſis oſtendit. 152
Hiſtoria XVI.
Rami arteriæ hypogaſtricæ, femoralibus inoſculatæ, harum deficientem truncum ſupplere videntur. 153

Aneuryſmaticum ſyſtema arterioſum. 159
Aneuryſma ruptum; mors ex tabe, non autem ex pede gangrænoſo. Sectione, arteria iliaca externa obturata, oſſa Ileum carioſa inventa ſunt.
Hiſtoria XVII.
Aneuryſma in quovis inguine unum; mors nondum rupto tumore. Syſtema arterioſum aneuryſmaticum. 159
Hiſtoria XVIII.
c. De ſuperioris ſuræ partis Aneuryſmatibus. 162
Compreſſio quater tentata, toties fatalis.
Compreſſio gangrænam movit, unde mors. 163
Hiſtoria. XIX.
Compreſſionem ſolvere dolor juſſit, & ſpaſmus intolerabilis. Mors accedente tertiana.
Hiſtoria XX.
d. De manuum pedumque Aneuryſmatibus. 166
Aneuryſma manus, rupturam minans, apertum. Sanatio.
Hiſtoria XXI.
Aneuryſma Tarſi ex venæ ſectione, parvum, ſedula cura non auctum. 167
Hiſtoria XXII.
e. De internis Aneuryſmatibus.
Aneuryſma Cordis.
Hiſtoria XXIII.
Aliud ſimile. Valvulæ ſemilunares oſſeæ. 170
Hiſtoria XXIV.
Aliud; diu tamen, bono cum regimine, protracta vita. 173
Hiſtoria XXV.
Aneuryſma Arteriæ aortæ, prope cœliacam, gladii vulnere ortum, per octo annos toleratum. 178
Hiſtoria XXVI.
Quatenus his aneuryſmatibus curatio adhiberi poſſit. 181

De partu extraordinario, *Obſervatio I.* 182

Placenta ori uterino irradicata; hæmorrhagia inde lethalis, quum recuſarit partim oblatum à Guattano auxilium femina, partim fidem detraxerit, ignorata reliquis in conſilium vocatis Medicis (turpe dictu!) morbi conditione.

De ſingulari Abdominis hydrope, *Obſervatio II.* 186

Vegetæ valetudinis mulier ſupra inguem dextrum dolere cœpit & tumere; tumore plurimum aucto, facta punctio; exiit amurca. Poſt quinque menſes ſecunda vice pungebatur illa. Tunc valetudo proſpera minuebatur; intra quindecim dein menſes novies puncta, obiit. Sectio negata.

De tumore abdominis hydatidibus referto, *Obſervatio III.* 189

Tumor prope hepar per novem menſes crevit; ſponte rumpitur; exiere hydatides; ſenſim reddita ſanitas.

De Œſophagotomiæ operatione. 191

Caſtanea œſophago illapſa & retenta formato ſacco. 192

Qua ratione inſtituenda operatio. 195

Experimenta in canibus facta. 197

(In homine vivo nondum inſtituta eſt.)

Hiſtoriæ duæ Aneuryſmatum; alterum brachii, ſanatum; alterum femoris, lethale. 199

a. De cubiti flexuræ Aneuryſmatibus. 203

a) Aneuryſma ex venæ ſectione ortum, operatione ſanatum. *Hiſtoria I.*

Experimenta, quibus rami arteriæ humeralis collaterales, earumque diverſitas demonſtrantur. 211

Aneuryſma in flexura cubiti, ſi mole multum crevit, arteria ſupra ramorum lateralium originem vincienda eſſet, unde certo periret membrum; quare nunquam diu differenda operatio eſt. 215

b) De ſpurio Brachii Aneuryſmate. 216

Differentia inter Aneuryſma verum & ſpurium. 217

Signa læſæ arteriæ, diſtinguenda a ſanguine per ſaltus ex icta modo vena exeunte. 218

Faſciæ, ut læſæ arteriæ medeantur, confeſtim adplicari debent, ante, quam multus ſanguis elapſus ſit. *Hiſtoria II.* (*) 219
Brachium involvendum extenſum ſit, vulnere recto; flexum vero, hoc obliquo aut tranſverſo. 221
Deſcriptio duorum Aneuryſmatum; ſimillimorum eis quæ HUNTERO VARICOSA dicuntur. 223
Hiſtoria III. IV.
Ipſe GUATTANI venæ vulnus ita cum arterioſo glutinatum putat, ut hæc in illam hiet. 226
Faſciæ Genghianæ (Ill. THEDEN Einwickelung) deſcriptio 226
b. Singulare femoris Aneuryſma. 228
Hiſtoria V.
Lethale fuit. Sectio docuit, dilatatam in ſaccum fuiſſe arteriam, eamque ſupra tumorem vulnere duorum pollicum diſruptam, ex quo elapſus ſanguis gravia ſymtomata & mortem attulit. 232

(*) Omiſſum in noſtra editione & in Prototypo Romano nomen Hiſtoriæ II. ad caſum hac in pagina deſcriptum ſine dubio pertinet; nullus enim alibi deſcriptus exſtat.

INDEX OPERUM.
MATANI.

PRÆFATIO. 237
§. I. Medicinæ origo. 237
§. II. Remediorum vetuſtas.
§. III. Medicinæ propagatio. 238
§. IV. Græcorum ſapientia. 239
§. V. Romanorum ſectæ. 241
§. VI. Scientia Arabum.
§. VII. Medicina apud Europæos. 242
§. VIII. Medicina Etruſcorum. 243

§. IX. Occaſio ſcribendi. 245
§. X. Operis diſtributio. 246
§. XI. Aneuryſmatum cognitio. 247
§. XII. Exitus prudenter inveſtigandus. 248
§. XIII. Cadaverum diſſectio neceſſaria. 250
§. XIV. Anatomicorum inventa. 252
§. XV. Vetuſtas ſtudii chirurgici. 253

PARS I.

§. 1. Introductio. 257
§. 2. Hominum querelæ. 258
§. 3. Aneuryſmata apud veteres. 259
§. 4. Veterum cognitiones. 260
§. 5. Aneuryſmatum obſervatio. 262
§. 6. Aneuryſmatum definitiones & diviſiones. 263
§. 7. Aneuryſmatum efformatio. 265
§. 8. Ingens cordis amplitudo. 266
§. 9. Cauſæ peculiares. 267
§. 10. Varices venarum. 268
§. 11. Vaſa coronaria deſcribuntur. 269
§. 12. Vaſorum turgeſcentia. 271
§. 13. Sanguinis conſtitutio. 272
§. 14. Cordis obſtructiones. 273
§. 15. Vaſorum ſanguineorum alterationes. 275
§. 16. Polyporum indoles. 276
§. 17. Polyporum efformatio. 278
§. 18. Polyporum ſigna. 279
§. 19. Aneuryſmatis & polypoſæ concretionis conjunctio. 280
§. 20. Eroſionum efformatio. 281
§. 21. Concretionum quantitas. 283
§. 22. Cordis læſiones. 284
§. 23. Hydrocordiæ origo. 285
§. 24. Pericardii alterationes. 286
§. 25. Aortæ Aneuryſma. 287
§. 26. Aliorum vaſorum vires. 288

§. 27. Explicatur quomodo fiant Aneuryſmata. 289
§. 28. Puerorum Aneuryſmata. 292
§. 29. Ciborum noxa. 293
§ 30. Arteriarum oſſificatio. 294
§. 31. Fœtuum nondum natorum incommoda. 296
§. 32. Puerorum ægritudines nonnullæ. 297
§. 33. Prava puerilium corporum adminiſtratio. 299
§. 34. Animi perturbationes. 300
§. 35. Sanguinis concretiones. 302
§. 36. Tuſſes convulſivæ. 303
§. 37. Auctæ cordis vires. 304

PARS II.

§ 38. Tempeſtatum varietas. 306
§. 39. Extrinſeci aeris mutationes. 308
§. 40. Locorum conſtitutio. 309
§. 41. Obſervationes. 311
§. 42. Effectus peculiares mutationis athmoſphericæ. 312
§. 43. Arteriarum vis immutata. 313
§. 44. Veterum & recentiorum uſus. 314
§. 45. Regionum ſitus obſervandi. 315
§. 46. Ruſticorum regimen. 316
§. 47. Peculiares aliquæ Aneuryſmatum cauſæ. 318
§. 48. Aeris elaſticitas. 319
§. 49. Pravum vitæ regimen. 320
§. 50. Lues venerea. 323
§. 52. Nonnulli effectus luis venereæ. 325
§. 52. Laxitas inducta. 324
§. 53. Pravi ſalivationis effectus. 326
§. 54. Veterum ingluvies. 327
§. 55. Morbi ex prava ciborum qualitate & quantitate manantes. 328
§. 56. Gymnaſticæ abuſus. 329
§. 57. Hyſtericæ feminarum affectiones. 330
§. 58. Puellarum ægritudines nonnullæ. 332
§. 59. Menſtruæ purgationis ſuppreſſio. 334

§. 60

§. 60. Artificum nonnullorum Aneuryſmata. 335
§. 61. Validarum tuſſium noxa. 336
§. 62. Aneuryſmata cujuſcunque arteriæ.
§. 63. Peculiaris obſervationis deſcriptio. 338
§. 64. Conſectaria. 340
§. 65. Aucta arteriarum & ſanguinis vis. 341
§. 66. Medicorum obſervationes. 342
§. 67. Curationis inſtitutio. 344
§. 68. Lac diu infantibus exhibitum. 345
§. 69. Nutricum cautiones. 347
§. 70. Cautiones alterius generis. 349
§. 71. Sanguinis miſſiones.
§. 72. Animadverſiones. 351
§. 73. Exempla ægritudinum, quæ cum aneuryſmate conjunctæ, non ſemper venæ ſectionem exigunt. 352
§. 74. Lactis & ſeri uſus. 354
§. 75. Remediorum uſus. 355
§. 76. Uſus rerum frigidarum. 356
§. 77. Regimen in victu. 357

INDEX OPERUM.

VERBRUGGE.

Sectio I. CONCISA cordis, vaſorumque majorum deſcriptio. 361
§. I. Cor.
§. II. Venæ. 365
Arteria aorta. 366
§. III. Motus ſanguinis per cor. 371
Sectio II. Aneuryſmatis etymologia, diviſio, definitio. 373
§. IV. Etymologia.
§. V. Aneuryſma verum. 374
§. VI. . . . . . . ſpurium. 375

§. VII. Aneuryſma mixtum.
§. VIII. . . . . . . cardiacum.
Sectio III. Aneuryſmatum cauſæ. 377
§. IX. Veri.
§. X. Spurii. 382
§. XI. Mixti. 386
§. XII. Cardiaci. 387
Sectio IV. Aneuryſmatum effectus. 397
§. XIII. Veri.
§. XIV. Spurii. 402
§. XV. Mixti. 404
§. XVI. Cardiaci. 406
Sectio V. Aneuryſmatum diagnoſis. 416
§. XVII. Veri. 417
§. XVIII. Spurii. 422
§. XIX. Mixti. 423
§. XX. Cardiaci. 425
Sectio VI. Aneuryſmatum prognoſis. 429
§. XXI. Veri.
§. XXII. Spurii. 430
§. XXIII. Mixti.
§. XXIV. Cardiaci.
Sectio VII. Aneuryſmatum curatio. 431
§. XXV. Veri.
Interna.
Compreſſio. 432
Extirpatio. 435
§. XXVI. Spurii. 436
Compreſſio.
Operationes variæ. 438
§. XXVII. Mixti. 443
§. XXVIII. Cardiaci.
Sectio VIII. Specialior Aneuryſmatis aortæ pertractatio notabili caſu illuſtrata. §. XXIX. 444

§. XXX. Exempla Aneuryſmatum aortæ ; eorumque cauſæ.
§. XXXI. Sedes ut plurimum in Arcu. 450
§. XXXII. Effectus præcipue in oſſa. 452
Concretiones oſſeæ, & lapideæ arteriarum. 457
§. XXXIII. Diagnoſis. 460
§. XXXIV. Prognoſis & curatio. 461
Obſervatio aneuryſmatis aortæ. 463

INDEX OPERUM.

WELTINUS.

HISTORIA aneuryſmatis veri pectoris externi, hemiplegiæ ſobolis. 471
§. I. II. Aneuryſmatis definitio, etymologia. 473
§. III. IV. V. . . . . diviſiones. 474
§. VI. Arteriæ pectoris. 476
§. VII. Aneuryſma hoc Arteriam intercoſtalem tenet. 477
§. VIII. IX. Diagnoſis Aneuryſmatis veri.
§. X—XIII. Cauſæ. 480
§. XIV—XVI. Qua rationehe miplecticus inſultus aneuryſma hoc produxerit. 484
§. XVII—XXI. Symtomata in ægro obſervata. 486
§. XXII. Prognoſis. 489
§. XXIII. XXIV. Curatio aneuryſmatis in genere. 491

INDEX OPERUM.
MURRAY.

Sectio I. DE Aneuryſmatibus in genere. 500
§. I. Diviſio in vera & ſpuria.
§. II. Spuriorum ſpecies. 501
Diffuſa ſ. primitiva & circumſcripta ſ. conſecutiva.
Aneuryſma compoſitum 505
. . . . . . varicoſum.
§. III. Aneuryſma verum.
Univerſale.
Partiale. 507
Sectio I.
§. IV. Prognoſis. 508
§. V. Curatio. 509
1) Compreſſio.
(1) Faſciæ. 510
a) Membrum comprimentes.
b) . . . . . . involventes. 511
(2) Inſtrumenta.
2) Operatio chirurgica. 512
(1) Arteria ligatur.
(2) . . . . denudata comprimitur. 513
Sectio II. P. I. Deſcriptio Arteriarum femoris. 515
P. II. Animadverſiones in Aneuryſmata femoris. 532
§. I. Una arteria ſupplet alteram.
§. II. Aneuryſmata femoris operatione ſanata. 535
§. III. Vulnera arteriæ femoralis ſanata. 540
§. IV. Poplitis ſanata aneuryſmata. 541
§. V. Non temere reſecandum membrum.

Quænam inſtituenda operatio. 543
§. VI. Amputationis indicatio. 545
Naturæ in medendo molimina.

INDEX OPERUM.
TREW.

ANEURYSMATIS ſpurii (circumſcripti) poſt venæ baſilicæ ſectionem orti, hiſtoria & curatio. 549
Hiſtoria.
Compreſſio tumorem exaſperavit. 551
Deſcriptio aneuryſmatis ſimilis quod TEICHMAYER operatione ſanavit compreſſa denudata arteria. 552
Curatio inſtituta ſimilem priori in modum. 559
Tertia obſervatio ejuſdem generis, pari methodo adhibita curationis. 567

Mantiſſa.
Delineatio vaſorum brachii. 573
De arteriæ ligatura. 575
cum nervo. 577
Qua ratione compreſſio bene inſtituenda ſit. 579



INDEX OPERUM.

ASMAN.

PROLEGOMENA.

§. I. De fabrica arteriarum. 583

§. II. De arteriarum actione in ſanguinem. 584

§. III. Aneuryſmatis definitio, diviſio. 586

1) Verum, 2) ſpurium, 3) mixtum ex HUNTERI & MONROI mente, 4) Venoſum.

Sectio I. De aneuryſmate vero. §. I. 587

1. Natura & indoles.

§. I. II. Tunicæ arteriæ dilatatæ alias craſſiores, alias non.

§. III. Sanguinis in dilatata arteria conditio. 589

§. IV. Enumeratio aneuryſmatum variis in corporis partibus ortorum; frequentiſſima ſunt in aorta. 590

§. V. Lente creſcunt illa; exempla inſignium. 594

§. VI. Deſtruunt partes ambientes. 595

2. Cauſæ.

§. VII, Sublatum inter ſolida & fluida æquilibrium. 596

1) §. VIII. Minuta reſiſtentia ſolidorum.

2) §. IX. Auctus fluidorum impetus. 597

3. Signa.

§. X. XI. Ambigua ſunt. 599

§. XII. Enumerantur.

4. Prognoſis.

§. XIII. Variat pro indole aneuryſmatis. 601

§. XIV. Prouti exiſtit in majore vel minore arteria, §. XV. Externum ſ. internum. §. XVI. Recens ſ. inveteratum. §. XVII. Partes vicinas offendit. §. XVIII. Cauſa externa ſ. interna.

5. Curatio.

§. XIX. Duplex eſt. 603
1) Radicalis.
(1) §. XX. Compreſſione quæ in parvis adhiberi poteſt.
(2) §. XXI. Operatione 604
§. XXII. Quibus in partibus adhiberi queat.
2) §. XXIII. Palliativa. 605
Sectio II. De Aneuryſmate ſpurio. §. I. 606
1. §. II. Definitio.
2. Diviſio. §. III. Circumſcriptum & diffuſum.
3. Cauſæ. §. IV. Vulnus ſ. ruptura. 607
4. Sedes. §. VI. Frequentiſſima in brachio; rariores. 608
5. Symtomata. §. VII. Diffuſi; §. VIII. Circumſcripti.
6. Signa. §. IX. 609
7. Prognoſis. §. X.
8. Curatio. §. XI. 610
1) Compreſſio. §. XII—XV. in vulnere recenti, vel aneuryſmate circumſcripto, cujus tumor digito cedit, adhibenda.
2) Arteriæ denudatio & Stypticorum applicatio. §. XVI—XX. 611
3) Ligatura. §. XXI—XXIV. 613
4) Sutura convoluta LAMBLERTI. 615
§. XXV.
Experimenta in vivis animalibus facta. 616
§. XXVI—XXIX.
Hac operatione concreſcunt arteriæ, lumine deſtructo, unde non anteponenda ligaturæ eſt. §. XXX. XXI. 618
Sectio III. De Aneuryſmate venoſo. 619
1. Definitio §. I. 2. Sedes §. II. 3. Obſervationes. §. III.
4. Symtomata, ſigna. §. IV—VI. 621
5. Prognoſis nil mali affert. §. VII. 623
6. Curatio nulla, neque neceſſaria. §. VIII.

ARGENTORATI, Typis FRANCISCI GEORGII LEVRAULT.

COLLEGE OF PHYSICIANS

Icon 7. Guattari Fig: IV. & Verbrugge Tab. I.

Verbrugge. Tab: I.



Guattari Fig. IV.



Leizel sculps.



Lizel sc.

Icon 9. Verbrugge Tab. III.



Fig: I.

Fig: II

Fig: III.

Fig: IV.

Fig: V.

Leizel sc.

Fig. I






Fig. II




Leizel sc.




Leizel sc.

Icon 12. Verbrugge Tab. VI. & Weltini Tab.



Verbrugge Tab. VI



Weltini Tab.

Leizel sc.

Fig. 1.



Fig. 2




Fig. 3.





Fig. 4.



Leizel sc.

Icon 14. Trew Tab II* et II**



COLLEGE
OF

Jcon. 1. Guattani Tab. 1.

Fig. 1.




Fig. 11.






Fig. 111.




ad Lancisii Propos. XXXVII.




Icon 2. Guattani Tab. II.




Icon 3. Guattani Tab. III.



Jcon 4. Guattani Tab. IV.



Icon 5. Guattani Tab.V.



Jcon. 6. Guattani Tab. Unica.

